Munus eruditissimi Autoris

Jo.

Ex legato D: Equitis Antonij Francisci
de Marmis



STANISLAI SANTINELLI.

Congregationis a Somascha Clerici Regularis

DISSERTATIONES, ORATIONES, EPISTOLÆ, ET CARMINA.



VENETIIS,

Apud Cristophorum Zane
Superiorum licentia, ac privilegio.
MDCCXXXIV.

VIRO AMPLISSIMO

LAURENTIO TEUPOLO

Equiti, atque Ædis Divi Marci Procuratori.

STANISLAUS SANTINELLI.

*VI opus aliquod in publicum emittant, ſolent plerique omnes magno alicui viro illud inſcribere, & dicare, ut ſit qui ipſum ab invidorum morſibus, & malevolorum dicteriis defendat. Ipſe, Vir Ampliſſime,*

Tibi hæc opuscula sisto, & dedico, quod defensurus ea esses, etiamsi non dedicassem. Qui enim mihi patronus es, numquam destituisses patrocinio Tuo hæc ingenii mei, qualia qualia sint, monumenta. Non igitur Tibi hæc opuscula dedico, ut gratiam Tuam mihi cupiam conciliare, sed ut hac oblata occasione liceat mihi palam profiteri, & prædicare, me patrocinio Tuo ornari, & tegi. Nullum sane mihi aut majus ornamentum, aut tutius præsidium gratia Tua est, aut esse velim. Quanto mihi decori est, quantæ securitati primi fastigii in hac Republica Senatorem patronum ciere, cujus gloria ob bene administratam rempublicam tanta est, ut augustis senatus sacrariis continui minime possit. Qui exorta, qualia inter parentes, ac liberos aliquando, cum Principe ob supremum sacerdotium nunquam non verendo dissidia, aliquot abhinc annis, cum Reipublicæ Orator Viennæ degeres, absens, negotio Tibi ab senatu dato, sedasti; idem nova iterum dissidia exorta, domi rempublicam gerendo, consilio Tuo iterum,

& au-

& auctoritate sedasti. Qui tot obitis apud exteros Principes legationibus tantam peperisti nomini Tuo celebritatem, & famam; idem eam domi nunc crebris cum Galliarum Regis Oratore congressionibus, Senatus jussu, publicam rem procurans, ita cumulasti, ut, quæ transacta cum eodem sunt cum scripto a Te commissa recitantur in Senatu, Tibi jam; quod fieri posse nemo credidisset, consilio, & eloquentia præstare ipse omnibus videaris. Hæc dum memoro, aliquid mihi esse videor, cum quantus es ipse, perpendo. Dedicent igitur alii ingenii sui monumenta magnis viris, ut sibi, ac operibus suis patronos adciscant; ego Tibi hæc opuscula dedico, quod hinc locus factus est mihi aperte prædicandi, me Amplissimi magna apud universam Rempublicam gratia, & auctoritate Senatoris, equestri Ordine, & Procuratoria dignitate illustris, rei literariæ III-Viri, sanctioris consilii deliberationibus ad Senatum referendis Seviri, LAURENTII TEUPOLI patrocinio frui. Quod id tanta animi gestientis exulta-

tione

tione profiteor, & prædico, ne ulli offensa apud Te mihi sit ea, qua Te observo, & colo, reverentia vehementer rogo. Vale.

LECTO-

LECTORI.

DUM pauca hæc opuſcula in unum collecta ad ſæculi genium juſto quidem, ſed modeſto, & ſimplici titulo inſcribere cupio, atque hac de re amicos conſulo; vereor, ne tumido nimis eſſe uſus dicar. Videri enim poteſt alicui, cum *Diſſertationes*, *Orationes*, *Epiſtolæ*, *&* *Carmina* promittuntur, magno hiatu plura volumina promitti. Verum, licet alii diſſertationum, orationum alii, epiſtolarum, & carminum juſta volumina ediderint; non video, cur ſingulorum generum pauca opuſcula non poſſint in unum volumen colligi. Singulorum, quæ promittuntur, haud multum eſſe numerum, mole ſua prodit volumen, quod fronte, & titulo minime præfert. Initio equidem ſtatueram duas tantum Diſſertationes, quæ priorem hujus voluminis partem implent, alteram, alias etiam publici juris factam, ſed nunc a me recognitam, *De Romanorum Veterum Nobilitate*, alteram non antea editam, *De Diſciplina*, *&* *Moribus Romanarum Fœminarum*, typorum opera in vulgus emittere. Sed placuit poſtea minutiora alia addere. Quæ hæc ſint, ſequens pagina indicabit. Tu ſi quid lectu dignum judicaveris, legito: mihi non placere non potuit, mea hæc, quæ forte ex plurimis, quæ melioribus annis ſcripſi, apud me extabant, ab interitu vindicaſſe. Vale.

INDEX

INDEX OPUSCULORUM,

Quæ hoc Volumine continentur.

DE ROMANORUM VETERUM NOBILITATE.

DE ROMANORUM VETERUM NOBILITATE DISSERTATIO.

CAPUT I.

Scribendæ dissertationis occasio. Rei Litterariæ Triumviris (a) inscribitur. Dicendorum propositio.



EM haud ita magni inter antiquas momenti, eamdemque jam occupatam, de Veterum Romanorum Nobilitate ipse non alia de causa iterum aggressus sum, Viri Amplissimi, rei litterariæ Moderatores, nisi ut octavam Juvenalis Satyram, quam in Veneto hoc gymnasio explanandam susceperam, illustrarem prius aliqua priscorum morum notitia, ne rhetoricum artificium, carminis præstantiam, ibique latentis philosophiæ placita depromenti digredi alio opus esset. Id statim significandum vobis duxi, ne aut ad hæc scribenda me gloriæ spe abreptum, existimetis, aut vos ad nova, magnaque legenda vocatos, hac ad vos missa dissertatione. Levia igitur, inquitis, & aliena donas. Levia fateor, si cum cæteris comparentur, quæ antiquitatis studiosos solent tenere, aliena autem, negó. Sicut enim, quæ aliorum fuerant, emptis sibi vestibus, aliquid assuendo, aliquid abscindendo, novam sibi, & quæ eorum propria sit, tenuiores homines concinnant, ita ipse quoque iis plurima demendo, quæ infinitæ eruditionis vir Tiraquellus ad prisci, nostrique ævi nobilitatem spe-

(a) *Hieron. Venerio Equiti, Francisco Superantio, Laurent. Theupolo Equ. ædis D. M. Procuratoribus, gymnasii Patavini moderatoribus.*

ſpectantia non Juriſconſultis tantum ſuis, ſed philologis etiam ſcripſit, multa iis addendo, quæ curſim nimium clariſſima litteratorum capita Sigonius, & Lipſius tradidere, aliique antiquarum rerum non indocti inveſtigatores, hanc alienis, meiſque obſervationibus compactam diſſertationem confeci. Tenuem autem, & nullius pretii, quod mea, ut aliquo pretio eſſet, veſtram facturus, mittere ad vos decrevi. Quamquam, quæcumque ſit, veſtra nunquam non fuit, cum a me ſit, cujus nihil eſt, quin veſtrum dici omni jure debeat, ingenium, quod excitatis, ſtudia, quæ fovetis, ipſe hic publice docendi locus, qui omnibus quidem, qui illum ante me obtinuerunt, honeſtiſſimus, mihi vero veſtro tantorum virorum judicio, ac beneficio multo honeſtior, quam cæteris. Ut igitur, quæ vobis ex prædiis veſtris afferuntur, ruſticana munera, primos arborum veſtrarum fructus minime temnitis; ita hoc quoque leve donum ne dedignemini, ingenii, quod beneficiis veſtris alitur, opus; atque ſicut illa, quamvis palato nota, guſtatis tamen, & fortaſſe jucundius; ita hæc quoque, quamvis ex aliis auctoribus notiſſima, legere tamen velitis, & legatis patientius. Quicquid credidi ad veterum, præcipue Romanorum nobilitatem pertinere, hoc ſyntagmate complexus ſum. *De nomine, de nobilitatis natura, ejuſque generibus, quorum fuerit, quibus inſignibus oſtentaretur*, breviter differentem audietis.

CAPUT II.

Etymon. Nobilis de quacumque re: verbum medium: ſæpius ad laudem ſumitur: ſit hominum proprium, & ad genus refertur. Generoſus idem ac nobilis. Alia ſynonima.

NObilis a verbo Noſco proficiſci, idemque ſibi velle, ac notus, ſeu noſcibilis, dignuſque qui omnibus cognitus ſit, cum patet ex Feſto Pompejo, ac Nonio Marcello, tum maxime ex auctorum uſu. Virgilius: (a)

> *Eſt locus Italiæ medio ſub montibus altis*
> Nobilis —

quod Servius interpretatur *notus*, mentem poetæ aſſequutus ex ſequentibus, ſubjicit enim poeta

> — *& fama multis memoratus in oris*
> *Amſancti valles.*

Li-

(a) 7. *Æn.*

Livius (a) de pugna inter Horatios, & Curiatios: *neque ferme res antiqua alia est* nobilior, *tamen in re tam clara nominum error manet, utrius populi Horatii, utrius Curiatii fuerint*. Idem: (b) *inter hos viros* nobiles *inimicitiæ erant*. Apud eumdem de his cum M. Æmilio Lepido inimicitiis Fulvius libro superiore: (c) *quum sint* nobilissimæ *sibi cum Consule inimicitiæ*. Ita enim legendum contendit ex manuscriptorum fide Gronovius, (d) ubi editi vulgo habent, *notissimæ*. Vellejus: (e) *tum Cimbri, & Teutoni transcendere Rhenum multis mox nostris suisque cladibus* nobiles.

A nobili autem *nobilitas fit*, & *nobilito*, quorum prius notitiam, seu ipsum esse notum, alterum notum facere significat. Cicero: (f) *in eo ipso, in quo prædicationem*, nobilitatemque *despiciunt, prædicari de se, ac nominari volunt*. Idem: (g) *quid poetæ? nonne post mortem* nobilitari *volunt? Sed quid poetas? Artifices post mortem* nobilitari *volunt*. Cornelius Nepos: (h) *Iphicrates Atheniensis non tam magnitudine rerum, quam disciplina militari nobilitatus est*. Contraria sunt his *Ignobilis*, & *Ignobilitas* contraria pariter significatione, ut notitiam utrumque neget. Plautus: (i)

Peregrina facies videtur hominis atque ignobilis.

Cicero: (k) *Utebatur Medico* ignobili, *sed spectato homine Cleophanto*.

Cum itaque nulla res esse nota non possit, præterea etiam quidlibet & magnis bonis innotescat, & magnis malis; illud sequitur primum, ut *nobilis*, & quæ ab eo sunt, de nulla re proprie dici nequeant, deinde & illud, ut singula sint verba media, & quæ in utramque partem, seu ad laudem, seu ad vituperationem usurpentur. Si cui otium est, legat apud Tiraquellum (l) longam satis rerum animatarum non modo, sed & anima carentium seriem, quibus ab auctoribus, in quorum lectione abunde se versatum ostendit, nobilitas tribuitur, quæque *nobiles*, ac *nobilitatæ* appellantur. Quod vero in malam quoque partem hæc nomina accipi soleant, ut aliquod afferamus testimonium, patet ex Tullio, cujus est illud (m) etiam a Nonio citatum, cum nobile idem esse, ac notum confirmat: *testis est Phalaris, cujus est præter cæteros* nobilitata *crudelitas*. Idem alibi: (n) *Nico ille* nobilissimus *pirata*. Quintus etiam Cicero: (o) *non erit difficile certamen cum iis competitoribus, qui nequaquam sunt tam genere insignes, quam vitiis* nobiles. Seneca: (p)

— *scelere Lemnon* nobilem.

Ve-

(a) *l.* 1. *c.* 24. (b) *l.* 40. *c.* 45 (c) *L.* 39. *c.* 4. (d) *ad Liv. l. c.* (e) *l.* 2.
(f) *Pro Arch. c.* 26. *juxta sectionem Nizolianam*. (g) *Tuscul.* 1. *c.* 34. (h) *Iphicr.*
(i) *Pseudo* 4. *sce.* 2. (k) *pro Cluent. c.* 47. (l) *Tract. de Nob. c.* 2. *n.* 28. (m) *Of.* 2. *c.* 26.
(n) *In Ver. l.* 5. *c.* 29. (o) *De petit. Consul. c.* 3. (p) *Agamn. a.* 3.

Verum eo fortasse, quod illa tantum cognoscere, aut oculis, aut sermonibus usurpando, cupimus, quæ bono aliquo præstant, factum est, ut *nobilis* in laude sæpius, & contrarium dumtaxat in vituperatione poneretur, idemque fere esset *nobilis*, ac *fama dignus*, *& multorum sermone celebratus*, secus vero *ignobilis*. Ita Horatius [a]

— *par* nobile *fratrum*.

quod Acron interpretatur *notum*, *famosum*. Idem alibi [b] quamquam ironice, sed ironia planius facit serio, & proprie loquenti ad laudem dici:

———————— *in Accj*

Nobilibus *trimetris*.

Tullius citra ironiam: [c] *sibi ipse* (L. Crassus) *peperit maximam laudem in illa accusatione* nobili, *& gloriosa*. Livius: [d] *nobilem regulum Corribilonem*. Nominis celebritas est *nobilitas* etiam Cornelio Nepoti: [e] *Nescio quomodo, cum eum nemo anteiret his virtutibus, multi nobilitate præcurrerunt*. Contrarium significat *ignobilis* apud Ciceronem: [f] *multa dixi* in ignobilem *regem*. Quamquam vero sic quoque accepta hæc vox, dubium est nemini, quin de omnibus rebus & possit dici, & soleat; sæpius tamen hominibus tribuitur, ut velut illorum tantummodo propriam consuetudo fecerit.

Hinc autem altera pressior ejusdem vocis oritur significatio. Quoniam enim inter ea, quibus homo cum præstat, innotescere aliis, & notior solet esse, quam cæteri, generis præstantia dubio procul recensenda est; hinc factum, ut jam *nobilis* ille audiat, *qui generis & natalium excellit gloria*, & ea proprie videatur significatio subesse nobilitati, quæ *excellentiam & præstantiam generis* signat. Nos quoque ita hic *nobilem*, *& nobilitatem* accipimus, cum de iis acturos nos esse, pollicemur. Dici autem nobilem, qui habet generis dignitatem, eo quod hinc notior sit, quam cæteri, confirmat tum locus Senecæ, [g] ubi virtuti Stoice tribuens nobilitatem: *qui imagines*, ait, *in atrio exponunt*, noti *magis*, *quam* nobiles *sunt*; tum consuetudo loquendi cum *ignoti* *nobilibus* opponuntur. Svetonius: [h] ignotissimum *quæsturæ candidatum* nobilissimis *anteposuit*. Præterea etiam *notus* aliquando pro *nobili* dictum est. Tacitus: [i] notos *quoque equites Romanos operas arenæ promittere* subegit. Erit igitur nobilitas id, quod Græcis εὐγένεια. Contrarium tamen sensisse videtur Tullius, cum scribit Appio: [k] *nihil errabis si paulo diligentius* (*ut quid sit* εὐγένεια, *quid sit* nobilitas *intelligas*) *Athenodorus Sandonis filius quid de his rebus dicat*,

[a] 2. *Sat.* 3. [b] *In Art.* [c] *Of.* 2. *c.* 47. [d] *l.* 35. *c.* 22. [e] *Thrasib.*
[f] *L.* 2. *ad Quint. epist.* 12. [g] 3. *Benef. c.* 28. [h] *Tib. c.* 42. [i] *Ann. l.* 14. *c.* 14.
[k] 2. *Epist. fam. epist.* 7.

cat, *attenderis*. Sed hic ſententiam Stoici Philoſophi, hujus enim ſectæ Athenodorus erat, probat Cicero, ut Appii detrahat nobilitati, ſuæque ignobilitati ab ejus contumeliis caveat. Nobilis autem Græcis eſt εὐγενὴς, quod *bono genere* dixeris, quomodo loquutus Plautus: [a]

> *Qui* bono *ſunt* genere *nati*, *ſi ſunt ingenio malo*,
> *Suapte culpa degeneres abeunt: genus ingenio improbant.*

Tullius etiam: [b] *ſi tibi hoc ſumis, niſi qui patricius ſit, neminem* bono *eſſe* genere *natum*, *facis*, *ut rurſus plebs in Aventinum ſevocanda eſſe videatur*. Nobilis etiam reſpondet Græco illi εὐπάτωρ, ſeu εὐπατὴρ, quod eſſet *bono patre*, aut *bonis parentibus*, ut loquitur Cicero: [c] *qui cum eſſet* bonis parentibus, *atque honeſto loco natus*. *Bonus* attamen, etiam ſub hac acceptione, latius patere, quam *nobilis*, negare non auſim, ac velut genus de ſpecie, ita *Bonum* de *nobili* dici, ut *bono* quidem *genere* ſit, quicumque eſt nobilis, quamvis quicumque *bono* eſt *genere*, is non continuo *nobilis* ſit. Liquet ex Terentio, a quo eadem puella & *bonis* parentibus eſſe dicitur, & *ignobilis*: [d]

> —— *illam civem eſſe Atticam*
> Bonam bonis *prognatam* ——

at paullo poſt:

> *Illene indotatam virginem*, *atque* ignobilem

Propterea optime Donatus ad hunc locum *bonam* interpretatus fuit *non vilem*.

Cæterum quod Sigonius, [e], ac Lipſius [f] nobilitatem Romanorum non *ex genere* æſtimant, ſed *ab imaginibus*; ne credas, eos cenſuiſſe, nobilitatem ullam fuiſſe apud Romanos, quæ *bonum genus*, *bonoſque parentes* minime ſignificaret. At cum Romanorum alii genere patricii eſſent, alii plebeii, viri hi præclariſſimi id docent, *bonum genus* non patriciorum aut plebejorum fuiſſe, ſed eorum, qui imagines majorum haberent. Ita ego intelligendos eos puto, qui nobilitatem ajunt *non eſſe ex genere*, *ſed ab imaginibus*. Quæ omnia ſuo loco clariora fient. Etenim tantum abeſt, ut Romanorum etiam, ſicut cæterarum gentium nobilitas dignitatem generis minime diceret, ut auctores Romani ipſum *generis* nomen ad ſignificandam nobilitatem ſæpiſſime uſurpent. Ovidius: [g]

> *Nam* genus, *& proavos*, *& quæ non fecimus ipſi*,
> *Vix ea noſtra puto*.

Horatius: [h]

Et

---

[a] *Merc. a. 5. ſc. 4* [b] *Pro Mur. c. 15.* [c] *Tuſc. 5 c. 58.* [d] *Phorm. act. 1. ſc. 2.*
[e] *De Nom. Rom. c. 6, item de jure Civ. l. 2. c. 20.* [f] *Elect. l. 1. c. 29.* [g] *Metam. 13.*
[h] *L. 2. Sat. 5.*

Et genus, *& virtus, nisi cum re, vilior alga.*
Seneca (a)
—— *Nobiles non sunt mihi*
Avi, nec altis inclitum titulis genus,
Sed clara virtus. Qui genus *jactat suum*
Aliena laudat.

Sed ne alia, quæ innumera sunt, persequar, Cicero pro Murena (b) sexies paucissimis versibus nomen *generis* assumit ad significandam nobilitatem. Optime igitur Nonius Marcellus: *nobilis*, ait, *ad* dignitatem generis *refertur*.

Hinc *nobilis*, & *generosus* a Latinis scriptoribus aut confunduntur, aut ita inter se distinguuntur, ut latius *nobilis* pateat, quam *generosus*. Virgilius (c) *generosum* sumit certe pro eo, qui generis dignitate excellit:
Mæonia generose *domo* ——
Horatius: (d)
Sed fulgente trahit constrictos gloria curru
Non minus ignotos generosis.

Manifestius alter Satyricus hujus vocis usum vulgarem ostendit, cum illum improbat: (e)
—— *Quis enim* generosum *dixerit hunc, qui*
Indignus genere, *& præclaro nomine tantum*
Insignis?

Cum autem Cicero ortum *generosum*, dicit, atque hunc humili opponit, planum est *generosum* idem illi esse, ac nobilem: (f) *humilem sane relinquunt, & minime* generosum *(ut ita dicam)* ortum *amicitiæ, quam ex inopia, atque indigentia natam volunt*. Addo etiam pulcherrimum locum ex Cassiodoro (g), ut intelligas nullo non tempore Latium ita loquutum: *Doctrina siquidem quos ab imperitis discernit, sapientibus amica societate conjungit, cui perfacile est ornare* generosum, *quæ etiam ex obscuro* nobilem *facit*. Optime ideo utrumque nobilem, & generosum, alterum cum altero confundit Ovidius, (h) ubi alloquens Fabios, eos modo *generosam domum*, modo *nobilitatem* appellat:
Quo ruitis generosa domus? *male creditis hosti.*
Simplex nobilitas *perfida tela cave:*

Nec non ubi Ulysses (i) sibi *nobilitatem* a matre additam primum ait, deinde se appellat ortu materno *generosiorem*.
Est quoque per matrem Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas.

De-

(a) *Herc.Fur.a.2.sc.3.* (b) *Ac.15.* (c) *Æneid.10.* (d) *L.p.Sat.6.* (e) *Juv.Sat.8.* (f) *de Amic.* (g) *Var.l.9.epist.8.* (h) *Fast.2.* (i) *Metam.13.*

Deinde:

Sed neque materno quod sim generosior *ortu*.

Ita pariter Græci aliquando εὐγενὴς, quod est *nobilis* & γενναῖος confundunt, quod aliquibus est *generosus*. Sed Græcis hoc discrimen proprie est inter εὐγενῆ, & γενναῖον, ut habemus ab Aristotele, (a) quod εὐγενὴς, qui illustri est genere, γενναῖος, qui ab illo non degenerat, appellatur.

Apud Romanos etiam aliquid interfuisse inter *nobilem*, & *generosum*, constat ex Tullio, qui genus a nobilitate distinguit, quemadmodum pro Roscio Amerino: (b) *genere* & nobilitate *facile princeps*. Clarius Juvenalis (c):

— Nobilis, & generosus

Adpositam nigræ lunam subtexit alutæ.

Cicero item: (d) *aliqua* generosa, *ac nobili virgine*. Nusquam tamen apud Latinos ita distinctum inveniri puto nobilem a generoso, ut nobilis sit, qui bono genere, & præstanti; generosus, qui ab eo non descifcit. Græco enim illi γενναῖος sub hac acceptione unum verbum, quod responderet, Latinis nequaquam fuit, quamquam aliter videntur sentire doctissimi Aristotelis interpretes Barbarus, Muretus, Sigonius, Majoragius, qui γενναῖον verbum verbo vertentes *generosum* interpretantur. Aliquid esse discriminis apud Latinos inter *nobilem*, & *generosum* fatetur Gerardus Joannes Vossius, non idem tamen, quod apud Græcos inter εὐγενῆ & γενναῖον. En ejus verba: (e) *Porro horum quidem, qui nobiles, nascuntur, alii sunt* εὐγενεῖς, *sive nobiles, alii etiam* γενναῖοι, *sive generosi. Sed & Latinis aliud est nobilis, aliud generosus: unde est quod in Epistol. Hypsipeles ad Jasonem conjungantur ab Ovidio*:

Si tua nobilitas, generosaque nomina tangunt,

& hoc Juvenalis sat. 8.

Felix, & sapiens, & nobilis, & generosus

Accipe tamen, quod Vossius non attulit, discrimen inter duo illa nomina ex antiquis Grammaticis: (f) *Nobilem dicimus nobilitate rerum, generosum autem eum, qui græce* γενναῖος *appellatur*. Quod si hic pro γενναῖος, quam lectionem ipse sollicitare necessariis destitutus minime ausim, recte legit Tiraquellus (g) εὐγενὴς, clarius liquet, generositatem apud Latinos idem sibi velle, ac bonitatem, seu dignitatem generis. Dubium tamen omne tollit vetus glossarium, quod alii citant: *Generosus* εὐγενὴς, ὁ ἀπὸ γένους. Itaque Latinis, quod Græcis εὐφυὴς, *generosus* potius erit, quam nobilis, quod illis γενναῖος, *nobi-*

(a) *Rhet.* 2. *c.* 18. (b) *c.* 15. (c) *Sat.* 7. (d) *parad.* 3. (e) *Inst. Orat. l.* 2, *c.* 7.
(f) *Corn. Front. de dif. verb.* (g) *c.* 2. *n.* 47.

lis potius, quam generosus, licet secus visum sit viris præclarissimis; *generosus* siquidem genus signat, *nobilis* mores, quibus qui præstant, a majoribus minime degenerant. Allatam a Frontone horum verborum d fferentiam fulcimus ex Ovidio: (a)

O qui nominibus cum sis generosus *avitis*,
Exsuperas morum nobilitate *genus*,

Item ex Livio: (b) *Vectius Messius ex Volscis nobilior vir factis, quam genere*. Quare *nobilis* ex quacumque virtutis, & rerum dignitate, generosus ex solius generis dignitate dicitur, si strictim accipienda hæc nomina sint, quamquam laxius nobilem dicere ex dignitate generis frequentissimum est, & fortassis usitatius. Generosum vero etiam ex morum dignitate, & ex virtute dici aliquando, licet afferat Tiraquellus (c), nescio, an continuo affirmandum sit. Duplex enim locus, quem affert ipse, non satis mihi est ad id firmandum validus. Alter est Sallustii, (d) apud quem Marius: *fortissimum quemque generosissimum esse*; alter Juvenalis (e): *Quis generosa putet, nisi fortia?* Sed prioris sententia est, *fortissimum quemque esse optimo genere*; alterius, *optimo genere solummodo esse fortia*. Nempe uterque, quod illis ita e re sua visum, nobilitatem omnem evertere, nihili faciendam generis præstantiam, & omnia virtuti tribuenda esse, contendunt. Pro his stabit & Seneca, (f) cum ait: *Quis est ergo* generosus? *ad virtutem bene a natura compositus*. Sed hanc Stoicorum sententiam alibi refellemus. Fateor tamen, *generosum* aliquando sumi pro eo, qui magno, & elato animo est, quæ significatio ex priori certe est orta. Qui enim sunt excellenti genere, hi magno, & excelso præditi animo esse solent. Cicero: (g) *cum de Imperio certamen esset cum rege* generoso, *& potenti*. Nepos de Attico: (h) *qua ex re in pueritia nobilis inter æquales ferebatur, clariusque explendescebat, quam* generosi *condiscipuli animo æquo ferre possent*. Sed non est tanti his diutius immorari.

Sicut vero *generosus*, hoc est, qui genere præstat, *nobilis* etiam dicitur, quia facile & civibus suis, & cæteris omnibus innotescit, sic etiam aliis nominibus appellatur, omnibus fere id proprie significantibus, quod vel luce, vel loco omnium oculis proditur. Dicitur itaque *claro* genere, *splendido*, *illustri*, præterea *alto*, *sublimi*, *summo*. Contra ignobiles etiam *ignoti*, *obscuri*, *humiles*, *infimi*, *imi* appellantur.

CA-

(a) *Trist.4. el.4.* (b) *l.4.c.28.* (c) *c.2.n.49.* (d) *Jugurt.* (e) *Sat.8.* (f) *Epist.44.* (g) *Off.3.c.86.* (h) *in Vit.*

CAPUT III.

Nobilium, & Nobiliorum Familiæ. Nobilissimi dignitas.

NObilis, Nobilior, Nobilissimus aliquando ad genus minime referuntur, quod nimirum priora duo abierint in cognomina familiarum Romanarum, postremum in titulum præclarissimæ dignitatis. De Nobilis, ac Nobilioris apud Romanos cognomine asserui ex mente Tiraquelli (a), quamvis, ut dubium est nemini de Nobiliore, quod cognomen erat Fulviæ gentis, teste Livio, aliisque Latinis Scriptoribus, quibus crebro memorantur Marci, & Quinti Fulvii Nobiliores; ita non æque videatur mihi certum de Nobili.

Servum quidem nomine *Nobilem* (b) quin & equum eodem nomine (c) invenio in Gruterianis inscriptionibus; nullibi vero adhuc ullam familiam inveni *Nobilium* cognominatam. Potuisse hanc tamen extare, haud inficior, quamvis ejus, quod obscura forte, & libertinorum, omnis fortasse memoria interierit. Potuit enim libertus aliquis, qui antequam libertate donaretur, *Nobilis* vocabatur, de servili hoc suoque veteri nomine novam familiam cognominare, cui de gentilitio patroni nomine nomen fieret, quod libertis in more positum infra c. 5. docebimus. Quemadmodum itaque fuisse novimus ex Grutero *Sallustiam Q. L. Nobilem* (d), ita servus esse potuit aliquis nomine *Nobilis*, qui deinde e.g. *Q. Sallustius Q. L. Nobilis* cum factus esset, *Sallustiorum Nobilium* familiam propagarit. Hujus rei suspicionem injicere etiam possunt *Volcatius Nobilis*, & *Valerius Nobilis*, Tiraquello memorati. Quamquam *Volcatium* illum *Nobilem*, cujus meminit Plinius (e), *Volcatium nobilem* video dici in optimæ notæ editionibus. *Valerium* vero *Nobilem*, *tribunum militum*, quem Tiraquellus citat ex Julio Frontino, si ita melius, quam *Valerium nobilem*, vel *nobilem tribunum militum* legendum est, haud absurdum esset credere ita potius appellatum agnomine ipsi peculiari, quam quod familiæ esset, quæ istiusmodi cognomine donaretur. Cæterum quod Tiraquellus idem affert ex historia Machabeorum (f) de *Antiocho Eupatore*, quo nomine sceleſtissimi parentis filius suorum adulatione, ut notant sacri interpretes, vocatus est, illud non magis dixerim gentis cognomen, quam Ptolomeorum fuerit Soter, aut Philadelphius. Manifeste autem lapsus est in regno suo vir juris peritissimus, cum *Honorium Nobilem* consulem cum Evodio sub Theodosio, & Arcadio citat, quamvis

(a) *c. 37. nu.* 83. (b) *V. Grut.* *DLXXXIII.* 8. (c) *Id.* *CCCXLII.* (d) *DCCXL.* 8. (e) *l.* 8. *c.* 2. (f) *l.* 2. *c.* 17.

vis id non innuat, proculdubio e codice Theodosiano. Hic enim non e *Nobilium* familia erat Honorius, sed ipsius Imperatoris filius, ideoque *Nobilissimus*, ut ferebat consuetudo, appellatus, quo titulo inscriptæ geminæ leges in memorato codice inveniuntur: *Honorio Nobilissimo puero, & Evodio consulibus*, quemadmodum aliæ: *Valentiniano Nobilissimo puero, & Victore consulibus*, quod notavit vir doctissimus æque, ac diligentissimus Spanhemius (a).

Etenim, ut aliquid de Nobilissimo etiam dicam, obtinuerat multo ante usus, ut hoc honorario epitheto Imperatorum filii donarentur, tanquam eorum peculiari, & proprio, non eo duntaxat modo, quod bona Spanhemii pace dixerim, quo Claudii tempore talia augustæ domus subsidia Britannicus, & Nero *nobiles pueri* vocati a Tacito (b) sunt. Tacitus enim non hoc eos tanquam illorum proprio epitheto ab aliis discernere videtur, *quod Nobilissimi* titulo deinceps est factitatum, sed potius aliis conjungere, & confundere cum cæteris. En ejus verba: *sedente Claudio circensibus cum* pueri nobiles *equis ludicrum Trojæ inirent, interque eos Britannicus Imperatore genitus, & L. Domitius mox in imperium, & cognomentum Neronis adscitus*. Morem autem nobilissimos vocandi Imperatorum filios, & potissimum Cæsares repetendum, ait Spanhemius (c) a Trajano, testimonio veterum lapidum, & ab ævo Commodi, quo idem adhuc Cæsar *Pontifex nobilissimus* appellatur.

Verum qui lapis Nervæ Trajano positus fuisse aliquibus visus fuerat, hunc jam planum est omnibus, quod Gudius animadvertit, (d) Decio Trajano, qui Philippis successit, tribuendum esse. Hallucinatus etiam est Bulengerus (e), cum primum omnium in veteri lapide Licinium Valerianum ait, vocatum *nobilissimum*, mox Carinum, & Numerianum. Multo enim ante Valerianum id usurpatum, lapides, ac nummi declarant. Fragmentum quoddam marmoris reperitur apud Gruterum (f), unde conjicies Aurelium Antoninum Commodi patrem forte omnium primum fuisse, cujus monumentis *nobilissimi* titulus sit inscriptus. Commodum certe ejus filium ita vocatum docet integra inscriptio (g):

IMP.

(a) *Us. & præf. Numis. dis.* 8. (b) *Ann l.* 11. *c.* 11. (c) *l.c.* (d) *V. Grut.* CCXLVI. 3.
(e) *de Imper. l.* 2. *c.* 9. (f) CCLIX. 1. (g) *Grut.* CCLXII 4.

IMP. CAES. M. ANTONINI
PII. GERM. SAR. FIL. DIVI
PII. NEP. DIVI HADR. PRO
NEP. DIVI. TRAJANI. PARTH
ABNEP. DIVI. NER. ADNEP
M. AUR. COMMODO
ANTONINO. PIO. FEL. AUG
SARM. GERM. MAX. BRIT
P. M. TRIB. POT. XIIII
IMP. VIII. COS. V P. P.
NOBILISSIMO. PRINCIPI
BENACENSES

Eumdem pariter Commodum primum fuiffe, qui nobilitatem nummis infcribi voluerit, teftatur Vaillant (a), circumferrique ait ejus nummum ex argenteis obvium, ex aureis rariffimum cum epigraphe: *Nobilitas Augufti*. Jure autem fuo fibi ille hoc fumpfit, quippe qui, tefte Herodiano, unus omnium ante fe Imperatorum nobiliffimus, at nullo illi jure, qui non humili folum, fed fordidiffimo loco nati, Thraces, & Arabes, ac fi Deorum fanguis fuiffent, aufi funt natalium fordibus præclariffimum *nobiliffimi* epitheton prætendere. Philippum enim, qui *humillimo ortus locos fuit, patre nobiliffimo latronum ductore*, ut ille ait (b), *nobiliffimum Imperatorem*, filiumque *Cæfarem nobiliffimum* dici, non puduit (c):

OB. HONOREM. PHILIPPI. IM
PERATORIS. NOBILISS. SEM
PER. AUGUSTI. ET. PHILIPPI
CAESARIS. NOBILISSIMI

Quamquam vero poft ævum Commodi alii quoque ante Philippum, Geta nimirum (d), Alexander Severus (e), ac Maximus Maximini filius (f), *nobiliffimi Cæfares* in lapidibus dicuntur; neminem tamen, Spanhemio tefte (g), ante Philippum juniorem in nummis ita vocatum invenies. Ifte enim omnium primus in nummis dicitur. *M. Jul. Philippus Nobiliffimus Cæfar*. Poft Philippum autem paffim & nummos, & lapides offendes, in quibus Q. Herennius, Hoftilianus, Valerianus junior, Carinus, Numerianus, Conftantius, Maximianus Armentarius, Valerius Severus, Licinianus, Conftantinus, Crifpus, *nobiliffimi Cæfares* appellantur, nondum Imperii fede Byzantium translata. Quin & fæminis domus auguftæ eumdem hunc titulum tributum conftat (h): JU-

(a) *Numifm. Imp. Rom. l. 2.* (b) *Aur. Vict. Epitom.* (c) *Grut. CCLXXII. 9.*
(d) *Id. LXXIII. 9.* (e) *Id. MLXXXII. 9.* (f) *Spanh. l. c.* (g) *l. c.* (h) *Grut. CCLV. 7.*

JULIAE. NOBILISS
PUELLAE. FIL. GAL
LIENI. AUG. ET. SALON
AUG

Sed post restitutum etiam Occidentis Imperium Imperatoris sororem, ac liberos honorario hoc *nobilissimi* epitheto donatos invenio, quod ad priorum Imperatorum exemplum factum existimo. Cum enim in literis Giselæ sanctimonialis, quæ Caroli Magni soror erat, ejus, ac trium Caroli Magni filiorum nomina subscriberet Cancellarius (ipsi enim non sua nomina, sed signum crucis tantum sua manu exaraverant, ut eruditissimus Mabillonius (a) advertit) Giselam sororem, tresque Caroli filios *nobilissimos* appellavit. Talem damus, qualis extat subscriptio apud eumdem Mabillonium: [b] *signum* ✠ *Giselæ nobilissima Filia Pipini Regis, qui banc donationem fieri rogavit. Signum* ✠ *Caroli nobilissimi filii Domni Caroli præcellentissimi Regis. Signum* ✠ *Pipini nobilissimi filii Domni Caroli præcellentissimi Regis. Signum* ✠ *Chlodoici nobilissimi filii Domni Caroli præcellentissimi Regis.*

Verum non ita pridem distincta illa Nobilissimi, ac Cæsaris nomina, & peculiaris Nobilissimi dignitas ornandis iis, qui propiores erant Augustorum fastigio, instituta fuerat, eadem dicta Græcis *ἐπιφανεςάτȣ ἀξία*, seu *νωβελισσιμάτȣ*, sicut etiam *ἐπιφανεςατοι*, nobilissimi, qui tamen & *νεβελίσσιμοι*. Quod si recte affirmat Spanhemius (c), hoc tandem, postquam novam Romam translata est imperii sedes, inter Byzantinæ aulæ honores inventum fuisse; oportet, aut affirmet Bulengerus *Nobilissimi* dignitatem, a *Cæsaris dignitate* distinctam, vere institutam a Magno Constantino fuisse post translatum imperium, aut Zozimum arguat erroris, non quod alteram cum altera confundit, sed quod alteram ab altera distinguit. Neque enim mihi videtur, ut visus est Bulengero (d), Zozimus utramque confudisse, sed alteram potius ab altera distinxisse, cum Delmatio referat alteram, hoc est *Cæsaris*, alteram, hoc est *Nobilissimi dignitatem* Constantio, & Anaballiano collatam a Constantino, subjiciens etiam quibus vestibus hi pro hac dignitate induerentur. Ejus verba latine dabo: (e) *Erant & imperii quodam modo participes Delmatius a Constantino* Cæsar *dictus* & *Constantius ejus frater, & Anabalianus, qui purpurea, & aureis ornata limbis veste utebantur dignitatem* Nobilissimatus, *ut vocant, ab ipso Constantino propter adgnationis reverentiam consequuti*. Crediderim propterea *Nobilissimi* dignitatem, seu *Nobilissimatum* inventum fuisse primum a Con-

(a) *De re diplom. l.2. c.22.* (b) *Ibidem.* (c) *l. c.* (d) *de Inperat. Rom. l. 2. c. 9.*
(e) *l. 2.*

Constantino, a quo etiam Patricii dignitatem institutam, eamque Optato collatam idem Zozimus (a) refert, & a quo inauditos antea alios titulos, novasque dignitates, scilicet Regis Regum, & Regis Ponticarum nationum, præcipue Anaballianum, seu mavis Hanibalianum, Anaballiani fratris filium, honestandi gratia, excogitatas scimus, *cujus* pariter *ævo dignitates Illustrium*, *Spectabilium*, *Clarissimorum*, *Perfectissimorum natæ sunt*, ut idem Bulengerus fatetur (b).

Nobilissimatum tamen infra *Cæsariatum* stetisse progressu temporis, argumento est, quod inter Augustorum liberos alii *Cæsares*, alii *Nobilissimi*, iique juniores appellabantur, præterea etiam, quod ii, qui *Nobilissimi* fuerant, mox Cæsares creabantur, cum propius ad spem imperii, & succedendi jura admoverentur, ut in notis suis ad Procopii Anecdota, Justiniani, & Valentiniani junioris exemplo ostendit Alemannus, qui propterea ait, multos *Nobilissimos* dictos, qui numquam Cæsares fuere. *Nobilissimorum*, autem uxores *Nobilissimæ* vocitatæ sunt, ut Bulengerus (c), & Cangius (d) affirmant, qui etiam addit ab his domos ipsas *nobilissimas* dictas. Utrumque constat ex descriptione Constantinopoleos, ubi regione prima legitur: *domus* Nobilissimæ *Marinæ*, regione nona, & decima: *domus* Nobilissimæ *Arcadiæ*, deinde in Collectione civitatis: *habet igitur Urbs Constantinopolitana palatia* 5., *Ecclesias* 14., *domos divinas Augustarum* 6., domos nobilissimas 3., Protonobilissimi præterea honor deinceps inventus est in aula Byzantina, quo insignitus fuit Eumathius amorum Nysminii, & Nysminiæ scriptor, eodem teste Alemanno. Sed satis de his, quæ ad nomen aliquo modo spectare visa sunt.

CAPUT IV.

Nobilitatis finitio. Nobilitas non est virtus. Genus honestum idem, ac nobile.

SI nobilitatis tandem, quæ veterum fuit, finitionem quæris, accipe, quam tradit vir genere nobilissimus Boëtius: (e) *videtur esse nobilitas quædam de meritis veniens laus parentum*. Id enim semper fuit esse nobilem a clarissimis viris genus trahere, magnorum virorum sobolem prædicari, eaque aspergi gloria, quam majores non sibi tantum, sed posteris etiam suis peperere. Quæ laus igitur de majorum meritis ad eos venit, qui ab ipsis propagantur, ea nobilitas est.

At inquies, non igitur

No-

(a) *l. c.* (b) *de Imperio Rom. l.* 2. *c.* 21. (c) *De Imperat. Rom. l.* 2. *c.* 9. (d) *Gloss. lat.* (e) *Consol. l.* 3. *pr.* 6.

—— Nobilitas (a) *sola est atque unica virtus?*

Multa quidem Tullius, multa Seneca, totque alii scriptores tradidere, ut nullam præter virtutem nobilitatem esse evincerent. Sed hoc inter Stoicorum παράδοξα numerandum est. Aliquid virtutem esse tanto nobilitate præclarius, quanto est illustrius propriis, quam parentum meritis prædicari, ultro concedo; virtutem idem esse, ac ea, de qua loquimur nobilitate, concedet nemo. Alteram ab altera, ut inter tot unius saltem testimonio utamur, distinguit Cicero, ubi ait: (b) *hominum ignobilium virtutem persæpe nobilitatis inertiæ prætulerunt*. Quicquid igitur contra afferunt auctores, id vel ad elevandam sui generis obscuritatem, vel ad sapientum sibi nomen parandum artificiose, & tumide jactant. Si in contentionem virtutem cum nobilitate voces, & ipse equidem

Malo, pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas, (c)
Quam te Thersitæ similem producat Achilles.

Cæterum ut ut vulcania arma capessas, efficies nunquam, ut Achille sis genitus, si tibi Thersites pater. Confert igitur hominibus splendorem, & claritudinem suam, &, si hoc mavis, nobilitatem suam virtus, generis nobilitatem non confert, nec generis nobilitas ipsa est. Id vero etiam concedendum arbitror, hanc generis nobilitatem fuisse a virtute, minime illa quidem nobilium, sed parentum eorum, quibus eam totam nepotes debent. Etenim si nobilitatem diximus, laudem de meritis parentum venientem, necesse est, eos tanta floruisse virtute, ut nominis amplitudinem sibi comparatam ad posteros quoque transmittere potuerint. Qui claro propterea, & nobili genere orti dicebantur, iidem a causa *honesto* genere appellati sunt.

Fallitur enim Gebhardus, qui ad quemdam Cornelii Nepotis (d) locum inquit: *Latini quorum parentes obscuros dicere nolunt, ac viles, vocant* honestos *gratia quadam sermonis*. Obscurum, & vilem Latini *inhonestum*, non autem honestum dixere:

Quo patre sit natus, num obscura matre inhonestus (e).

Sed male illud eo sibi persuasit Gebhardus, quod Nepos Epaminondam *honesto genere* natum dicit, cujus patrem Ælianus scribit (f) fuisse ἄφαυ. Cum enim vocat ille Epaminondæ *genus honestum*; in hoc dissentit ab Æliano, quemadmodum dissentit a Plutarcho cum Neoclum Themistoclis patrem vocat (g) *generosum*, & ab iis, qui referunt, patrem Eumenis ex aurigatione victum sibi quæsiisse, cum ait

(a) *Juv. sat.* 8. (b) *pro Corn. Bal. c.* 51. (c) *Juven. sat.* 8. (d) *Epam.*
(e) *Horat. l.* 1. *Sat.* 6. (f) *Variar. l.* 12. *c.* 23. (g) *Themist.*

ait (a), Eumenem *domestico summo genere fuisse*. Nobili autem genere fuisse Epaminondam, non unus sentit Nepos, sed præterea Plutarchus, (b) qui eum genere parem Pelopidæ utique nobilissimo facit. Hoc etiam innuit Svidas, qui clypeum sepulcto ejus impositum, clypeo autem draconem insculptum tradit, ut nimirum pateret, eum ex Spartorum genere esse, hoc est eorum, qui e dentibus draconis per Cadmum satis orti credebantur. Splendori autem debuit fuisse apud Thebanos ab illis Thebarum conditoribus genus ducere, alioqui hoc ad sepulcri honorem, sepultique gloriam significare symbolo insculpto, inane, ac ridiculum fuisset. Sed sententiam suam confirmat Gebhardus tullianis verbis: (c) *Qui cum esset bonis parentibus atque honesto loco natus*, quæ tamen verba manifeste contra ipsum faciunt. En integram Tullii sententiam: *qui* (Dionysius senior) *cum esset bonis parentibus atque* honesto loco *natus (etsi id quidem alius alio modo tradidit) abundaretque æqualium familiaritatibus, & consuetudine propinquorum; haberet etiam more Græciæ quosdam adolescentes amore conjunctos, credebat eorum nemini. Sed iis, quos ex familiis locupletum servos delegerat, quibus nomen servitutis ipse detraxerat, & quibusdam convenis, & feris barbaris corporis custodiam committebat*. Miserrima hic a timore Dionysii vita describitur. Atqui ad hanc intelligendam non parum refert, quod ille illustri genere, illustri ideo etiam genere æqualium, & propinquorum consuetudinem horrens, servis se crederet. Certe tenuitas, & obscuritas generis quid ad hoc pertinere possit, non video, ut ejus præsertim dubiæ, & apud aliquos controversiosæ facienda fuerit mentio. Sed Cicero mentem suam satis explicat, cum *locum honestum* conjungit cum *bonis parentibus*, quæ verba respondent græco illi *Ἐυπάτωρ*. Sed haud ægre sibi quisque persuadebit Gebhardum falli, qui *honestum* gratia sermonis putat dici pro obscuro, ac vili; me autem etiam non falli, qui *honestum* puto, idem esse Latinis, ac *nobilem*, ægre fortasse sibi aliquis persuadebit. Etenim postquam etiam nitori suo, quam fieri potuit, restitutus est Latinus sermo, *honestos* solemus eos appellare, quos inter humiles, ac nobiles velut medios volumus significare.

Haud diffiteor equidem deprehendi apud optimos authores discrimen aliquod inter *honestatem & nobilitatem*, inter *honestum & nobilem*. Primum enim *honestas*, & *honestus*, cum præcipue neque generi, neque familiæ, neque parentibus, aliisque similibus junguntur, sæpe animum, & mores respiciunt, ac virtutem, probitatem, dignitatem, laudem significant. Pro Archia Cicero: (d) *nihil esse in vita*

C *ma-*

(a) *in Vit.* (b) *Pelopid.* (c) *Tusc.* 5. c. 58. (d) c. 14.

magnopere expetendum, nisi laudem, & honestatem. Pro Flacco (a): *habetis & honestatem hominis, & auctoritatem testimonii*. Atqui præstantius aliquid ipsa nobilitate tunc significare, æquis virtutis æstimatoribus non est dubitandum. Sallustius (b) *Ea tempestate in exercitu nostro fuere complures novi, atque nobiles, quibus divitiæ bono, honestoque potiores erant, factiosi, domi potentes, apud socios clari magis, quam honesti*. Livius (c): *ex juventute quidam Lucanorum pretio asciti clari magis inter populares, quam honesti*. Qui porro *honesti* sint, explicat Tullius (d): *cum honos sit præmium virtutis, judicio, studioque civium delatum ad aliquem, qui eum sententiis, qui suffragiis adeptus est, is mihi & honestus, & honoratus videtur*.

Cum vero *honestus* ad genus, & natalium qualitatem, hominisque statum refertur, *vetuste honos pro magnis, honestos pro divitibus dictos*, innuit Asconius (e). Nos idem de *honesto* sentiendum putamus, quod supra c. 2. de *bono* sentiendum diximus, nimirum *honestum* latius patere, quam *nobilem*, ut *nobilis* quisque idem & *honestus*, non autem *honestus* quisque idem & *nobilis* dici possit. *Honestas* itaque & nobiles & ignobiles, qui modo infimi generis, & ultimæ sortis non sint, amplectetur. Vilioribus enim *honestos* opponit idem ævi augustæi scriptor, ut optime conjectat Gerardus Joannes Vossius (f), Asconius (g): *prætexta honestorum, toga viliorum*. Infimum etiam genus *honestati* opponit Livius (h): *fautorem infimi generis hominum, ex quo ipse sit, odio alienæ honestatis, ereptum primoribus agrum sordidissimo cuique divisisse*. Ex utriusque autem authoris loco id mihi videor posse inferre, *honestum* proprie ad omnes omnino ingenuos pertinere, eosque a libertinis distinguere. Quem enim Livius verbis Tarquinii *infimi generis* appellavit, & *alienam honestatem* odisse dixit, is Rex Servius erat, quem antea servum, & serva genitum compellarat. *Viliores* etiam illi, quorum, Pedianus ait, togam fuisse, erant pariter libertini, cum ingenuorum omnium, quos idem *honestos* vocat, prætexta esset, ut clarius ex infra dicendis apparebit. Eodem recidit, aut ego fallor, livianum illud, ubi servorum vitia honestis natalibus, & liberali institutioni opponuntur: (i) *Cn. Fulvium Quiritium Romanorum exercitus honeste genitos, liberaliter educatos servilibus vitiis imbuisse*. Item illud, ubi volones, milites scilicet ex servis, pro honestis, imo etiam pro generosis, quod ad augendam orationem facit, habendos, suadetur: (k) *ne quam exprobratio cuiquam veteris fortunæ discordiam inter ordines sereret: vetus miles tironi, liber voloni se se æquari sineret: omnes satis honestos, generososque ducerent, quibus*

(a) *c. 48.* (b) *Jugurt.* (c) *l. 8. c. 27.* (d) *Brut.* (e) *ad Cicer. in Ver. de Præt. Urb.* (f) *de Hist. Lat. l. 1. c. 27.* (g) *Ibid.* (h) *l. 1. c. 47.* (i) *l. 26. c. 2.* (k) *l. 23. c. 35.*

bus arma sua, signaque populus Romanus commisisset. Quo autem loco ait Asconius, libertinos a Cicerone honestis oratorie æquiparari, inde clare infertur, libertinos duntaxat *honestos* dici non potuisse: (a) *quorum* (libertinorum) *non conditionem, sed more suo* quasi honestorum *ordinem vocat*. *Honestum* igitur tam late, quam *ingenuum* patere, forsan non temere judicavero.

Quamquam vero inter ingenuitatem, & nobilitatem quomdam intercedere affinitatem, Aristoteles (b) docet, seu quia tam ingenuus, quam nobilis natalibus æstimatur, ut ejusdem interpreti visum (c), seu quia ingenuitati nobilitas velut adnascitur, & succrescit, juxta illud (d): *En unquam fando audistis, patricios primo esse factos, non de cælo demissos, sed qui patrem ciere possent, idest nihil ultra, quam ingenuos*; nihilominus *ingenuum* pro *nobili* dictum, numquam me legisse memini. At *honestum*, ut ut æque late pateat, & nihil ultra significet proprie, quam ingenuum, pro *nobili* tamen usurpari solitum, neque id raro, ne dubites. Tranquillus (e) Pollam Vespasiani matrem dicit Nursiæ *honesto genere* ortam, cum deinde, quæ extabant complura Vespasiorum monumenta, vocet *magnum indicium splendoris familiæ, & vetustatis*. Asconius, quos *honestos* vocavit, eosdem mox *nobiles* vocat (f): *cum Sulla post victoriam circenses faceret, ita ut honesti homines quadrigas agitarent, fuit inter eos C. Antonius*; paullo post autem: *diximus jam supra Sullæ ludis, quos hic post victoriam fecerit, quadrigam C. Antonium, & alios quosdam nobiles homines agitasse*. Cicero sæpissime *honestum* cum *amplo* conjungit, aut cum *nobili*: (g) *quas familias* honestatis, amplitudinisque *gratia nomino*: (h) *est ipse* honestissimi, ac nobilissimi *generis*. Scrupulum autem injiciat nemini, quod Tullius priori loco *honestatem* altero *amplitudinem*, sicuti alibi *honestum* primum, deinde *nobilem* ita videtur usurpasse, quasi minus significanti majus aliquid esset subjectum, quod fit in oratoriis amplificationibus. *Amplo* enim idem quoque *honestum* subjicere non dubitat, ubi, quod animadversione dignum puto, plebejorum nobilitas cum patriciorum nobilitate confertur: (i) *si sunt* amplæ & honestæ *familiæ plebejæ*. Ita & *honestum nobili*: (k) *Halicyensis Eumenidæ* nobilis *hominis*, & honesti. Loco etiam supra citato, unde in hunc campum excurrimus, Dionysium ait fuisse *bonis parentibus, & honesto loco natum*, ubi aut neutra loquendi ratio nobilitatem, aut utraque certe significat.

Noli autem mirari, quod veteres *honestum* pro *nobili* usurparunt.

(a) *ad l.1. in Verr. de Pr. Urb.* (b) *Politic. l.3. c.8.* (c) *Ob. Gyph. ibid.*
(d) *Liv. l.10 c.8.* (e) *Vespas. c.1.* (f) *in orat. contra Comp.* (g) *pro Rosc. Amer. c.15.*
(h) *pro Sull. c.25.* (i) *pro Mur. c.15.* (k) *l.5. in Verr. c.15.*

Honestum enim semper sonat aliquid virtuti conforme, ac *honestatem* quælibet nobilitas ab *honestis* viris, hoc est virtute eximiis haud dubie profecta, quasi parentem agnoscit, ut supra innuimus. Sicut in novo omni populo, quod Livius de Romano ajebat (a); ita & in nova omni familia, *omnis repentina & ex virtute nobilitas fuit*. Neque alia certe apud Romanos veteres ad nobilitatem via, nec temere jactabat illa apud populum Marius (b) contra nobilitatem: *si jure despiciunt me, faciant idem majoribus suis, quibus, ut mihi, ex* virtute nobilitas *cœpit*. Qui consilio apud eos, vel manu potens rempublicam domi, aut foris administrandam susceperat, hic tantam laudem consequutus putabatur, ut posteris omnibus gloriæ, & magnæ quidem fuerit ab eo genus suum trahere. Hoc vero, quod manifestius fiet infra de veteribus Romanis, haud aliter se habet in omni bene constituta republica hac quoque ætate. Aliquem mihi memorate, qui fortitudine, prudentia, caritate in patriam ad rempublicam admotus sit, & in altissimo collocatus honorum fastigio, hic sane virtute sua in totam familiam, in *natos natorum, & qui nascentur ab illis* nobilitatem invehit. Quod utinam meminerint ii, qui tantopere nobilitatem suam jactant. Profecto hoc fieret, ne vellent ab hac majorum virtute degenerando, quod clarissimum ab illis acceperunt, vitiorum suorum sordibus nomen obscurare. Neque enim hanc avitæ gloriæ hæreditatem sine sacris adeundam esse, credendum est, quam posteri virtute cum avis certando in dies augere, & splendidiorem facere debent. Illis, qui secus sentiunt, plautinum illud (c) occinere debemus:

Itane tandem majores famam tradiderunt tibi tui,
Ut virtute eorum ante parta per flagitium perderes?

Si quid est in nobilitate bonum id esse arbitror, ajebat Boëtius (d), *ut imposita nobilibus necessitudo videatur, ne a majorum virtute degenerent*. Pulcrum quidem si de omnibus nobilibus id dici possit, quod Brutus Ciceroni de ejus filio scribebat: (e) *Cicero filius tuus sic mihi se probat, industria, patientia, labore, animi magnitudine, omni denique officio, ut prorsus numquam dimittere videatur cogitationem, cujus sit filius*. Commodus ille genere quidem nobilissimus, sed inter imperii sordes flagitiis suis numerandus, licet genus vitiis fœdaverit, imponere tamen futuræ ætati conatus est, cum adversæ illius nummi parti, quem ad jactandam nobilitatem cudi voluerat, mulierem imprimi jussit stantem, & hastam dextera tenentem, ut scilicet ipsam nobilitatem victoriis suis inclarescere significaret (f). Adeo non ignorant, quid de-

(a) *l. 1. c. 73.* (b) *Sallust. jugurt.* (c) *Trin. act. 3. sc. 2.* (d) *Cons. l. 3, p. 6.*
(e) *Brut. German. epist 3:* (f) *Vaill. Numism. Imp. Rom. l. 2.*

debeant facere, & qui minime faciunt, quod debent. Sed meum non est officii sui nobiles admonere.

C A P U T V.

Divitiæ non sunt nobilitas. Falsum est nobilitatem unquam emi. Plures ad nobilitatem viæ.

OCcurrendum jam est illis, qui, haud scio, an opinari possint, divitiis veterum nobilitatem contineri: Usurpant enim illud: (a)

— genus, *& formam regina* pecunia *donat*.

Si his persuasum est, formam *pecunia* donari, & genus donari credant; sin autem id a poeta ex sensu avarorum dictum est, qui omnia pecuniæ deferunt, id potius sibi persuasum velint: (b)

Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna *non mutat* genus.

Hæc duo itaque optime distinguit Historicus: (c) *hunc principem* genere, & divitiis; itemque infra: (d) *mulier nomine Busa*, genere *clara*, *ac* divitiis: alibi quoque (e): nobilis *idem*, *ac* dives *erat*. Cornelius Nepos (f): *Callias quidam non tam* generosus, *quam* pecuniosus, *qui magnas pecunias ex metallis fecerat*. Cornelius item Tacitus: (g) *Plancinæ nobilitate*, & opibus. Nihil enim divitiis unquam fuit, quemadmodum ne modo quidem est, cum nobilitate, sive novæ sint, sive a majoribus relictæ, ideoque inter angustias fortunæ M. Hortalus dicitur (h) retinens *avitæ nobilitatis*, quemadmodum etiam *natalium splendor*, quamquam paupertate pressum, Accium illum Suram (i) ad spem præturæ hortabatur.

Pro diversa tamen sententia citant nonnulli Aristotelem, qui ait: (k) *genere nobiles videntur esse*, *quibus majorum est virtus*, *& divitiæ*. Verum hæc Philosophum ex vulgi opinione loquutum, cum patet eo, quod pluribus locis in eodem politicorum opere nobiles, ac divites distinguit, tum eo maxime, quod nobilitatem supra (l) non timide dixerat, *videri*, sed plane fassus fuerat *generis esse virtutem*, hoc est *præstantiam*, ut Obertus Gyphanius interpretatur. Ex vulgi opinione multo magis loquutos, ne longior sim singulorum auctorum verbis referendis, omnes eos dicam, qui, nulla virtutis mentione solis divitiis nobilitari homines, asserunt. Vulgus autem, cujus oculos ni-

(a) *Horat. l. p. epist.* 10. (b) *Horat. epod. od.* 4. (c) *Liv. l.* 22. *c.* 24. (d) *ibid. c.* 52. (e) *l.* 3. *c.* 1. (f) *Cimon.* (g) *Ann. l.* 2. *c.* 43. (h) *Tac. ann.* 2. *c.* 38. (i) *Plin. l.* 10. *ep.* 7. (k) *Polit. l.* 5. *cap.* 1. (l) *l.* 3. *c.* 8.

nihil magis præſtringit, quam divitiæ, qui beatum neminem putant præter divites, divitiis etiam nobilitatem definire, cui mirum? præcipue cum divitiis nobilitatem egere ad tuendum locum ſuum, eiſque magis illuſtrari ultro docti etiam fateantur, laudentque Tiberium, qui *nobilitatem opibus juvandam*, (a) aliquando cenſuit, ac Veſpaſianum, qui *conſulares inopes quingenis ſeſtertiis annuis ſuſtentavit* (b).

Quamquam vero opibus, & divitiis nobilitas minime continetur, fit tamen ſæpiſſime, ut multi nobilitatem divitiis debeant. Prodendæ enim virtutis, ex qua una, iterum dico, nobilitas proficiſcitur, animique magnitudinis declarandæ occaſionem ſæpe magnis viris opes ſuppeditarunt, qui obſtante re anguſta domi numquam forte e ſordibus emerſiſſent. Qua una ratione noſtra etiam hac ætate auro parari poſſe nobilitatem, contendo. Nunquam enim venalis proſcribi nobilitas poteſt, licet vulgo dicamus, aliquos ſibi, ac ſuis nobilitatem pretio emere, eamdemque tanti indicari. Optime hoc quidem ille: (c)

Nobilitare hominem non ulla pecunia, nullæ
Divitiæ poſſunt: pretio nam dignior omni eſt
Nobilitas: hæc non emitur, nec venditur auro.

Cum Principes nobilium loco, titulis, jure illum donant, qui magnam auri vim in ærarium intulit, non ementi nobilitatem addicunt, ſed magno hoc præmio, ob levatum ærarium, civium in patriam amorem proſequuntur. Vera autem, & germana hæc, quæ vocatur, patriæ caritas ſit, necne, parum refert, cum præmia Princeps & militibus largiatur fortiter ob honoris ſpem, aut pœnarum metum agentibus, quorum tamen vera fortitudo non eſt, teſte Ariſtotele (d). Si, cum Veneti bello Januenſi ad Clodiam, civitatem ſuam optimo jure, ideoque nobilitatem, quæ apud ipſos optimo civitatis jure continetur, iis largiti ſunt, qui privatis ſumptibus *pecunia, commeatu, militeque, aut claſſem, aut litturales copias juvarunt* (e), nobilitatem tamen eos vendidiſſe, minime dicimus; cur iidem dicendi ſint nobilitatem vendere, cum eam illis largiuntur, qui opes difficillimis reipublicæ temporibus inferunt in ærarium, quibus claſſis parari poſſit, non video. Nempe eadem utrobique mihi videtur in patriam caritas, idem honeſtus, glorioſuſque divitiarum uſus. Nobilitatem itaque unius virtutis eſſe præmium, iterum ajo, virtuti tamen, ut eam promereri poſſit, aliquando divitias, aliquando etiam litterarum ſtudia materiam ſubjectam tantummodo eſſe.

Sed

(a) *Tac.ann. l.2 c.48.* (b) *Sueton.Veſp.c.17.* (c) *Palingen.Virg.* (d) *Ethic.l.3.c.8.*
(e) *Sabel. rer. Ven. dec. 2. l. 6.*

Sed ne diutius de verbis disputem, quod ad rem spectat, illud inter omnes constare arbitror, neminem nobilitatem consequi, nisi qui sanguinis sordes, ut ita dicam, eluat, & abstergat, nobiliumque quæ sunt, jura, & locum obtineat. Huc autem cum pervenire quis possit, civilis prudentiæ, fortitudinis, aliarumque virtutum specimen edendo, opes ad belli subsidia, seu pacis ornamenta conferendo, eloquentia, juris civilis scientia, aliisque disciplinis optime de republica merendo, per hæc omnia nobilitatem acquiri posse, fateor; horum ullo nobilitatem contineri, nego. Virtutibus insigni, divitiis pollenti, litteris instructo multæ patent ad nobilitatem viæ, cum tamen, neque virtus, neque divitiæ, neque litteræ ullæ aut sint modo, aut unquam nobilitas fuerint. Verum qui primus quacumque de causa ab iis, ad quos spectat, nobilium jure, ac loco donatur, hunc *novum* potius appellabo, quam *nobilem*: qui ab eo deinceps erunt, hos *nobiles* dicam, cum de illius meritis laus ad ipsos ventura sit.

Quæres tamen, cum Princeps homines nec privatim, nec publice utiles nobiles appellat, ac appellari jubet, quænam laus ad eorum posteros venire possit, ut nobiles sint? Licere hoc Principibus quemlibet, inopem, divitem, frugi, nequam, mediocris, infimi generis in nobiles cooptare, ita ut, quo cæteri, qui in eorum ditione sunt, nobiles optimo fruatur jure, certissimum puto, & veterum etiam exemplo infra docturus sum. Quoniam vero in Principum facta inquirere eorum reverentia prohibemur, taciti tunc Principis beneficium admiramur, virtutemque ejus, qui illud promeritus est, dum credere malumus, quam scrutari, illaudatos non sinimus, qui ab eodem sunt. Plura qui desiderat de nobilitatis acquirendæ ratione, Tiraquellum consulat, cum a nobis petenda non sint, qui de veterum agimus nobilitate.

CAPUT VI.

Majorum mentio ad significandam nobilitatem. Terræ filius pro ignobili. Genealogiæ. Imagines. Sine gente ignobilis. Nomen pro nobilitate. Quædam de multiplici Romanorum nomine. Nobilitas non est quid alienum.

Consuetudo obtinet apud auctores, ut majorum mentionem faciant ad significandam nobilitatem. Virgilius: (a)

Turnus avis, atavisque *potens*.

Ovi-

(a) 7. *Æn.*

Ovidius: (a)

Si modo non census, nec clarum nomen avorum,
Sed probitas magnos, ingeniumque facit.

Martialis ad Gelliam: (b)

Dum proavos, atavosque *refers & nomina magna.*

Cicero: (c) *homini ille honorem, non generi: moribus, non* majoribus meis, *virtuti perspectæ, non auditæ nobilitati.* Plinius (d): *illos ingentium virorum nepotes, illos posteros libertatis.*

Hinc factum est, ut qui ignobilis erat, *terræ filius* nuncuparetur, ut pluribus ostendit Angelus Politianus (e). Cum enim ignotis parentibus, & obscuris ortus esset, ita appellabatur, ac si bruta terra natus esset, cui pudor erat patrem ciere. Ideo apud Ciceronem hoc habemus: (f) *Cn. Octavius, an Cn. Cornelius quidam familiaris tuus, summo genere natus*, terræ filius. Obscurissimum hominem, de cujus ne nomine quidem constabat, postquam irridens summo genere natum dixit, terræ filium appellat. Hinc ille (g) *fraterculos gigantum*, ille (h) *terræ progeniem* hujusmodi fortis homines vocat. Aliud tamen significat *terræ filius* apud Petronium, ubi ait: (i) *& ille stipes, dum fratri suo irascitur, nescio cui* terræ filio *patrimonium legavit*. Sumitur enim hic *terræ filius* pro alieno, extraneo, quem nulla affinitate, nullo grado contingas. Hinc optime subdit satyricus ex Varrone illud: *Longe fugit, quisque suos fugit.*

Porro quoties alicujus nobilitatem luculentius ostendere, & extollere volebant veteres, quid aliud faciebant, quam quod modo facimus? scilicet genealogias ordinabant, & a primo generis auctore totam posterorum seriem recensebant. Virgilius, ut Latini nobilitatem explicaret: (k)

Hunc Fauno, & Nympha genitum Laurente Marica
Accipimus. Fauno Picus pater: isque parentem
Te, Saturne, refert, tu sanguinis ultimus auctor.

Apud Ovidium Ajax: (l)

Nobilitate potens essem Telamone creatus,
Mœnia qui forti Trojana sub Hercule cœpit,
Littoraque invasit pegasæa Cholca carina.
Æacus huic pater est, qui jura silentibus illic
Reddit, ubi Æolidem saxum grave Sisyphon urget.
Æacon agnovit summus, prolemque fatetur
Juppiter esse suam, sic a Jove tertius Ajax.

Et

(a) *l. 5. Pon. eleg* 10. (b) *l. 5 epig.* 17. (c) *In Pis. c.* 2. (d) *Paneg. c.* 69.
(e) *Miscell. c.* 8. (f) *l. 7. famil. epist.* 9. (g) *Juven. Sat.* 14. (h) *Pers. sat.* 3.
(i) *in fragm. Trag.* (k) *Æn.* 7. (l) *Metam.* 13.

Et Ulysses pariter, cum de nobilitate certaret, similem profert majorum seriem (a). Ita etiam Historici, inter quos Plutarchus Pyrrhi (b), nec non Agidis, & Leonidæ (c) majores per gradus commemorat, & quot distent gradibus a primo nobilitatis auctore ostendit.

Sed nullo tempore non fuit hoc in usu, ut ad familiarum splendorem prodendum docti viri integras conscriberent ex professo genealogias, inter quos sic familiarum originem subtexuit Pomponius Atticus, ut, quemadmodum auctor ejus vitæ (d) testatur, *ex eo*, donec extavit, *clarorum virorum propagines* potuerint omnes cognoscere. Quoniam autem nemo non solitus omnibus sæculis de sua nobilitate gloriari, solitum quoque fuisse veteribus id curare, ut familiarum suarum genealogia ab aliquibus conscriberetur, discimus ab eodem auctore, qui hoc rogatum a M. Bruto, a Marcello, a Scipione, a Fabio Maximo eumdem Atticum tradit: (e) *Fecit hoc idem* [Pomponius Atticus] *separatim in aliis libris, ut Marci Bruti rogatu Juniam familiam a stirpe ad hanc ætatem ordine enumeravit, notans, qui, a quo ortus; quos honores, quibusque temporibus cœpisset: pari modo Marcelli Claudii de Marcellorum, Scipionis Cornelii, & Fabii Maximi de Corneliorum, & Fabiorum, & Æmiliorum quoque.*

Propterea cum, qui nobilitatem jactabat, idem majorum suorum seriem jactaret, cæperunt majorum imagines domi tanta diligentia servari, & ostentari verissimum nobilitatis argumentum, ut si quis nullas domi imagines haberet, nobilis nequaquam haberetur. Jus itaque imaginum a Rosino (f), & Sigonio (g) dicitur idem esse, ac jus nobilitatis, scilicet, quod qui nobiles erant, hoc sibi sumebant, ut imagines suorum ponerent, ac per eas vellent ab obscuris discerni, qui minime audebant posteris custodiendos parentum vultus committere, quorum facta non poterant posterorum memoriæ mandare. Quare optime metonymicῶς dicitur nobilitas esse ab imaginibus, a majoribus scilicet, quorum imagines servantur, & imagines pro ipsa nobilitate sumuntur, quemadmodum Cicero: (h) *obrepsisti ad honores commendatione fumosarum imaginum*. Sed de imaginibus plura alibi.

Huc etiam spectat, quod præclarum ducebatur apud Romanos gentem habere, & jure gentilitatis frui. Contra ignobiles *sine gente* dicebantur. Horatius: (i)

Qui quamvis perjurus erit, sine gente, *cruentus*
Sanguine fraterno.

(a) *ibidem*. (b) *in Pyr.* (c) *In Agid.* (d) *Corn. Nep. in Att.* (e) *l. c.*
(f) *Antiq. Rom. l. 1. c. 19.* (g) *de jure Civ. l. 2. cap. 20.* (h) *In Pis. cap. 1.*
(i) *l. 2. Sat. 5.*

Gens autem modo late sumitur pro qualibet cognatione:

— *Priami de* gente *vetusta :* (a)

— *Bellum gerimus cum* gente *Deorum* (b) *:*

hinc sacra, *hinc* gens, *hinc majorum multa vestigia* (c) *: colligere sparsas* gentilitates (d) : modo pressius *gens* ita refertur ad familiam, ut *gens*, quemadmodum scribit Sigonius, (e) *ad nomen*, *familia ad cognomen referatur* . *Itaque illa totum continere videtur* , *hæc quodammodo partem : exempli causa Cornelii omnes unius gentis esse dicuntur*, *quia uno nomine continentur omnes* , *at vero partes gentis hujus sunt plures* , *quæ ex cognominum varietate distinctæ sunt*, *eæque familiæ dicuntur* , *ut Cornelii Dolabellæ ; Cornelii Cethegi* , *Cornelii Scipiones* , *Cornelii Lentuli* , *itemque in cæteris* . *At vero Cornelii omnes unius existunt gentis* . Hæc ille; sed tamen hoc vocum discrimen non perpetuo servari ab auctoribus , obiter notandum ex Livio , qui sex & trecentos Fabios , patricium illum exercitum contra Vejentes profectum modo gentem , modo familiam vocat : *tum Fabia* gens *senatum adit*, *consul pro* gente *loquitur* (f). At deinde : familiam *unam subjisse civitatis onus* (g). pariterque continua oratione : *sex & trecenti milites omnes patricii* , *omnes unius* gentis, *quorum neminem ducem sperneret egregius quibuslibet temporibus senatus*, *ibant unius* familiæ *viribus Vejenti populo pestem minitantes* (h). A gente autem dicti gentiles, qui ejusdem gentis inter se erant , & gentilitas ipsa inter gentiles cognatio . Sed aliquando gens, & gentilitas significat jus quoddam , quod gentilitatis dicebatur, & quo utebantur gentiles inter se. De hoc statim inferiori capite agemus.

Animadvertendum hic est, adeo præclarum Romanis visum posse gentem jactare, ut a nomine, quod præclari viri gentis auctores tradiderant, totam generis gloriam trahentes , *nomen* pro nobilitate sumerent. Tullius: (i) *ista vestra* nomina *nunquam sum admiratus : viros esse*, *qui ea vobis reliquissent* , *magnos arbitrabar* . Idem : (k) *est tuum* nomen *utraque familia consulare* , atque alibi : (l) *posteris suis amplitudinem* nominis *tradere*. Ita etiam de nobilissima Brutorum familia: (m) *est quasi Deorum immortalium beneficio*, *& munere datum Reipublicæ Brutorum genus*, *&* nomen *ad libertatem populi Romani vel constituendam*, *vel recuperandam*. De nova pariter Catonis nobilitate: (n) *venit mihi in mentem M. Catonis hominis sapientissimi*, *qui cum se virtute* , *non genere populo Romano commendari putaret*, *cum ipse sui generis initium*, *ac* nominis *ab se gigni ac propagari vellet* , *hominum potentissimorum susceepit ini-*

(a) *Virg. æn.* 9. (b) *Idem æn.* 12. (c) *Cic. legg.* 2. *c.* 3. (d) *Plin. Paneg. c.* 39.
(e) *ad Liv. l.* 4. *c.* 1. (f) *l.* 2. *c.* 48. (g) *ibid. c.* 49. (h) *ibid.* (i) *l.* 3. *Epist. fam.* 7.
(k) *pro Planc. c.* 18. (l) *pro Mur. c.* 16. (m) *Philip* 4. *c.* 7. (n) *in Ver. l.* 5. *c.* 180.

inimicitias. Plinius Junior: (a) *quibus imaginibus oneretur, quæ* nomina, *& quanta sustineat.* Ovidius (b)

Credidimus blandis, quorum tibi copia verbis,
Credidimus generi, nominibusque *tuis*.

Nomen autem proprie ad gentem refertur. Cum enim Romani, ut viri docti observarunt (c), multiplici appellarentur nomine; primo, quod & *prænomen*, personæ distinguebantur, altero, quod proprie *nomen*, gentes, tertio, quod & *cognomen*, familiæ, quibus insuper addi aliud aliquando solebat ex aliqua ratione, vel eventu quæsitum, quod *agnomen* dicebatur, quamquam hoc quoque *cognomen* improprie dictum invenies. Livius hæc habet de Cornelio Scipione (d): *Africanum* cognomen *militaris prius favor, an aura popularis celebraverit, an sicut Felicis Sullæ, magnique Pompeii patrum memoria cœptum ab assentatione familiari, parum compertum habeo. Primus certe hic imperator nomine victæ ab se gentis nobilitatus: exemplo deinde hujus nequaquam victoria pares, insignes imaginum titulos, claraque* cognomina *familiæ fecere.*

Quærendum modo mihi est, an tot hæc nomina *nobilium* tantummodo fuerint, cujus rei suspicionem movet illud Ausonii de ternario numero: (e)

Tres equitum turmæ, tria nomina nobiliorum.

Fere omnes Juvenalis interpretes, inter quos & vetus Scholiastes, id affirmant, ad illud poetæ: (f)

Et ponere foris, si quid tentaveris unquam
Hiscere, tamquam habeas tria nomina.

Ipse tamen dicam cum Politiano: (g) *tria nomina nec soli habebant nobiles, nec universi.*

Soli certe nobiles non habebant, cum non ignobiles tantum, ut M. Porcius Cato, M. Tullius Cicero ita vocarentur, antequam ullum iniissent magistratum, sed & liberti tribus nominibus appellarentur. Prænomen enim inditum servis tunc statim, cum manumitterentur, clarum ex Persio: (h)

Verterit hunc Dominus, momento temporis exit
Marcus *Dama*.

Patroni autem prænomen imponi libertis solebat, licet aliud etiam aliquando sibi sumerent, ut tradit idem Politianus (i) quamdam Ciceronis epistolam interpretatus, cum quo sentit Antonius Augustinus (k). Ita Cicero ad Atticum: (l) *de Eutychide gratum, qui vetere præ-*

(a) *l. 3. epist. 3.* (b) *ep. Phyl. ad demoph.* (c) *Sig. de nom. Rom. c. 2* (d) *l. 30. c. 45.* (e) *Edyll. 11.* (f) *Sat. 5.* (g) *Miscell. c. 31.* (h) *Sat. 5.* (i) *l. c.* (k) *emend. l. 3. c. 8* (l) *l. 4. Att. 15.*

prænomine, *novo nomine T. erit Cæcilius*, *ut eſt ex me*, *& ex te junctus Dionyſius*, *M. Pomponius*. Eutychides igitur libertate donatus ab Attico, poſtquam hic per adoptionem avunculi non T. Pomponius, ſed Q. Cæcilius vocabatur, maluit tamen vetus patroni prænomen ſumere, & Titus appellari; Dionyſius vero ante adoptionem manumiſſus, non patroni, ſed Ciceronis prænomine Marcus dici maluit, ſive, ut, quæ inter ipſum, patronumque intercedebat, amicitiæ adplauderet, ſive ut ſe utrique obnoxium declararet. Nomen autem ille Cæcilii, hic Pomponii ſumpſit, cum id de patroni gente nemo non ſumeret, cujus nominis novam familiam liberti ordiebantur, vetere eorum nomine, quo ante manumiſſionem vocabantur, in familiæ cognomen converſo. Hinc Cæcilia Eutychidum, Pomponia Dionyſiorum, ac Pompeja Theophanum, Tullia Tironum, quarum gentium auctores memorati Eutychides Q. Cæcilii, Dionyſius T. Pomponii, necnon Theophanes Pompeii, ac Ciceronis Tiro liberti.

Quoties vero aliquem cum Romano nomine, & barbaro cognomine inveneris; hunc continuo ſervorum genus ne exiſtimes. Et id enim noveris, ſi quis peregrinus Romanam civitatem adipiſceretur, hunc conſueviſſe nomen ſibi ſumere ejus gentis, e qua ille erat, cujus beneficio, aut lege in civitatem Romanam venerat, vetere, quo appellabatur, nomine ad novam familiam, quæ tum primum civitatis jure potiebatur, diſtinguendam ſervato. Obvia exempla afferam. Archias Antiochenus auctoritate, & gratia Luculli, ut Tullius teſtatur (a), ab Heracl enſibus impetrata civitate, atque hinc Romanam conſequutus, A. Licinius Archias dictus eſt, quoniam e Licinia gente Luculli: Balbus Gaditanus civitate a Pompejo (b) lege Cornelia donatus L. Cornelius Balbus vocari cœpit. Eamdem ob cauſam Demetrium Megam P. Cornelium vocatum, quod per Cornelium Dolabellam a Cæſare civitatem impetraverat, Tullius narrat (c). *Cum Demetrio Mega mihi vetuſtum hoſpitium eſt: familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella rogatu meo civitatem a Cæſare impetravit: qua in re ego quoque interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur*. At aliam ob cauſam Philoxenus quidam Avianio ſibi nomen fecit, eodem Tullio teſte (d): *Avianius Philoxenus antiquus eſt hoſpes meus, & præter hoſpitium valde etiam familiaris: quem Cæſar meo beneficio in Novocomenſes retulit. Nomen autem Avianii ſequutus eſt, quod homine nullo plus eſt uſus, quam Flacco Avianio*. Puto tamen hoc rarius

(a) *pro Arch. cap.* 6. (b) *Cic. pro Balb. cap.* 19. (c) *famil. lib.* 13. *ep.* 36.
(d) *ibid. ep.* 35.

rius accidisse, ut aliud nomen hi novi cives sequerentur, quam ejus, cujus opera, beneficio, lege civitatem erant adepti.

Jam vero neque universi nobiles tribus nominibus utebantur. Cognomine enim nullo usus C. Marius ne post septimum quidem consulatum, nullo Antoniorum familia plebeja, quæ tamen nobilissima. Agnomen autem modo aliquorum peculiare fuit, ut Affricanus, Asiaticus, modo totius familiæ commune, idque præcipue cum alicujus gentis familia in alias familias secabatur, ut e Cornelia gente familia Lentulorum, qui in Caudinos, Lupos, Suras, Spintheres, Marcellinos dividebantur.

Sed ex iis, quæ de *genealogiis*, de *gente*, ac *nomine* dicta hoc capite sunt, satis liquere arbitror, nobilitatem etiam apud veteres nihil fuisse aliud, quam majorum gloriam, qua eorum posteri aspergebantur. Cæterum quamquam hinc probabilis satis fit Boëtii definitio, nequaquam tamen cum eo sentio, cum ex definitione sua infert, alienum quid esse nobilitatem, *quæ*, ait ipse, (a) *si ad claritudinem refertur, aliena est*. Aqua enim, licet fonti debeatur, ejus tamen alvei est, in quem defluit. Est aliqua gloriæ hæreditas, sicut pecuniæ, quæ si cui evenit, ejus est. *Optima hæreditas*, teste Cicerone, (b) *traditur liberis, omnique patrimonio præstantior gloria virtutis, rerumque gestarum, cui dedecori esse nefas, & impium judicandum est*. At si quis ipsi dedecori est, is adhuc maximo suo malo nobilis est, vel omni nobilium jure multatus. Magno Brutorum generi dedecus fuit in Marco illo, qui tamen adhuc esse dicitur Bruto nomine: (c) *iisdem temporibus M. Brutus, in quo magnum fuit, Brute, dedecus generi vestro, qui cum tanto nomine esset, patremque optimum virum habuisset, & juris peritissimum, accusationem factitavit, ut Athenis Lycurgus*. Aliquid naturæ imbibitum, atque ita proprium, ut exui minime possit, nobilitatem esse, significavit pariter Tullius, cum Appiorum, & Lentulorum nobilitatem, licet per contemptum, *Appietatem* vocavit, (d) & *Lentulitatem*. Tacitus etiam nobilitatem ingenitam dicit, quam non sibi peperit Drusus, sed majoribus debuit, quæ ejus tamen fuit, si illi adnata. (e) *Drusus*, ait, *quamquam rudis dicendi, tamen nobilitate ingenita incusat priora, probat præsentia*.

CA-

(a) *l. 3. p. 6.* (b) *Offic. 1, cap. 121.* (c) *Cic. Brut. cap. 130.* (d) *lib. 3. fam. ep. 7.*
(e) *l. 1. ann. c. 29.*

CAPUT VII.

De jure gentilitatis. Nobiles unde nostratibus dicti gentiles. Venetorum cognomina omnium antiquissima.

DE jure gentilitatis acturum me hoc capite pollicitus sum. Hoc aliquando proprium tantummodo fuisse patriciorum constat ex Livio, qui, cum ageretur de connubiis patrum, ac plebis, ait, ratos, Patres, (a) *contaminari sanguinem suum, confundique jura gentium*, & clarius, ubi plebejus ita patricios alloquitur: (b) *semper ista, audita sunt eadem, penes vos auspicia esse, vos solos* gentem *habere*. Fortasse enim soli patricii prioribus saltem temporibus erant, qui etsi in plures familias discreti, singulos tamen singularum gentium auctores, tamquam omnium ramorum stipitem, seu omnium rivulorum fontem ostentare, & jactare poterant, unde sua cujusque familia diducta; secus vero plebeii gentem habere non poterant, qui obscuris parentibus orti, a quo quisque derivaretur, unde quisque existeret, minime poterant ostendere, ideoque gentem, seu gentilitatem soli patricii habere dicebantur, sibique tantum gentilitatis jura sumebant, quibus frui plebeiis, utpote ignobilibus minime permissum.

Utrum vero postquam plebeiis patuit aditus ad honores, ideoque ad nobilitatem, illi quoque gentem habere dicti sint, hoc est jure gentilitatis sint usi, affirmat quidem Sigonius (c), sed ut verum fatear, res non videtur mihi tam facile judicanda. Ad hoc affirmandum adducitur ille verbis Decii apud Livium, (d) qui plebejos pares patriciis facit, quod illi ex ingenuis orti sint, æque ac patricii. Sed hic locus nihil me movet, ubi omnia oratorie a Decio dicuntur, & ex illius verbis non tantum gentem esse plebeiis, evincitur, sed eosdem etiam esse patricios, ut idem Sigonius vidit. En integer Livii locus: *Semper ista audita sunt eadem, penes vos auspicia esse, vos solos gentem habere, vos solos justum imperium domi, militiæque. Æque adhuc prosperum plebejum, ac patricium fuit, porroque erit. En unquam fando audistis, patricios primo esse factos, non de cœlo demissos, sed qui patrem ciere possent, idest nihil ultra, quam ingenuos? Consulem jam patrem ciere possum, avumque jam poterit filius meus.* Ex hac Decii oratione quid unquam pro Sigonii sententia efficitur? Si laus enim gentilitatis plebeiis communicata est, ecquando hoc fuit, nisi

(a) *l.4.c.1.* (b) *l.10.c.8.* (c) *ad Liv. l.10.c.8.* (d) *l.c.*

nisi cum communicata ipsis nobilitas? Atqui Decius affirmat tunc fuisse nobilitatem plebeiis: *jam ne nobilitatis quidem suæ plebejos pænitere* [a]; cum tamen, quamquam nulla re patriciis inferiores plebejos esse contendit, palam dicat, eis solum gentem fuisse: *semper ista audita sunt eadem, vos solos gentem habere*, quam laudem deinde elevaturus, docturusque, eos inania nomina jactare, ut se verbis superiores faciant illis, quibus re pares sunt, illa subjicit, quæ modo attulimus. Tamen rem adhuc dubiam facit, quod Scævola apud Tullium [b] gentiles, eos scilicet, qui ejusdem inter se gentis erant, ita definit: *Gentiles sunt, qui inter se eodem nomine sunt, qui ab ingenuis oriundi sunt, quorum nemo servitutem servivit, neque capite diminutus est*. Ex hac definitione satis ostenditur, inquit Alciatus, [c] *id jus*, (gentilitatis) *quod solis patriciis competebat, ad plebejos quoque perductum cum ingenui ipsi, majoresque sui semper fuissent*. Interpres etiam Ciceronis, non aliunde ait, [d] dici gentilitatem, quam ab ingenuorum antiquitate. *Gentiles sunt qui eodem nomine inter se sunt, ut Scipiones, Bruti, & cæteri. Quid si servi sunt? Num ulla gentilitas esse potest? Minime. Quid si libertinorum civium Romanorum eodem nomine nuncuparentur.? Num ulla gentilitas est? Ne id quidem, quoniam* ab antiquitate ingenuorum *gentilitas dicitur*. Hinc cum gentilitas hæc nihil videatur plus dicere, quam ingenuitatem, & plebejorum nobilium gentilitatem fuisse, arbitrati nonnulli, quos non refellit Alciatus, [e] *gentiles*, dixerunt, esse *clarioris familiæ agnatos*, & Turnebus: [f] *gens*, ait, *inter nobiles erat, qui capitis nullam erant diminutionem passi*. Mihi etiam non parum momenti pro hac sententia posse addere videtur, quod Boëtius [g] Brutos commemorat, ut gentilium exempla afferat, qui Bruti sive a L. Junio illo patriæ liberatore propagati essent, sive non, certe inter plebejos numerabantur. Quamquam Boëtius, ut male, licet vir acerrimo judicio, Scipiones, & Brutos gentiles vocat, cum Scipionum gens Cornelia fuerit, Junia Brutorum; ita etiam falli potuit, cum plebejos gentilibus accensuit. Falli tamen Tullium non æque mihi probabile est, qui M. Pennum M. Bruti gentilem vocat, quoniam & Penni ex eadem gente Junia, qua Bruti: [h] *tuus vero gentilis Brute, M. Pennus*. Nihilominus aliud videtur suadere alius Ciceronis locus, unde colligi potest, nullum plebeiis, quantumvis nobilibus, jus gentilitatis fuisse. Ita ille [i]: *cum Marcelli ab liberti filio stirpe, Claudii patricii ejusdem hominis hæreditatem gente ad se rediisse dicerent,* *non*

---

[a] *l. c.* [b] *Topic. c.* 29. [c] *Parerg. jur. l.* 1. *c.* 12. [d] *Boet. in Top. Cicer.* [e] *com. in ff. tit. de verb. sign.* [f] *in Cicer. legg.* 2. [g] *l. c.* [h] *Brut. c.* 109. [i] *De orat. l.* 1. *c.* 176.

non ne in ea causa fuit oratoribus de toto stirpis , ac gentilitatis jure dicendum? Ex his fluctuat Alciatus, &, *apparet*, inquit, [a] *gentiles proprie dictos patricios inter se. Vellem equidem*, inquam ego cum magni nominis jurisconsulto, [b] *illæ orationes de utroque jure, vel etiam ipsum de hac causa centumvirale judicium sententiaque extaret* . Tunc sane rem satis dubiam dijudicare facile possemus . Attamen credi adhuc potest, quamvis gens dicat solum ingenuitatem , multum hinc accessisse ratos nobilitati suæ patricios , ut hoc nomine se ab origine ingenuos profiterentur, hancque propterea laudem , & quod ex illa jus , cum cæteris nobilibus ipsos numquam communicasse, quorum ingenuitatem, ut ut antiquam, ab origine non fuisse videri voluerint . Contra vero non ita facile omnibus probabitur , quod ex unico Plinii loco Alciatus [c] asserit, scilicet servis quoque aliquando, fortasse ante leges duodecim tabularum, jus fuisse gentilitatis. Hoc Plinius : [d] *singuli Marcipores , Luciporesque* (ita antiquis servi vocabantur Marcipor, Publipor , hoc est Marci puer , Publii puer) *dominorum gentiles vitam in promiscuo habebant* . Alii aliter locum hunc interpretantur. Ego id existimo , ad melius significandam hanc servorum , ac dominorum similem , & in promiscuo vitam, quam ibi Plinius exaggerat , late , & translate eos dominorum gentiles appellatos, quemadmodum Tullius [e] homines , dicit , *Deorum agnatione & gente* teneri , atque eo , quod similitudo hominibus cum Deo intercedit, Dei cognatos homines vocat: [f] *est homini cum Deo similitudo. Quod cum ità sit, quæ tandem potest esse propior, certiorve cognatio?* Sed quæ essent jura hæc gentilitatis jam videamus.

Erant hæc jura hæreditatum, & tutelarum. Ita Balduinus: [g] *ego existimo gentilitatem, cui competunt jura hæreditatum, & tutelarum*. De hoc eodem jure Alciatus: [h] *existimatur autem id juris patriciis fuisse , ut , excluso fisco, cujuslibet cognominis sui hæreditatem gentilitio jure ad se traherent* . Hoc duplici duodecim tabularum lege videtur posse colligi: *Si pater familias intestatus moritur , familia , pecuniaque ejus agnatorum, gentiliumque esto*. Item alia: *si furiosus existat , agnatorum, gentiliumque in eo, pecuriamque ejus potestas esto*. Accedit locus Ciceronis: [i] *Minucius quidam mortuus est ante istum prætorem. Ejus testamentum nullum erat: lege hæreditas ad gentem Minuciam veniebat* . Item Svetonius, qui refert, [k] Cæsarem multatum *gentilitiis hæreditatibus* a Sulla. Jus tutelarum collige ex joco illo Ciceronis: [l] *simul illud*

[a] *Parerg. jur. l.* 1. *c.* 12. [b] *Balduin. in legg.* 12. *Tab. c.* 30. [c] *l. c.* [d] *l.* 33 *c.* 1. [e] *legg.* 1. *c.* 23. [f] *ibid. c.* 25. [g] *l. c.* [h] *l. c.* [i] *in Ver. l.* 1, *c.* 115. [k] *Cæsar. c.* 1. [l] *pro Cor. Bal. c.* 56.

illud nesciebat prædiorum nullam esse gentem : emptionibus ea solere sæpe ad alienos homines, sæpe ad infimos, non legibus, tanquam tutelas, pervenire. Mirum vero videatur nemini, si satis certum, satis firmum nihil de hac gentilitate attulimus, quando nondum constat inter jurisconsultos, utrum gentiles iidem, ac agnati sint, an diversi. *Res adhuc tota*, inquit Balduinus (a), *valde obscura est, & confusa. Quidam enim putant agnatos, & gentiles fuisse eosdem, quidam ita diversos, ut neutri teneant, quod quærimus*..

Sed satis nondum in his tenebris erravimus. Est aliquid, quod adjicere non alienum a proposito nostro sit. *Fuit & alia gentilium in jure interpretatio*, ait Alciatus, (b) *nempe ut quemlibet significet Romano imperio non subjectum, quia non jure civili, sed jure gentium vivit, quo fit, ut perinde sit, cum gentilem dicas, ac si barbarum*. Quod deinde probat ex Theodosiano codice lib. I. de Nuptiis. Idem innuit Marcus Velserus in sua historia (c), & potissimum circa theodosianum ævum ita appellari cæpisse barbaros credit, probatque tum auctoritate codicis citati, tum constare ait sæpius ex Notitia. Huc etiam trahit Claudianum. (d)

— cum mixto turbine gentes
Jam deserta suas in nos transfunderet Arctos :

atque illud (e):

Discite vesanæ Romam non temnere gentes.

His adde tu Cassiodorum: (f) *ibi enim impetus* gentilis *excipitur, & transmissis jaculis sauciatur furibunda præsumptio*, ac paulo post. *sic* gentilis *impetus vestra venatio est:* Adde & Jornandem: (g) *quia tunc Odovacer regnum Italiæ occupasset, Zenon Imperator cernens jam* gentes *illam patriam possidere*. Rursus paucis interjectis: *ovansque rex* gentium, *& consul Romanus Theodoricus Italiam petit*. Sed fortassis, & multo ante ita loquuti scriptores Romani. Lucanus: (h)

— date gentibus *iras*.

Martialis (i):

Terrarum Dea, gentiumque *Roma*.

Quin ipse Cicero distinxit cives a gentibus : (k) *quibus auctoribus, & defensoribus omnium tum salus esset non civium solum, verum etiam* gentium *defensa, ac retenta*.

Oriri hinc potest dubium, utrum cum in Italia, Gallia, Hispania, Britannia quoque *gentiles* pro nobilibus dicuntur, hoc desumptum sit ab antiqua illa *gentilium* appellatione;, qua nimirum genti-

E les

(a) *l.c.* (b) *Parerg. jur. l. 1. c. 13.* (c) *Rer. August. lib. 8.* (d) *de 4. Consul. Honor.* (e) *ibid.* (f) *Variar. lib. 7. epist. 4* (g) *de Reg. succ.* (h) *l. 2.* (i) *l. 12. epigr. 8.* (k) *pro Flac. c. 2.*

les audiebant ingenui ab origine, & quorum majores nulli servitutem serviſſent, an ab hac inferioris longe ævi propria, cum *gentiles* barbari vocabantur. Prioris ſententiæ Budæus fuit (a), cum quo ſentit Tiraquellus (b): ſed alterum venit in mentem citato Velſero, cujus hæc ſunt: (c) *Hinc nimirum fluxit, quod cum barbari poſtmodum in devictis provinciis meliori quam Romani jure uterentur* (hoc autem probat quadam ex Ripuariis legibus) *gentilitatis nomen exiſtimationem induerit, paulatimque res eo prolapſa ſit, ut* gentiles homines *pro nobilibus dicerentur, quæ in Italia, Gallia conſuetudo, item Hiſpania quodammodo ad hoc ævi tenet*. In hanc ſententiam ipſe etiam animum inclino. Neque enim, cum hæc loquendi apud noſtrates conſuetudo tunc cœperit certe, cum nullum juris Romani, nullum Romanorum morum, nullum fere Romani ſermonis, qui in alios corruptus abibat, veſtigium, aut vola; adduci poſſum, ut credam, novam hanc nobilium appellationem ab antiqua illa, & adeo eleganti *gentilium* ſignificatione, quod puram putam ſaperet urbanitatem, fluxiſſe. Neque moveor tantum, quod in provinciis meliori jure uterentur barbari, quam Romani, ſed multo magis, quod in ipſa Italia, atque adeo in urbe ipſa aut omnes revera *gentiles* erant, ac barbari, aut forſitan, ſiqui Romanæ originis ſupererant, hi ad odium declinandum, & vitanda nova mala, quæ certe potiſſimum in nobiliores parabantur, quo nobiliores erant, eo enixius barbaros ſe, & e *gentibus* dici, & credi volebant; turpe hoc nomen ſaluti obtendentes. Jornandes hoc innuit: (d) *Beliſarius Romanam urbem ingreſſus eſt, exceptuſque ab illo populo* quondam Romano, *& Senatu, jam pene* ipſo nomine *cum virtute ſepulto*. Sed eventus ipſe hoc docet. Adeo Romanum nomen, adeo Romanarum gentium, & familiarum memoria aut omnino deleta, aut barbariæ tenebris obſcurata, ut ſe ipſum nemo noſceret, neque per illa ſæcula cujus gentis eſſet, ſciret aliquis. Cognominum enim, ut modo vocamus, quæ gentem ſignificant, & Romanorum nominibus reſpondent, nullus tota Europa uſus, poſtquam Romanum Imperium, ejuſque quondam ſedem Italiam barbari irruperant. Quæ autem poſt longa tandem intervalla cœperint ſtabili, proprioque cognomine diſtingui inter ſe, eæ fuerunt veteres, & Tribuniciæ, quas vocant, familiæ Venetorum, quæ omnium Italicarum, & exterarum primæ hujuſmodi cognomina uſurparunt, ut animadvertit Clariſſimus Vir, nullique ſatis laudatus Juſtus Fontaninus (e). Hoc vero conſtat ex diplomate anno DCCCCLXXXII. confecto (f), quo Tribunus Mem-

(a) *in Pand.* (b) *c. 2. n. 53.* (c) *l. c.* (d) *l. c.* (e) *Vind. de re dipl. in app. pag. 255.*
(b) *Apud Ughel, tomo 5. col. 1272. edit. Rom.*

Memmus Dux insulam Sancti Georgii Majoris Beato Joanni Mauroceno donat, ac Monachis Sancti Benedicti, ubi inter cæteros quamplurimos, quorum familiæ modo extinctæ sunt, diplomati subscriptos legimus, earum familiarum, quæ modo etiam vigent, ac florent, *Bragadinos*, *Bembos*, *Maurocenos*, *Contarenos*, *Baduarios*, *Aurios*, *Basilios*, seu, ut græcizantes tunc scribebant, *Vasilios*, *Dandulos*, *Gradonicos*, *Marcellos*, *Longos*, *Mauros*, *Barbaros*, *Bonos*, *Magnos*, *Justinianos*, *Zenos*, *Capellos*, quos ordine, quo illic extant, recensui.

Plura ex hoc diplomate erui possent ad Venetas antiquitates illustrandas; ipse duo obiter colligo, quæ ad eadem cognomina spectant. Primum manifestum est, quam vetusta sit nostrorum consuetudo, ut cognomen litera O finitum nulla per casus flexione scriberent, quod ab illis usque temporibus ad nostra perpetuum durat, quemadmodum nunc etiam ita publica diplomata, ac nummi inscribuntur Principis nomine, qui octavum jam annum Reipublicæ præest: *Joannes Cornelio Dux Venetiarum* (a). Omnes fere, qui nomen suum diplomati relato subscripsere, singuli certe ex illis, quas numeravi, familiis eamdem scribendi rationem usurpant, præter Maurocenos, ac Contarenos, quorum alii aliter scribunt. Extat nimirum Dominicus *Mauroceno*: Stephanus *Maurocenus* filius Petri *Mauroceni*: Petrus *Mauroceni* filius Petri *Mauroceni*, pariterque, Ego Dominicus *Contareno*: Signum manus Vitalis *Contareni*, nisi typorum error sit, namque ipse authographum, sive ex authographo exscriptum minime vidi, quamvis id facile potuissem.

Advertendum deinde, aliqua Venetorum cognomina ex propriis nominibvs facta. *Baduarii* enim, qui antea *Particiaci*, seu *Participatii*, ut annales nostri testantur, sic dicti sunt proculdubio a gentilium aliquo, cui *Baduario* fuit nomen. Baduarius autem nomen proprium fuisse, eo patet, quod & Bragadinorum aliquis ita vocabatur. Post nomen enim Tribuni Ducis statim legitur: signum manus *Baduarii Bragadino*, & multis interjacentibus deinde: ego *Leo Bragadino*, statimque: signum *Joannis Baduario*. Propterea, cum illinc constet etiam, aliquem fuisse qui *Fuscarenus* nomine proprio appellabatur, siquidem legitur: *signum manus filii* Fuscareni *Micani*, probabile fit, præclarissimam *Fuscarenorum* familiam ab aliquo, cui *Fuscareno* nomen, cæpisse cognominari. Huic fundamento innixa non probari omnibus non potest nuper deprompta ab eodem celeberrimo Fontanino (b) conjectura, eoque magis, quod præjudicatam a longo

(a) *an.1717. edita est primum hac dissertatiuncula Venetis apud Jo: Baptistam Recursi.*
(b) *Dissert. de Sanct. Petro Ursaolo praf.*

tempore vulgi opinionem evertit, scilicet a *Particiaca* longe nobilissima apud nostrates gente, ut *Baduarii* per aliquem proprio nomine *Baduarium*, ita *Ursones* seu *Urseolos* per *Ursum* seu *Ursonem* aliquem, quo præcipue nomine *Particiaci* oblectati, atque *Justinianos*, qui nostris etiam temporibus inter primores censentur, per *Justinianum Particiacum*, qui haud ita longe ab initio sæculi noni Princeps Reipublicæ erat, fuisse propagatos.

C A P U T VIII.

Nobilitas apud nationes omnes in pretio. Duplex, ἁπλῶς, & κατά τι. Domi nobilis.

ETSI de Romanis potissimum sermo mihi fuerit, quoniam & de his mihi propositum est agere; & eorum res clarioribus monumentis ad nos pervenere; attamen certissimum est, nullam gentem, nullum toto terrarum orbe populum fuisse, apud quem non in aliquo pretio nobilitas fuerit. Primum enim Græcis vel tum ab heroicis temporibus præclarum genus maximi æstimatum fuisse, testis est Helena Theodecti, quæ se ex Diis ab utraque stirpe prognatam gloriatur. (a): testes sunt poetæ omnes, qui heroas suos Deorum sanguine propagatos tradunt, quorum auctoritates afferre non nisi abutentis otio esset. Universe autem cum apud cæteros Græcos, tum præcipue apud Lacedemonios, & Corinthios opifices ignobiles habitos, generosiores vero eos, qui a manuariis operibus abstinerent, didicimus ex Herodoto (b). Dum autem ille dubitat, num id ab Ægyptiis Græci mutuati sint, certissimum fit, discrimen hoc nobilium, & ignobilium apud Ægyptios quoque obtinuisse, ac prius fortasse, quam apud Græcos obtineret. Quod si Asiæ populos scrutari libet, eumdem morem Scythis, Persis, Lydis fuisse, idem Historicus docet (c). De Persis præterea Curtius (d): *quo major proditionis merces esset, objicere hosti parabat gratiorem omni pecunia prædam*, nobiles viros, *prætorum Darii conjuges, liberosque*, ac paulo post: *ille cultus tot* nobilium *virorum, tot* illustrium *fæminarum*. Cæteris etiam Afris præter Ægytios, de quibus testatur Herodotus, suam nobilitatem fuisse, constat ex Sallustio, (e) ubi & ignobilitas Jugurtæ, & Massagredæ genus memoratur, & Nabdalsa, & Hamilcar ex nobilitate laudantur. Neque hi ejusdem erant civitatis, ut in aliqua solum Africæ parte familiarum discrimen ex earum splendore fuis-

(a) *Arist. pol. 1. c. 4.* (b) *Euterp.* (c) *Ibid.* (d) *l. 3. c. 25.* (e) *Jugurt.*

fuisse, possimus credere. Sed ut in Europam tandem transeamus, ubi nunc maxima elegantia, tunc mera barbaries, si cum Italia tantum quasdam Græcas civitates excipias; nullus tamen fuit tam ferus, tam Martius populus, apud quem nobiles ab ignobilibus non internoscerentur. De Gallia fidem facit Cæsar: *ut Gallia omni* nobilitate *spoliaretur* (a): *omnem* nobilitatem, *omnem senatum*, *omnem equitatum amisisse* (b). Sed clarius illorum temporum populos recensendo, omnes quidem barbaros, & vix humanitatis conscios: *erat in* Carnutibus *summo loco natus Tasgestius* (c): *bujus potentiæ causa matrem in* Biturigibus *homini illic nobilissimo, ac potentissimo collocasse* (d): *coactos esse* Sequanis *obsides dare nobilissimos civitatis* (e): *de ejus adventu* Helvetii *certiores facti, legatos ad eum mittunt nobilissimos civitatis* (f). De Hispanis præterea certum ex Livio: (g) *ætate, & forma florentes circa eam Indibilis filiæ erant, aliæque* nobilitate *pari, quæ omnes eam pro parente colebant*. Præterea: (h) nobilissimos *Hispanos supra trecentos*. De Germanis Tacitus: (i) *inerant fœminæ* nobiles, *inter quas uxor Arminii, eademque filia Segestis*. Idem alibi: (k) *reges ex* nobilitate, *duces ex virtute sumunt*. Subodoramur quædam de Britannis ex eodem: (l) *principum filios liberalibus artibus erudire:* itemque: (m) *olim regibus parebant, nunc per principes factionibus, & studiis trabuntur*. Quod si omnibus populis, ac gentibus nobilitatis nomen innotuit, hanc etiam in pretio apud omnes fuisse, certissimum puto, quandoquidem, ubi nobiles, ignobiles, vulgus sunt, atque uno omnes ordine habentur, ridiculum est nobiles ab ignobilibus distinguere. Sed apud singulos nobilitatem domi fuisse honoratam, testatur etiam Philosophus (n).

Verum quamvis omnium idem esset de nobilitate sensus, non tamen eadem erat omnium gentium nobilitas. Ait enim Aristoteles, (o) nobilitatem fuisse aliam ἁπλῶς, aliam κατά τι. Quæ simpliciter igitur dicebatur nobilitas, ea tam splendida erat, & luculenta, ut talis ob omnibus haberetur, quæ vero κατά τι ea apud aliquas solum gentes, & in aliquibus solum urbibus, aut regionibus nobilitas habebatur. Res itaque apud veteres eodem modo, quo apud nos his temporibus, se se habuit. Etenim quamvis aliqui in suis oppidis, & regionibus nobiles audiant, non tamen ubique gentium ab omnibus eo loco habentur, quo alii nobiles, nimirum, quod vel satis parvæ, & inopis civitatis sint, vel in exigui domini ditione censeantur, ut nobiles se inter suos illi jactent quidem, alii vero neque titulis,

(a) *Bel. Gal. l.* 5. (b) *l.* 1. (c) *l.* 5. (d) *l.* 1. (e) *ibid.* (f) *ibid.* (g) *l.* 37. *c.* 37.
(h) *l.* 24 *c* 49. (i) *Ann. l.* 1. *c.* 55. (k) *Germ. c.* 7. (l) *Agric. c.* 21. (m) *ibid. c.* 12.
(n) *Pol. l.* 3. *c.* 8. (o) *ibid. l.* 1. *c* 4.

tulis, neque loco nobilium dignentur. Apud antiquos pariter nobilis ἁπλῶς dicebatur, qui legibus, & moribus omnium gentium nobilis habebatur; cæteri vero κατά τι, & *domi nobiles*, quippe qui non ubivis gentium, ſed in ſuis ſedibus, a ſuis tantum, minime vero extra domum, vel patriam ſuam nobiles haberentur.

Hæc, aut his ſimilia ſublegiſſe ex Tiraquello Raderum ad quemdam Curtii locum (a), notat alius Curtii interpres Freinshemius, proculdubio quod alienis utatur, tacite inſimulans. Sed mihi plagium non eſt iis, quæ publici juris ſunt, uti. Illud potius admiror, quod neque aſſequutus Hiſtorici mentem eſt Raderus, neque loco ſuo hæc attulit, ſeu ex Ariſtotele, ſeu ex Tiraquello de duplici nobilitatis genere. Accipite, ut jacet, Curtii locum: *Mentoris filiæ tres, ac nobiliſſimi ducis Memnonis conjux, ac filius, vixque ulla domus purpurati fuit tantæ cladis expers*. Lacedemonii *quoque &* Athenienſes *ſocietatis fide violata Perſas ſequuti*, *Ariſtogiton* & *Dropides*, *& Iphicrates* inter Athenienſes genere, famaque longe clariſſimi. *Lacedemonii Peraſippus, & Onomaſtorides cum Omaio, &Callicatride, hi quoque* domi nobiles. Ad hæc verba Raderus putat, Curtium Ariſtogitoni,cæteriſque Athenienſibus abſolutam, & ἁπλῶς nobilitatem tribuiſſe,Lacedemoniis vero imminutam illam, & κατά τι, quod eos *domi nobiles* appellat. Hoc eſſet quidem verum ſi hæc κατά τι nobilitas aut ſemper per ea verba *domi nobilis*,aut per ea dumtaxatLatinis ſignificaretur.Atqui aliæ ſunt apud Latinos loquendi rationes, quibus eadem ſubeſt ſignificatio. Cæſar: (b) *hujus potentiæ cauſa matrem in Biturigibus homini* illic nobiliſſimo *collocaſſe*. Cicero: (c) *Sextus Roſcius cum genere & nobilitate, & pecunia non modo* ſui municipii, verum etiam ejus vicinitatis *facile primus*, & paulo poſt: (d) *honeſtiſſimus* inter ſuos *numerabatur*. Hoc autem *inter ſuos*, ne alia perſequamur, uſurpat etiam idem Cæſar: (e) *Jacius Rhemus ſumma nobilitate, & gratia* inter ſuos; quin & Curtius: (f) *clari* inter ſuos. Si igitur vocaſſet Curtius, Ariſtogitonem, Dropidem, & Iphicratem Athenienſes *inter ſuos* nobiles, illis κατά τι nobilitatem tribuiſſet; ἁπλῶς autem nobilitatem tribuit, quod *inter Athenienſes* nobiles vocat? Unum idemque mihi videtur, *Athenienſes* dici nobiles *inter Athenienſes*, ac dici nobiles *inter ſuos*. Paulo aliter loquutus Cæſar: (g) Apud Helvetios *longe nobiliſſimus, & ditiſſimus fuit Orgetorix*. Non ideo ampliorem tribuit Curtius bona pace Raderi, nobilitatem Athenienſibus, quam Lacedemoniis, neque adeo Lacedemoni Athenæ præſtabant, ut qui eſſent Athenis nobiles, ubique nobiles haberentur, ſecus vero qui Lacedemone.

Num-

(a) *l.3.c.25.* (b) *Bel.Gal.l.1.* (c) *pro Roſc.Americ.13.* (d) *c.16.* (e) *Bel.Gal.l.2.* (f) *l.4.c.1.* (g) *Bel.Gal.l.1.*

Numquid autem Athenienfibus æque, ac Lacedemoniis imminutam illam nobilitatem tribuere, eosque minus, quam Persas, nobiles, voluit Curtius per ea verba significare? Ne id quidem Historico in mentem venisse puto, ideoque nullus hic videtur fuisse doctrinæ a Radero traditæ locus. Neque enim adduci possum, ut credam, Athenis, & Lacedemone, in tam claris scilicet civitatibus, quæ universæ Græciæ præsidium, & ornamentum, nobiles, non ubique gentium etiam nobiles fuisse habitos, cumque Romani tantum Græcis deferrent, ut barbaras omnes gentes præter ipsos vocarent, ac crederent; Romanum certe hominem, quicumque is sit Curtius, & quocumque floruerit tempore, ac de Græcorum factis scribentem, minus nobiles Athenienses credidisse, ac Lacedemonios, quam Persas. Innuit igitur ibi Curtius loci, & civitatis tantum discrimen, nulla instituta nobilitatis comparatione. Hoc autem in usu esse solet apud alios scriptores Romanos, ut per illud *domi nobilis*, similesque loquendi formas, velint tantum peregrinam nobilitatem a Romana distinguere.

Hinc propterea fit, ut Freinshemius putet, male a Radero, qui id etiam a Tiraquello sumpsit, notari Adagiographum, quod *domi nobilem* interpretatur eum, *qui non opibus tantum, & potentia clarus, sed ex parentibus nobilibus nobilis prognatus est* (a). Mihi tamen quoque hæc verba tam bene definire videntur *domi nobilem*, quam bene ipsum *domi nobilis* inter proverbia, ut alia id genus multa, relatum est ad implendas chiliades. *Domi nobilem* opibus tantum, & potentia clarum nemo vocavit, ut admoneri deberemus, hoc insuper requiri, ut *nobilis nobilibus parentibus prognatus sit*. Etsi autem exempla ab Erasmo allata, ut ait Freinshemius, ostendant, eam loquendi formam pertinere ad peregrinam nobilitatem; non ideo tamen potest *domi nobilis* per id genus tantum definiri, quod & ad Romæ nobilem pertinet. Verissimum est, nullam apud exteras nationes nobilitatem fuisse, quæ ab illustribus majoribus minime proficisceretur. Itaque Cicero de homine Lilybetano (b): *Avitum mihi hospitium est cum Lisone Lisonis filio Lilybetano, valdeque ab eo observor: cognovique dignum & patre, & avo; est enim nobilissima familia*. Atqui nullam ne Romæ quidem nobilitatem fuisse, quæ non talis esset, satis supra docuimus. Propterea si cui probabilis est ea Adagiographi definitio, eamdem non eo, quod peregrinam tantummodo nobilitatem, sed quod cujuscumque gentis, & nationis nobilitatem describit, probare forsitan poterit.

Noli enim credere, peregrinos dumtaxat *domi nobiles* appellatos. Sicut

(a) *Chiliad.* 4 *cent.* 9. 46. (b) *Famil. l.* 13. *Epist.* 34.

Sicut extranei a Romanis, ſic Romani ab extraneis *domi nobiles* cur dici non debuerint, non video. Domus enim hic nihil aliud, quam patriam, & natale ſolum ſignificat. Quemadmodum autem alios domo Patavio, alios domo Roma (a) ad eorum patriam ſignificandam dictos invenimus; ita ad ſignificandum, quo quiſque ordine in patria ſua eſſet, *domi nobiles* & Patavinum, & Romanum, cum opus eſſet, dictos, minime poſſum dubitare. Ad loci itaque & patriæ diſcrimen dumtaxat indicandum, quod paullo ante dixi, illud *domi nobilis* ſæpe a Latinis uſurpatur, nec natura ſua aut ἁπλῶς, aut κατά τι nobilitatem ſignat. Ita ſumendum mihi videtur Salluſtianum illud (b), ubi nihil ad propoſitum, forte etiam contra propoſitum eſſet aliquid velle alicujus nobilitati detrahere: *eo convenere ſenatorii ordinis L. Lentulus, P. Autronius. Ad hæc ex coloniis, & municipiis domi nobiles*.

Aliquando tamen, & fortaſſe etiam frequentius, per illud *domi nobilis* apud Romanos Scriptores nobilitas domus ipſius ac loci, ubi aliquis nobilis dicitur, finibus circumſcripta ſignificatur. Patet eo, quod qui extra Romam nobiles erant, nonnumquam latius, quam *domi* tantum, nobiles prædicantur. Hinc Cicero (c): *Sextus Roſcius genere, nobilitate, & pecunia non modo ſui municipii, verum etiam ejus vicinitatis facile primus*: itemque alibi: (d) *Archagatum Haluntinum, hominem non ſolum domi ſuæ, ſed tota Sicilia in primis nobilem vocari juſſit*. Sed & idem probat quod de Melitenſi Diodoro Cicero idem ait: (e) *homo & domi nobilis, & apud eos, quo ſe contulit, propter virtutem ſplendidus & gratioſus*. Etenim ſi Diodorus, quia *domi nobilis*, ubique nobilis fuiſſet, non ob virtutem tantum apud alios ſplendidus diceretur. Imminutam autem illam, & κατά τι nobilitatem cœteris omnibus, ſibi tantummodo ampliſſimam aliam, & ἁπλῶς Romanos tribuiſſe, nec immerito credimus. Primum enim omnium gentium, ac populorum, præcipue qui opibus, imperio, gloria florerent, fuiſſe, ſuam nobiliorem, ut ita dicam, nobilitatem credere ingenita omnibus ſuperbia, nimioque erga ſua amore, non ægre mihi perſuaſerim. Athenienſes ne viderentur immixti aliis gentibus, indigenas ſe, nullaque cum aliis aut accolis, aut advenis commixtione ex ſe ſe ortos jactabant. *Neque aliud*, hæc de Eumene refert Nepos: (f) *ei defuit, quam generoſa ſtirps: etſi ille* domeſtico *ſummo genere erat, tamen Macedones eum ſibi anteponi indigne ferebant*. Nimirum ex Thracia Cardiano homini nullam eſſe nobilitatem, quæ ſatis ipſum commendare poſſet, præ ſua Macedones exiſtimabant. Conſtat deinde, exteros omnes Romanis contemptui numquam non fuiſſe. Ipſis necdum re-

rum

(a) *V. Grut. CCCCXXX. 4.* (b) *Catilin.* (c) *Pro Roſc. Am. c. 15.*
(d) *l. 2. in Ver. c. 51.* (e) *l. 4. in Ver. c. 38.* (f) *in Vit.*

rum dominis Tanaquil, quæ *summo loco nata* (a) Tarquiniis in Etruria, contemptim *peregrina mulier* dicitur (b). Mox post reges exactos ad regum, qui Romæ fuerant, genus elevandum: *Numam* ajebat quidam (c), *non modo non patricium, sed ne civem quidem Romanum, ex Sabino agro accitum; L. Tarquinium non modo Romanæ, sed ne Italicæ quidem gentis*. Mirum itaque sit nemini, si postquam rerum potiti sunt, adeo peregrinos cujusque gentis, ac generis contempserint, ut conquesti sint (d), per Claudium *cœtus alienigenarum tamquam captivitatem urbi inferri*. Exteros etiam Seneca comparat servis: (e) *sive libertini ante vos habentur, sive servi, sive exterarum gentium homines*. Hinc non Torquatus modo peregrinam originem vetere republica Ciceroni objiciebat (f), sed ipse quoque Catilina tamquam magni convicii loco: (g) *M. Tullius inquilinus civis urbis Romæ*.

CAPUT IX.

Parergon de genere Ciceronis. Cicero domi nobilis.

QUoniam Ciceronis incidit mentio, cogit me tanti viri nomen, ut paululum a proposito divertens pauca de ejus genere differam. Hunc ex Arpino fuisse, Romæque hominem novum, dubitat nemo. At num domi suæ nobilis? Id ajo enimvero. Neque absurdum, ita Tullium a nobis appellari, quomodo alios equites Romanos ipse Tullius appellavit: (h) *M. Orfium equitem Romanum nostrum & pernecessarium, & quod est ex municipio Atellano, quod scis esse in fide nostra. Itaque eum tibi commendo in majorem modum, hominem* domi splendidum, *gratiosum etiam extra domum*.

Primum enim antiquissimam fuisse Ciceronum familiam, ex qua natus, testatur ipse, ubi ait: (i) *hinc orti stirpe* antiquissima. Deinde hujus antiquissimæ stirpis auctorem nobilissimum fuisse, scilicet Tullium Volscorum regem, ejusdem pariter testimonio probatur (k): *Fuit* (Pherecydes Syrus) *meo regnante gentili*. Neque enim dicendum est, hunc *Tullium* vocari a Cicerone gentilem suum ob solam nominis similitudinem. Licet enim Festus gentiles definiat, *qui ex eodem genere sunt, & simili nomine appellantur*; quamvis & ipse vellem, quod ait Balduinus (l), *rem banc diligentius exposuisset*, tamen certum est, præter nominis similitudinem & idem genus requiri, ut aliquis gentilis dicatur, ac per illud *simili nomine appellantur* idem voluisse Fe-

F stum

(a) *Liv. l.* 1. *c.* 34. (b) *ibid. cap.* 47. (c) *Liv. l.* 4. *c.* 3. (d) *Tac. ann.* 11. *c.* 23. (e) 3. *Benef. c.* 28. (f) *Pro Sul. c.* 22. (g) *Sall. Catil.* (h) 2. *Quint. epist.* 14. (i) *Legg.* 2. *c.* 3. (k) *Tusc.* 1. *c.* 38. (l) *in legg.* 12. *tab. c.* 30.

ſtum ſignificare, quod Scævola, cum ajebat: (a) *gentiles ſunt, qui eodem nomine inter ſe ſunt*. Quod ſi conſtaret ob ſolam nominis ſimilitudinem gentiles late ſaltem, & laxe dici poſſe, quo ſenſu hac voce utatur Cicero, dubitarem; verum hoc uno Ciceronis loco confirmare, poſſe gentiles ita ſumi, quicquid dicat vir eruditiſſimus (b), mihi non placet. Nam & illud addere plinianum, *Marcipores, & Lucipores dominorum gentiles* non idem probat, ſed aliquid multo abſurdius, ſcilicet & prænominis ſimilitudine gentiles poſſe dici. Verum hoc ſupra interpretati ſumus, hoc vero tullianum nullam video poſſe pati interpretationem. Si enim Cicero hujuſmodi æquivocatione aut ludere, quamquam non erat illic locus, aut illuſtris generis ſuſpicionem movere voluiſſet, & ſe alicubi gentilem M. Tullii vocaſſet, qui patricius cum Servio Sulpicio conſul anno decimo poſt exactos reges fuit, quod tamen horret dicere, & ſe ab eo non eſſe, aperte profitetur (c). Quare Euſebio, Eutropio, Silio, imo ipſi Ciceroni credo, vere eum regio Volſcorum ſanguine fuiſſe, idque eo magis quod jam tum a Plutarchi temporibus, ut idem aſſerit (d), de hoc dubitabatur. Si enim hoc falſum eſſet, Ciceronis inimici, qui ſane neque pauci, neque elingues fuere, hoc neque vulgari unquam neque ab aliquibus pro vero ſumi, paſſi eſſent. Sed eſt veritas invidia potentior. Hunc autem regem Tulliæ Ciceronum familiæ auctorem non *Tullium*, *ſed Tullum* vocat Silius (e).

Tullius æratas raptabat in agmina turmas,
Regia progenies, & Tullo *ſanguis ab alto*,
Indole prob quanta juvenis, quantumque daturus
Auſoniæ populis ventura in ſæcula civem.
Ille ſuper gangem, ſuper exauditus & Indos
Implebit terras voce, & furialia bella
Fulmine compeſcet linguæ, nec deinde relinquet
Par decus eloquii cuiquam ſperare nepotum.

Ab hac clariſſima origine numquam degeneraſſe majores Marci noſtri, ſed omnes ſemper in Arpinati republica floruiſſe, conſtare puto, quod idem majorum ſuorum cum laude mentionem facit. *Hic*, ait, (f), *ſacra, hic gens, hic majorum multa veſtigia*. Quæ autem veſtigia cum animi voluptate repetenda, præcipue juxta illam lautiorem patris ſui villam, relinquere potuiſſent majores obſcuri, & inhoneſti? Sed apertiſſime apud univerſum Romanum populum aſſeruit Tullius ipſe, illis tantum defuiſſe Romanæ Reipublicæ honores, & po-

(a) *Cic. Topic. c.* 29. (b) *Bald. l. c.* (c) *Bruto c.*62. (d) *in Cicer.* (e) *l.* 8.
(f) *Legg.* 2. *c.* 3.

& populi illius terrarum domini laudes: (a) *Mihi quidem apud vos de meis majoribus dicendi facultas non datur, non quod non tales fuerint, quales nos illorum sanguine creatos, disciplinisque institutos videtis, sed quod laude populari atque honoris vestri luce caruerunt.* Ad quæ verba ita Lauredanus noster: (b) *Negat se de majoribus suis aliquid nobilium more esse dicturum, & quia objici poterat, iccirco eos præteriri, quia humili, & obscuro loco erant nati, occurrit quæstioni, sed modeste. Eos enim, ait, liberaliter atque honeste vixisse, cujus rei signum se ipsum affert, qui eorum sanguine procreatus, & disciplinis institutus est.* Neque hac laude, ac luce forsitan caruissent, si egredi municipio suo voluissent. Marcus certe Marci nostri avus eum se gessit, nepote teste (c), in municipio suo cum Gratidio, cujus sororem in matrimonio habebat, ferenti legem tabellariam, ut ei, re ad se delata, Scaurus consul: *utinam*, dixerit, *Marce Cicero, isto animo, atque virtute in summa republica nobiscum versari, quam in municipali maluisses*. Oportet autem Marcum hunc vere egregium virum, civemque fuisse, quique domesticam Ciceronum gloriam non leviter auxerit, cum noster ejus mentionem inferat, ubi memorat quo natus sit tempore: (d) *hoc ipso in loco, cum avus viveret, me scito esse natum*. Eo etiam facile adducor, ut credam Ciceronum familiam egregiis viris semper floruisse, quod ævo illi tanto propiores & Silius ex ea finxerit (e), fuisse qui annibalico interfuerit bello, & Plutarchus asserere non dubitarit (f), qui primus hujus gentis Cicero dictus est, eum certe floruisse magna laudum celebritate, quando hoc cognomen, quod ludibrio ab aliquibus vertebatur, ejus posteri tam avide amplexi sunt.

Verum qui aliter, ac nos, de Ciceronis genere sentiunt, nituntur potissimum illius Q. Caleni maledica oratione, quæ apud Dionem extat (g), ubi pater ejus fulloniam fecisse, ac vites, oleasque semper coluisse dicitur. Sed hunc Calenum, imo Dionem, cum totus veneni in Ciceronem plenus sit, nihil moror. Habeo, quas contra educam auctoritates, & Catilinæ primum apud Sallustium (h), ubi tantus inimicus aliud nihil illi objicit præter genus peregrinum: *Cicero inquilinus civis urbis Romæ*, deinde & Sallustii, cujus nomine qui declamationem illam adornavit, quæ Sallustii nomine circumfertur, quamvis non obiter genus, & rei familiaris angustias exprobret, *Romulum Arpinatem*, omnia in unum velut cogendo, compellat, quod sane paulo plus sonat, quam illud, quod sibi objectum a Torquato ipse fatetur Cicero (i), eum scilicet tertium a Tarquinio, & Numa *pe-*

(a) *Pro leg. agr. ad pop. c.* 1. (b) *Bern. Laur. in or. pro l. ag. ad po.* (c) *Legg.* 3. *c.* 36. (d) *Legg.* 2. *c.* 3. (e) *l. c.* (f) *Cicer.* (g) *l.* 46. (h) *Catilin.* (i) *pro Sul. c.* 22.

regrinum regem esse. Accedit alius non minus fervide carminibus suis solitus declamitare, qui ut ejus genus contemnat, eum *ignobilem* solum vocat, quod procul dubio ad Romanam nobilitatem refertur: (a)

Hic novus Arpinas, ignobilis, & modo Romæ
Municipalis eques,

Accedit Historicorum fides, quorum nemo præter Plutarchum, qui (b) ex aliorum, invidorum certe, sermone hoc, ut dubium tamen, retulit, similia de ejus genere tradit. Quare potius quam Caleno, ipsi Ciceroni habenda fides videtur, qui *patrem suum*, ait (c), *in literis* (quod certe plusquam tenuis, ac bene instituti hominis est) *cum infirma esset valetudine, vitam egisse*. Quod si veriora essent, quæ Dio Caleni verbis evulgavit, exangui adeo fronte futurum fuisse Ciceronem, nequaquam puto, ut viro nobili, qui ei convicium facturus peregrinum appellaverat, ita publice in foro apud Judices in tanta auditorum corona responderet: (d) *vehementer lætor, eum esse me, in quem tu, cum cuperes, nullam contumeliam jacere potueris, quæ non ad maximam partem civium conveniret*. Cum itaque & antiquitate familiæ, & regia origine, & illustri majorum serie floruerit domi suæ Cicero, quæ tria non nobilitatem tantummodo arguunt, sed splendidissimam nobilitatem, eum puto *inter Arpinates nobilem fuisse*, & *domi nobilem* posse appellari, neque id debere de illo dici, quod de alio Valerius Maximus: (e) *Marcus Porcius Cato, qui nomen suum* Tusculi ignobile *Romæ nobilissimum reddidit*.

At inquiunt rursus: ipse Cicero valde demisse de majoribus suis loquitur, & generis humilitatem palam fatetur. Hoc debuit orator callidus, ut populi beneficia augeret, hoc etiam aliquando voluit homo satis tumidus, ut major hinc laus virtuti suæ existeret. Itaque non illis major fides habenda est, quæ orator orationibus suis artificiose permiscuit, quam illis, quæ philosophus in aliis operibus multo scripta simplicius reliquit. Quamqua quæ etiam ex oratoriis operibus colligimus, nihil aliud evincunt, quam eum hominem novum Romæ, primumque suorum populi Romani magistratus, honoresque consequutum fuisse.

C A-

(a) *Juven. sat.* 8. (b) *in Cic.* (c) *Legg.* 2. *c.* 3. (d) *pro Sul. c.* 23. (e) *l.* 3. *cap.* 4.

C A P U T X.

Quæ splendidissima nobilitas? Antiquitas originis. Splendor originis a Diis, a regibus, a viris magnæ virtutis. Continua clarorum majorum series.

NOn æque illustris omnium nobilitas apud veteres habebatur, quemadmodum ne nostris quidem temporibus, sed aliam alia illustriorem, splendidiorem, & nobiliorem, ut ita dicam, fuisse, satis id probat, quod & inter reges certamen fuisse *de nobilitate generis*, narrat Tranquillus [a]. Hinc Cicero Sulpicii [b] ac L. Philippi [c] necnon Lepidi [d] nobilitatem vocat *summam*, C. Cæsaris [e] *excellentem*, quo significari arbitror, eos hac laude aliis nobilibus præstitisse. Sed & ignobilium alii aliis ignobiliores: *C. Terentius Varro loco non humili solum sed etiam sordido ortus* [f].

Verum ad splendorem hunc majoris nobilitatis primum plurimum contulit *antiquitas originis*. Propterea Persius de eo, qui nobilitate ob antiquam generis originem gloriabatur: [g]

— An deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis,

scilicet, millesimus es a primo generis auctore. Videmus propterea hujus antiquitatis mentionem sæpe fieri simul cum nobilitate, ad hanc scilicet luculentiorem declarandam. *Cum Ex familia* veteri, & illustri *consul designatus* [h]: Vetus nobilitas, *majorum facta fortia* [i]: *hominem veteris prosapiæ, & multarum imaginum* [k]: Svetonius [l]: *haud dubie nobilissimus, magnaque, & vetere prosapia*. Sed præterea antiquitas ipsa sumitur pro nobilitate. Sallustius: [m] *præter* vetustatem familiæ, *alia omnia abunde Mario*. De eodem Mario Valerius maximus: [n] *novitatis suæ conscientia*, vetustati *non sane propitius*. Cicero: [o] *primus* in veterem familiam *consulatum attulisset*. Huc spectat illud *longo sanguine* censeri [p], quod interpretantur multos habere nobilitatis gradus, huc etiam, quod a Tullio [q], & Seneca [r] imagines vocantur *fumosæ*, quod dici credo, non solum quia in atrio servatæ, ubi focus, sed etiam quia fuliginem quamdam ob diuturnitatem temporis contraxerant: huc etiam spectat, quod poeta *veteres ceras*, *quod medios* dicit *Æmilianos*, [s] vetustate scilicet dimidiatos, & alia hujusmodi.

Sed

---

[a] *Cajo c.* 22. [b] *pro Muren.c.*6. [c] *pro Planc.c.*57. [d] *Philip.*13.*c.*8. [e] *in Vatin.c.*15 [f] *Liv. l.*22 *c.*15. [g] *Sat.*3. [h] *Cic.pro Mur.c* 17 [i] *Sallust. Jugurt.* [k] *Sallust.ibid.* [l] *Galb.c.*2. [m] *Jugurt.* [n] *l.*2.*c.*1. [o] *pro Mur.c.*86. [p] *Juven.sat.*8. [q] *in Pis.c.*1. [r] *Epist.* 44. [s] *Juven.sat.* 8.

Sed præter vetuſtatem *ſplendor* etiam *originis* non parum auxit nobilitatem, quæ illuſtrior fuit, quo ejus auctor fuerat illuſtrior. Propterea ut patriciorum detrahat nobilitati ille apud Hiſtoricum, (a) nihilo majorem dignitatem eorum generi eſſe, ait, quam quod ab ingenuis proficiſcuntur: *En unquam fando audiſtis, patricios primo eſſe factos, non de cœlo demiſſos, ſed qui patrem ciere poſſent, ideſt nibil ultra, quam ingenuos?* Singillatim vero Claudiis exprobrat *Sabinum advenam principem nobilitatis veſtræ* (b). Ita etiam Ajax Ulyſſis genus contemnit, quod a Siſypho infami latrone ortum ducat (c), & Satyrographus hinc univerſe omnium Romanorum nobilitatem deprimit, quamvis antiquiſſimam: (d)

Et tamen ut longe repetas, longeque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis aſylo.

Attamen hoc more, ac jure ſuo a poeta dictum puto. Etenim patricii omnes majorum ſaltem gentium, utpote ab ingenuis parentibus exorti, præterea Sabini, qui Romulo, Albani, qui Tullo, Latini, qui Anco regnante ſub urbis exordium Romam migrarunt, ab aſylo gentem minime deducebant. Contra vero magnus honor apud Græcos fuit Heraclidis, Æacidis, Pelopidis, Ædontidis ob Herculem, Æacum, ſimileſque eorum progenitores.

Sunt autem huic originis ſplendori gradus ſui. Primum enim ſplendidiſſima illa origo, quæ a *Diis*, unde Heroas ſuos progenitos omnes poetæ finxere. Quin nemo non fuit, qui vulgi errore ad hanc gloriam non uteretur, cum poſſet. Hos irridens Seneca: (e) *non eſt*, ait, *quod te iſti decipiant, qui cum majores ſuos recenſent, ubicumque deficit nomen illuſtre, illico Deum fingunt*. Proximus originis ſplendor fuit a *Regibus*. Ex utroque amitam Juliam commendat Cæſar, (f) ut paternum genus *a Diis*, maternum a *regibus* fuiſſe glorietur: *Amitæ meæ Juliæ maternum genus ab regibus ortum, paternum cum Diis immortalibus conjunctum eſt. Nam ab Anco Marcio ſunt Marcii Reges, quo nomine fuit mater, a Venere Julii, cujus gentis familia eſt noſtra*. Hanc ſplendidiſſimam originem Vellejus putavit, cum Lycurgum, & Caranum vocat *generis regii* (g), ſed præcipue cum ſtirpem *regiam* opponit *ultimæ*, tanquam illa eſſet inter humanas prima. Ita enim de Pſeudophilippo: (h) *Philippum ſe, regiæque ſtirpis ferebat, cum eſſet* ultimæ. Tertio ſplendida putabatur illa origo, quæ a *viro* erat *magnæ virtutis*. Quare licet gens Junia a Trojanis profecta eſſet, & inter patricias numeraretur ante L. Brutum, hunc ta-

(a) *Livius l.* 10. *c.*8. (b) *Ibidem*. (c) *Ovid Metam. l.* 13. (d) *Juven. ſat.* 8.
(e) *Ben. l.*3. *c.*28. (f) *Suet. Cæſ. c.*6. (g) *l.* 1. (h) *l. c.*

tamen tamquam generis auctorem ostendit ob ejus præclara in patriam merita, ideoque Tullius (a): *L. Brutus patriam liberavit præclarus auctor nobilitatis tuæ*. Alibi etiam: (b) *Quis putet celeritatem ingenii L. Bruto illi nobilitatis vestræ principi defuisse*. Apud Romanos propterea illustrior nobilitas, nam de omni nobilitate infra negabo, ortum sumebat ab iis, qui magistratum curulem cæpissent, quique propterea maxima virtute viri fuisse videbantur.

Tandem præter vetustatem, & splendorem originis ad luculentam nobilitatem debuit accedere *series illustrium majorum*, continuatique familiæ honores. Nulla non floruit memoratarum laudum apud Romanos Lamiarum familia, cum poetæ testimonio (c) a Lamo esset, qui vetustus, qui rex Formiarum, & cujus posteri omnes in publicis fastis, & annalibus celebres.

Æli vetusto nobilis ab Lamo,
Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne fastos;
Auctore ab illo ducis originem,
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Littoribus tenuisse Lirim
Late tyrannus,

ut nemini mirum sit, tanti æstimatam fuisse eorum nobilitatem, ut *Lamiæ* alteri poetæ pro quocunque maxima nobilitate viro, & matrona usurpentur.

Quædam de numero Lamiarum, *& nominis alti* (d):
— *hoc nocuit* Lamiarum *cæde madenti*. (e)

Ex hac continenti illustrium majorum serie extollit Xenophon Agesilai nobilitatem, cujus majores reges fuere omnes (f). Athalaricus etiam Gothorum rex hac regum serie se propagatum gloriatur, cum eum commendat, qui prosapiæ suæ genealogiam conscripserat: (g) *tetendit se etiam in antiquam prosapiam nostram lectione discens, quod vix majorum notitia cana retinebat. Iste reges Gothorum longa oblivione celatos latibulo vetustatis eduxit. Iste Amalos cum generis sui claritate restituit, evidenter ostendens in decimam septimam progeniem stirpem nos habere regalem*. Audi etiam, quomodo apud eundem Cassiodorum Deciorum nobilitas commendetur: (h) *maxime Serenitatis nostræ luminibus Deciorum sanguis irradiat, qui tot annis continuis simul splendet, cla-*

(a) *Tusc.4. c.2.* (b) *Brut. 53* (c) *Horat.l.3. od 17.* (d) *Juven sat.6.* (e) *id.sat.4.*
(f) *Orat. de Ages.* (g) *Cassiod. variar. l.9 epist. 25.* (h) *l. 3. epist. 6.*

claritate virtutis, & quamvis rara sit gloria, non agnoscitur in tam longo flemmate variata. Sæculis suis producit nobilis vena primarios, nescit inde aliquid nasci mediocre: tot probati, quot geniti, & quod difficile provenit, electa frequentia. Sed felicioribus sæculis notata est etiam Paterculo Ceciliæ familiæ claritudo, (a) *quippe intra viginti duos annos illius temporis consules fuere Metelli, aut censores, aut triumpharunt amplius duodecim, ut appareat;* ait Historicus, *quemadmodum urbium, imperiorumque, ita gentium nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc interire.*

Quemadmodum autem florere dicuntur gentes, ac familiæ, cum magnum virorum proventum ferunt, ita senescere videntur, cum claris viris per longum tempus destituuntur. Sallustius: (b) *Sulla gentis patriciæ nobilis fuit familia prope jam extincta majorum ignavia.* Idem testatur Vellejus: (c) *hic* (Sulla) *natus familia nobili sextus a Cornelio Rufino, qui bello Pyrrhi inter celeberrimos erat duces, cum familiæ ejus claritudo intermissa esset, diu ita se gessit, ut nullam petendi consulatus cogitationem habere videretur.* Cicero etiam Sulpicii nobilitati minus defert, quod honoribus aliquando caruerit: (d) *tua vero nobilitas, Servi Sulpici, tametsi summa est, tamen hominibus litteratis, & historicis est notior, populo vero & suffragatoribus obscurior. Pater enim fuit equestri loco, avus nulla illustri laude celebratus. Itaque non ex sermone hominum recenti, sed ex annalium vetustate eruenda est memoria nobilitatis tuæ.* Non ideo tamen verum puto, quod Streinnius affirmat, (e) patricias familias, postquam diu nullis magnis viris floruissent, plebeiis accensitas fuisse. Hoc enim, quod unus ille, ut puto, asseruit, falsum declarat locus Sallustii citatus, qui Sullarum familiam quamvis prope extinctam majorum ignavia, tamen adhuc patriciam dicit. Neque nobilitatem, ut ut obscuraretur, amisisse putabantur, cum eamdem familiam Sullarum nobilem, & idem Sallustius, & Paterculus vocent locis citatis. Verum est nihilominus, tam difficile posteris fuisse jacentem hanc nobilitatem excitare iterum, ut æque illis ac ignobilibus videretur interclusus ad honores aditus. Quare Tullius: (f) *Ejusdem animi, atque ingenii est posteris suis, quod Pompejus fecit, amplitudinem nominis, quam non acceperit, tradere, & ut Scaurus, memoriam prope intermortuam generis sui virtute renovare:* Qua ratione adductus non dubitat Servium Sulpicium patricium, & antiquæ nobilitatis virum novorum loco habere: (g) *quare ego te semper in nostrorum numerum* (hominum novorum) *aggre-*

(a) *l.2.* (b) *Jugurt.* (c) *l.2.* (d) *pro Mur.c.15.* (e) *de gent.& fam.Rom.ad Marcell.* (f) *pro Mur. c.16.* (g) *l. c.*

gregare soleo, quod virtute, industriaque perfecisti, ut cum equitis Romani esses filius, summa tamen amplitudine dignus putarere. Hoc idem esse in causa, Asconius affirmat (a), cur Tullius Scaurum quoque hominem novum appellat, quamvis nobilem, & patricium; nec opus est, ultra se torqueat Sigonius (b), ut hinc inferat patriciorum aliquos non fuisse nobiles, quod infra confutabimus.

C A P U T XI.

Nobilitas a patre primum; splendidior tamen ab utroque parente. Nulla nothis, & spuriis.

HÆc, quanta quanta erat nobilitas, tota a paterno genere proficiscebatur, neque maternum genus aliquid faciebat, ut nobilis posset aliquis, ac deberet appellari. *Nempe patrem sequuntur liberi*, ait ille (c). Ideo Vellejus: (d) quamquam dicit, Sejanum *materno genere clarissimas, veteresque & insignes honoribus complexum familias;* attamen, quod patre, qui tantum princeps equestris ordinis fuerat, natus, novum fatetur, excusatque, antiquo Senatus, & populi Romani more, Cæsarem, qui illum in tam altum fastigium provexerat. Non parum tamen splendoris accessisse, vel a sola matris nobilitate illinc patet, quod Ancus Marcius Livio dicitur (e) nobilis *una imagine Numæ*, qui Numam materno tantum genere ex Pomponia ejus filia natus attingebat. Poeta quoque, quamvis quæ poetarum sunt, adulationem plerumque sapere videantur: (f)

—— Quicquid patrio cessatum est sanguine mater
Reddidit, obscurumque latus clarescere vidit
Connubio gavisa domus.

Quamvis autem matris nobilitate filii nobilitati nunquam sint, pulcrum tamen semper fuit, quando alterum deest, posse alicui dici: (g)

Stemmate materno felix, virtute paterna.

At quæ nullam attulit nobilitatem, si nobilis, multum, quæ a patre habebatur, nobilitatem imminuit, si ignobilis. Hinc Horatius eos, qui curiosius in genus aliorum inquirunt, quærere ait, (h)

Quo patre sit natus, num ignota matre *inhonestus.*

Cicero propterea Pisoni e Calpurnia patricia gente homini matrem præconis Placentini filiam objicere numquam desinit: (i) *O familiæ non*

G

(a) *in orat. pro Scaur.* (b) *Emend. l.2.* (c) *Liv. l.4. c.4.* (d) *l.2.* (e) *lib.1.cap.34.* (f) *Stat. l.3.syl.3.* (g) *Id. l.4.syl.4.* (h) *l.1.Sat.6.* (i) *in Pis. c.53.*

non dicam Calpurniæ, *sed* Calventiæ, *neque hujus urbis*, *sed* Placentini municipii, *neque paterni generis*, *sed* braccatæ cognationis *dedecus*. Mox: (a) *o paterni generis oblite*, materni *vix memor*, ac paulo post: *inferius etiam*, *quam ut* Mediolanensi præcone avo tuo *dignum esse videatur*. Quin etiam Pisonem ipsum *Insubrem* (b) contemptim vocat, & nova illa nomina *Semiplacentini Calventii* (c), ac sales illos de *calicibus Placentinis*, ac de *gallicinio* (d) in ipsum fellis plenus ingerit. Idem Cicero etiam Torquato, par pari relaturus, quod se peregrinum appellasset, qualis certe ipse erat ex patre, non dubitat objicere peregrinam matrem: (e) *Est enim ipse a materno genere municipalis*, *honestissimi*, *ac nobilissimi generis*, *sed tamen Asculani*. Tanaquil quoque vel tum ab urbis exordio Anci Marcii genus contemnebat, quod *Sabina matre* ortus (f). Converso vero civitatis statu Cajus *Agrippæ se nepotem neque credi*, *neque dici ob ignobilitatem ejus volebat*, idemque *Liviam Augustam proaviam suam ignobilitatis arguere ausus est*, *quasi avo decurione Fundano ortam* (g).

Contra vero inclaruit multum nobilitas, si maternæ etiam familiæ splendor accederet. Clarum id ex Tacito (h): *Germanico alienatio patrui amorem apud cæteros auxerat: & quia claritudine materni generis anteibat*, *avum M. Antonium*, *avunculum Augustum ferens*. *Contra Druso proavus eques Romanus Pomponius Atticus dedecere Claudiorum imagines videbatur*. Patet etiam ex Juvenale, qui Rubellium Plautum reprehendit (i) *materno Drusorum stemmate tumentem*: ex Tullio, qui Lateranensis genus extollens (k), *est nomen tuum*, *ait*, *utraque familia consulare*: iterum ex Tacito (l): *Piso M. Crasso*, *& Scribonia genitus*, *nobilis utrinque*. Sic Cæsar in Juliæ laudem (m): *amitæ meæ Juliæ maternum genus ab regibus ortum*, *paternum cum Diis immortalibus conjunctum est*. Svetonius pariter de Galba hæc refert: (n) *imperator vero etiam stemma in atrio proposuerit*, *quo paternam originem ad Jovem maternam ad Pasiphaen Minois uxorem referret*. Hinc profecta illa certamina apud Romanos, cum ageretur de promiscuis Patrum, ac plebis connubiis, quibus patres *contaminari sanguinem suum*, *confundique jura gentium rebantur* (o). Turpe enim videbatur, si quis *dimidius patrum esset*, *dimidius plebis*, *ne secum quidem ipse concors* (p). Graviter igitur queritur Canulejus, (q) quod per connubia plebis *pollui nobilitatem istam suam* patres existimarent.

Cæterum non apud Romanos solum tanta erat materni generis æstima-

(a) *c.* 62. (b) *c.* 34. (c) *c.* 14. (d) *c.* 67. (e) *pro Sul. c.* 25. (f) *Liv. l.* 1. *c.* 34. (g) *Svet. Cajo. c.* 23. (h) *Ann. l.* 2. *c.* 43. (i) *Sat.* 8. (k) *pro Planc. cap.* 17. (l) *Hist. l.* 1. *c.* 14. (m) *Svet. Cæsar. c.* 6. (n) *Galb. c.* 2. (o) *Liv. l.* 4. *c.* 1. (p) *id. ib.* (q) *Liv. l.* 4. *c.* 4.

ſtimatio, verum & apud Græcos, quibus *μιξοβάρβαροι* dicti ii, qui altero tantummodo Græco parente nati eſſent. Meneſteus propterea Iphicratis Athenienſis filius ex Treſſa Anaxandride natus, quamquam hæc Coti regis filia erat, contemnebat tamen patri cum barbara fæmina matrimonium. *Cum enim interrogaretur* [a] *utrum pluris patrem, matrem ne faceret: matrem inquit. Id eum omnibus mirum videretur: at ille merito, inquit; nam pater, quantum in ſe fuit, Thraeem me genuit: contra vero mater Athenienſem.*

Hujuſmodi autem homines e diverſæ gentis, ſortiſve parentibus *hybridæ* a Romanis vocabantur, ſeu quia *Umbri* antiquis erant ſpurii, unde *ibridæ* ſcribunt aliqui, ſeu appellatione translata, ut Plinio placet, ab animalibus ſemiferis, hoc eſt altero fero, altero domeſtico natis. Ita ille: [b] *in nullo genere æque facilis* (quam in ſuillo) *mixtura cum fero, qualiter natos antiqui* hybridas *vocabant, ſeu ſemiferos: ad homines quoque, ut in Cajum Antonium Ciceronis in conſulatu collegam appellatione translata*. Hybridam ideo vocat Flaccus Perſium illum, qui matre Romana, patre Græco natus erat. [c]

Hybrida quo pacto ſit Perſius ultus.

Ab utroque parente igitur vera nobilitas, per legitimam tamen ab ipſis originem, ut Ariſtoteles docet [d]. Neque enim unquam ſeu patris, ſeu matris nobilitas aliquo fuit pretio, ni ſimul legitimis nuptiis ſociati eſſent. Fateor, ſi quis incerto altero parente natus fuerat, huic aliquid infamiæ detractum ex alterius nobilitate. Virgilius: [e]

——— *Antiphatem*
Thebana de matre nothum Sarpedonis alti.

& de Drance illo: [f]

—— *genus huic materna ſuperbum*
Nobilitas dabat, incerto de patre ferebat.

Attamen hujuſmodi hominibus labes hæc ita ſemper inhærere communi vulgi opinione viſa eſt, ut nec patris, nec matris nobilitate abſtergi ſatis putaretur, tantum abeſt, ut illi tanquam aviti ſplendoris participes genus jactare unquam poſſent. Servorum numero habitos, qui ex militibus Romanis, & ex mulieribus Hiſpanis, cum quibus connubium non fuerat, natos ſe memorabant, conſtat ex Livio [g], qui propterea decreviſſe Senatum, refert, uti nomina ſua apud L. Canulejum profiterentur, eorumque ſi quos manumiſiſſet, ii Carteiam ad Oceanum deducerentur. Hinc Martialis (h) Quirina-

[a] *Corn Nep. Iphicr.* [b] *l.8 c.53.* [c] *l.1 ſat.7.* [d] *Rhet.l.1.c.15.* [e] *Æneid.l.9.* [f] *Æneid. l.12.* [g] *l.43. c.3.* [h] *l.1. epig.* 80.

rinalem equitem Romanum, quod filios ex ancilla susceperat, ita irridet:

Domumque & agros implet equitibus vernis.
Pater familiæ verus est Quirinalis.

Hoc natalium dedecus exprobrat Pyrrho Agamemnon: (a)

Ex virginis concepte furtivo stupro.

Eamdem generis infamiam objectam Timotheo scimus, qui, ut eam eluderet, Thressam matrem (hæc erat nobile scortum, quæ postea modestiæ exemplar evasit) exprobrantibus, at per eam, inquiebat, (b) *sum Cononis Filius*. Leotychidem fratris filium, ut ipse moriens confessus fuerat, in regni contentione superavit Agesilaus (c), quod antea Agis dubitaverat suus ne esset, nimirum ob suspectum cum Alcibiade Timeæ uxoris adulterium. Sed Athenienses ne in communi quidem in gymnasio exerceri voluere turpibus natalibus homines, quibus Cynosargen alterum gymnasium, quo illi convenirent, aperuerant. Notam hanc tamen ut elueret Themistocles (d) ex Abrotano Threicia Neocli filius, huc alliciens ingenuos, & legitime procreatos adolescentes, effecit, ut qui non metuerant nothis admisceri in eorum gymnasio, eosdem non dubitarent postea in suum conventum admittere. Apud Afros etiam maxima labes ex concubina ortis. Jugurtam Masinissa, quod ortus ex concubina erat, privatum reliquerat, ejusque ignobilitatem, quia materno genere impar erat, Hiempsal despiciebat (e). Quin hæc ad posteros etiam derivabatur: (f) *Dabar*, inquit Historicus, *filius ex gente Masinissæ, cæterum materno genere impar, nam pater ejus ex concubina ortus erat.*

Hujusmodi tamen notæ aliquando, postquam scilicet litteræ omnes, omnisque elegantia totius Europæ finibus ob irrumpentes barbaros exturbata fuerat, adeo sæcula illa undequaque miserrima non puduit; ut, cum primum cognomina nominibus propriis addi iterum cæpissent, hinc nonnulli *Bastardi* cognominati in antiquis monumentis occurrant (g). Quoniam præterea firma paucis cognomina erant, cum multi de patris nomine cognomentum sibi adsciscerent, ita aliquos, quod ignoto patre orti essent, antiquis chartis subscriptos legit vir immortalitate dignissimus Joannes Mabillonius: (h) *Herluinus filius matris suæ: Petrus filius matris suæ*. Hos autem & matrem ignorasse, ut expositi solent, probabile arbitror, si quidem matrem compellassent, si potuissent, quemadmodum apud eumdem Mabillonium ille *Paganus filius Mariæ* (i). Sed & melioribus

(a) *Sen. Troad. a.2.* (b) *Athen. l.13.* (c) *Corn. Nep. Agesil.* (d) *Plutarch. Themist.* (e) *Sallust. Jug* (f) *ibid.* (g) *Vid. mabill. de re diplom. l.2.c.7.* (h) *ibid.* (i) *ibid.*

ribus temporibus, qui hac natalium turpitudine inquinabantur, eamdem palam professos, puto, cum fieri aliter non posset, quod lapides antiqui testantur. Offendes apud Gruterum, qui se *Gintussæ* filium (a), qui *Geminæ* filium (b), qui Ɔ. F. (c), hoc est Cajæ filium se appellat.

CAPUT XII.

Nemo Patriciorum ignobilis. Princeps ignobiles potest nobilitare.

EX his, quæ hactenus dicta sunt, satis apparet, quinam generatim fuerint nobiles apud priscos Romanos, sed peculiarius aliqua restant dicenda de hoc cæterorum domino populo, deque tam illustri omnibus sæculis gente. Cum igitur hoc discrimen fuerit civium Romanorum ut alii patricii fuerint, alii plebeji, quæritur, cujus generis fuerint nobiles.

Advertendum autem est primum, plebejos bifariam dici, modo prout opponuntur patriciis, modo prout opponuntur Senatui, & equitibus. Prout plebeji patriciis opponuntur, ii omnes sunt, qui a patribus, sive majorum, sive minorum gentium originem minime ducebant, qui enim ducerent, patricii vocabantur, quæ divisio optime dicitur Rosino (d) *divisio naturæ*. Prout vero plebeji opponuntur Senatui, & equitibus, ii omnes sunt, qui in senatum non assumpti, neque inter equites censi, & divisio hæc *juris* dicitur (e). Universus enim populus Romanus in tres ordines discretus erat, *senatorium*, *equestrem*, *plebejum*. Hoc duplex naturæ, seu generis, & juris, seu ordinis discrimen fortassis innuit Tullius cum ait: (f) *omnes boni omnium* generum, atque ordinum *suam salutem cum mea conjungunt*, itemque alibi: (g) *ea denique* generum, ordinumque *omnium*. Sed omnia notiora sunt, quam ut his immorari ultra debeam.

Cum autem quærimus, utrum plebejorum aliqui nobiles fuerint apud Romanos, non sumendi plebeji sunt, prout Senatui opponuntur. Cum enim, & in amplissimum ordinem utriusque generis homines assumpti fuerint, & in alterum equestrem, in tertio etiam, qui plebejus vocabatur, & patricii, & plebeji genere, & nobiles, & ignobiles hærebant. Hic propterea extremus ordo bifariam rursus aliquibus dividebatur, *in populum*, *& tribus*. Populi quidem est & alia acceptio, ut senatui opponatur comprehendatque omnes *tum plebejos* *tum*

(a) *DCCLXIV.* 4. (b) *DCXLIX* 5 (c) *DCCXXIV.* 5. (d) *Antiq. Rom. l.* 1. *cap.* 18. (e) *Rof. l. c.* (f) *pro Sul. cap.* 29. (g) *in Pis. c.* 41.

tum equites, hic vero *populus* primores plebis complectitur, *tribus* vilissimam turbam.

Dat populus, *dat gratus* eques, *dat thura* senatus,
Et ditant Latias tertia dona tribus (a).

Jam vero illorum, qui plebeji genere erant, ulline nobiles? Planius est, quam ut probatione indigeat. Quinam vero, mox dicam. Interim quærere libet, utrum & patriciorum aliqui ignobiles. Visum hoc Lipsio(b), quod tamen probari mihi non potest. Neque meæ me sententiæ pœnitebit unquam, cum præcipue iis initatur rationibus, quibus viros doctissimos(c) assensos fuisse video.

Primum enim hoc certum puto, antequam plebejis via esset ad nobilitatem, nobilitatem ipsam ita fuisse patriciorum, ut nobilis non aliunde aliquis esset, nisi qui patricius, ideoque patricium neminem fuisse, qui simul non esset & nobilis. Sub initium enim libertatis cum duæ tantum familiæ honores reipublicæ delibassent, certe Vitellii, & Aquilii *nobilissimi* juvenes (d) dici non poterant, nisi quia patricii, pariterque hac sola de causa C. Mucius *adolescens nobilis* (e).

Sed Plebejus homo aperte affirmat, nobilitatem eorum omnium esse, qui patricii sint, hoc uno nomine, quia patricii, nulla habita alia generis, aut sanguinis ratione: (f) *hoc* (sermo est de promiscuis utriusque ordinis connubiis) *si polluit nobilitatem istam vestram, quam plerique* non genere, nec sanguine, sed per cooptationem in patres *habetis, aut a regibus lecti, aut post reges exactos jussu populi*. Cur autem postquam plebejis communicata nobilitas, patricii suam amitterent? Cum plebs alterum consulem ex suis fieri contenderet, non se patriciis nobilitatem adimere, sed eam participare velle dicebat: (g) *quippe ex illa die in plebem ventura omnia, quibus patricii excellant; imperium, atque honorem, gloriam belli*, genus, nobilitatem, *magna ipsis fruenda, majora posteris relinquenda*.

At poterant etiam patricii imagines non habere. Verum vel ad nobilitatem nunquam, vel semper illis suffecit ejus ostentare imaginem, eumque generis sui auctorem prodere, qui inter patres virtute sua vel a Romulo, vel a Tarquinio, vel ab alio quopiam, qui patrum numerum auxit, allectus fuerat.

Quid porro opus conjecturis? Etiam cum aliqui plebejorum nobiles essent, qui scilicet tribunatum militum consulari potestate erant consequuti, Livius *nobilitatem* pro universo patriciorum corpore usurpat. Certamen erat de altero consule ex plebe creando, ubi ait Histori-

(a) *Martial. l. 8. epig. 15.* (b) *elect. l. 1. c. 29.* (c) *V. Calepinum editum a V. C. Jacobo Facciolato Patavii* 1718. *v. Nobilis*. (d) *Liv. l. 1. c. 5.* (e) *id. l. 2. cap. 12.* (f) *id. l. 4. c. 4.* (g) *Liv. l. 6. c. 37.*

storicus: (a) *comitia consulum adversa* nobilitate *habita*, deinde paulo post: *Concessumque ab* nobilitate *plebi de consule plebejo: a plebe* nobilitati *de Prætore uno, qui jus in urbe diceret, ex patribus creando*. Præterea alibi: (b) *non patientibus tacitum tribunis, quod pro consule uno plebejo tres patricios magistratus curulibus sellis prætextatos tamquam consules sedentes* nobilitas *sibi sumpsisset*.

Sed quo tempore patricii splendidiores habiti non sunt plebejis quantumvis nobilibus? Hos etiam illi contempsere, quantum conjicio, & certamen matronarum in sacello Pudicitiæ patriciæ (c) satis fortasse hoc probat, cum Virginiam Auli filiam patriciam nuptam Volumnio consuli matronæ patriciæ, quod e patribus enupsisset, sacris arcuerunt. Sed dum timide videtur Cicero Sulpicio exprobrare, (d) eum sibi hoc sumere, ut, nisi quæ patriciæ sint, bono esse genere familiam nullam credat, puto convicii loco, & in Sulpicium, & in cæteros patricios voluisse illum ingerere. Hoc enim ægre tulisse plebejos nobiles, quod patricii suam pluris, quam plebejorum facerent nobilitatem, liquet ex alio Ciceronis loco, ubi Torquatum ita alloquitur: (e) *sed tamen te a me pro magnis causis nostræ necessitudinis monendum esse etiam atque etiam puto: non possunt omnes esse patricii, si verum quæris, ne curant quidem, nec se æquales tui propter istam causam abs te anteiri putant*.

Addo etiam, nihil fuisse plebejis nobilibus, cur inter patricios legerentur, nisi hinc illustrior eorum nobilitas fieri potuisset, quod certe non accidisset, nisi patricius ordo & nobilis universus, & splendidiori etiam fuisset nobilitate. Legimus autem apud Tacitum hæc: (f) *iisdem diebus ascivit Cæsar* (Claudius) *vetustissimum quemque ex senatu, aut quibus clari parentes fuerant in numerum patriciorum*. Hoc vero quanti a Romanis fieret, colligi potest ex Gruterianis inscriptionibus, in quarum nonnullis inter præclarissimorum virorum titulos & id memoratur, quod lecti inter patricios. P. Cælius P. F. (g), P. Plautius Pulcher (h), Cn. Domitius Lucanus (i), recensitis aliis dignitatibus, honorumque titulis, lecti inter patricios dicuntur.

Neque enim credendum est illis collatam Patriciatus dignitatem, quæ multo est illis temporibus recentior. Ut enim hoc obiter dicam, quod & supra innui, instituere aliquando imperatores *Patricios* non ordine, non genere, sed dignitate, ita velut patres principis appellatos.

Siquis autem, ut contrarium evincat, objiciat, patricios etiam sæpe

(a) *l. 6. cap.* 42. (b) *l. 7. cap.* 1. (c) *Liv. l.* 10. *cap.* 23. (d) *pro Mur. cap.* 15. (e) *pro Sul. cap* 23. (f) *Ann. l.* 11. *c.* 25. (g) *CCCXXXIX*. 6. (h) *CCCCLII*. 5. (i) *CCCCIII*. 1.

pe transiisse ad plebem, ita factum non ibo inficias; attamen hoc aliis de causis accidisse, ajo, quas hic non refert memorare, non autem ideo, ut splendidiorem gradum hac transitione consequerentur. Patet eo, quod familiæ origine plebejæ, modo nominis saltem similitudine vulgo hoc possent probare, inter plebejas a patriciis transiisse, pleræque gloriabantur, non aliam sane ob causam, quam quod illi splendidior origo, splendidiorque patriciorum nobilitas. Cicero aperte id affirmat: (a) *falsa genera, & ad plebem transitiones, cum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus.*

Propositum eo etiam firmo, quod ab auctoribus sæpe, cum plebejorum nobilium fit mentio, ea fit cum aliqua diminutione. Apud Livium: (b) *minor C. Licinio Stoloni, illustri quidem viro tamen plebejo.* Cave autem, ne illustrem hic alio sensu accipias, quam pro nobili. Confertur enim Licinius cum Servio Sulpicio genere, non virtutibus, totaque historia illa sororum Fabiarum de genere maritorum est. Vere autem fuit nobilis Stolo, quippe qui C. illius Licinii Calvi omnium primi ex plebe tribuni militum consulari potestate ex Lucio filio nepos erat.

Sed si patriciorum aliqui non nobiles aliquando fuere, cum tamen iis ad nobilitatem per honores via interclusa non esset, nonnumquam apud auctores mentio incideret patricii alicujus *novi*. *Novus* enim, ut infra, vocabatur, qui primus nobilitatem sibi pareret, ac suis. Verum quamquam novos eorum aliquos dictos affirmat Sigonius (c), non tamen alios memorat, quam Scaurum, qui tantum abest, ut vere novus esset, ut *nobilissimus* dicatur Tullio, opponaturque Q. Pompejo vere homini novo: [d] *nec mihi unquam minus in Q. Pompejo novo homine, & fortissimo viro virtutis esse visum est, quam in homine* nobilissimo *M. Æmilio.* Porro cum Tullius ait, [e] Scauro ad honores parandos *præsidium fortunæ defuisse*, quomodo hoc dicat, dubitat etiam Asconius, [f] *cum Scaurus patricius fuerit, quæ generis claritas etiam inertes homines ad summos honores provexit.* Idem tamen quæstionem solvit, ita loquutum Ciceronem affirmans, *quod tribus supra hunc Scaurum ætatibus jacuerat domus ejus fortuna.* Quemadmodum igitur, ut supra docuimus, *in suum* (novorum) *locum aggregare*, ait Tullius, [g] *Sulpicium*, ita & Scaurum aggregare poterat. Utrique enim quamvis nobili ob intermortuam familiæ gloriam æque, ac novis laborandum fuit ad parandos honores, quæ una est ratio, propter quam patricii aliquando novi videri potuerint.

Sed

(a) *Brut. c. 62.* (b) *l. 6. c. 34.* (c) *Emend. l. 2.* (d) *pro Mur. c. 16.* (e) *pro Scaur.* (f) *in orat. pro Scaur.* (g) *pro Mur. c. 16.*

Sed tandem hoc addo, quoties patriciorum, plebejorumque mentio fit, nunquam in patriciis nobilitatis discrimen notari, secus vero in plebejis, quod sane probat, eos omnes fuisse nobiles, horum quosdam tantummodo. Livius: (a) *tribus patriciis petentibus P. Cornelio Merenda, L. Manlio Volsone, M. Æmilio Lepido, duobus nobilibus jam familiarum plebei C. Attilio Serrano, & Q. Ælio Pæto*. Citatus Asconius: (b) *sex competitores in consulatus petitione Cicero habuit, duos patricios P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam: quatuor plebejos, ex quibus duo nobiles, C. Antonium M. Antonii oratoris filium, L. Cassium Longinum*. Neque vero audiendi essent, qui dicerent, hoc ideo fieri, quia patricii amissa nobilitate plebejis annumerabantur, postquam diutius caruisset honoribus familia. Primum enim hoc supra rejecimus, deinde hoc non probaret eorum, qui vere patricii haberentur, ac dicerentur, aliquos fuisse ignobiles, imo contrarium hinc conficeretur, scilicet non potuisse patricios amittere nobilitatem, nisi simul & esse patricii desiissent. Omnes ergo patricii nobiles semper fuere.

At Ancus, qui patricio patre ortus, dicitur *nobilis una imagine Numæ* (c). Illic vero quæritur nobilitas, quæ regno Romanorum dignos faceret, qualis superbissimæ fæminæ patriciorum nobilitas visa non fuit.

Fortasse aliquibus majorem possent suspicionem movere Macrobii verba, ex quibus colligi videtur discrimen fuisse inter patricios, eosque propriis usos insignibus, quorum majores magistratum curulem gessissent. Ita ille: (d) *Alii putant, eumdem Priscum, cum is statum civium solertia providi principis ordinaret, cultum quoque ingenuorum puerorum inter præcipua duxisse, instituisseque, ut patricii bulla aurea cum toga, cui purpura prætexitur, uterentur; dumtaxat illi, quorum patres curulem gesserant magistratum. Cæteris autem, ut prætexta tantum uterentur, indultum: sed usque ad eos, quorum parentes equo stipendia justa meruissent*. Verum mihi crucem nunquam figet hoc Macrobii testimonium, cum hic omnia oscitanter aliunde congesta inveniantur. Alibi ostendam prætextam, & bullam plurimis aliis gestata, præter patricios: hic autem quæso, quem patricii magistratum curulem gerere poterant sub regibus? consulatumne, præturam, ædilitatem? An aliquis sella curuli sedebat præter regem? Nescio, an ulli hoc dici possit, cum Livius inter regia insignia & sellam curulem recenseat (e), ubi illa omnia ab Etruscis sumpta, sibi persuasum affirmat. (f) *Me haud pænitet eorum sententiæ esse, quibus & apparitores, & hoc genus ab Etru-*

H

(a) *l. 22. c. 35.* (b) *in or. cont. Comp.* (c) *Liv. l. 1. c. 34.* (d) *Saturn. l. 1. cap. 6.* (e) *l. 1. c. 8.*

Etruriæ finitimis, *unde* sella curulis, *unde toga prætexta sumpta est*, *numerum quoque ipsum sumptum placet*. Qui primi civium sella curuli sedere, hi regibus exactis consules fuere, qui, eodem historico teste, (a) *omnia jura*, *omnia insignia regia primi tenuere*, ideoque prætura, ac ædilitate institutis non patiebantur tacitum tribuni, ut idem ait (b), *tres patricios magistratus* curulibus sellis *prætextatos* tamquam consules *sedentes*. Hinc apparet, quæ fides haberi Macrobio possit, cum a Tarquinio Prisco quinto Romanorum rege propriis insignibus donatos asserit patricios, quorum patres *curulem gesserant magistratum*.

Porro cum planum factum sit, patricios omnes nobiles fuisse, addo etiam, quod hinc satis constare puto, nobilitatem statim eum consequutum, qui e plebejis inter patricios lectus fuisset. Licet enim, qui civitate Romana donabantur, plebeji omnes essent, non pauci tamen fuere, qui inter patricios a regibus primum, deinde lege lata ad populum, tandem ab imperatoribus transducti sunt.

Quapropter non mirari non possum, quod sint aliqui hac nostra ætate, qui contendant, satis id non esse, ut dicatur aliquis nobilitatem adeptus, quod eum Princeps in numerum nobilium aggreget, & esse nobilem patentibus litteris, vel alia sanciat ratione. Sicut enim veterum Romanorum exemplo nobilitari eos concedimus (quamquam ne hoc quidem concoquere aliqui sciant) quibus Princeps amplissimos magistratus, & dignitates confert; ita eorum exemplo concedendum mihi videtur, illos quoque nobilitari, quos Princeps ex more, ac reipublicæ legibus nobiles vocat. Si enim hoc sibi sumpserunt juris, quicumque Romæ imperarunt, ut quem vellent esse patricium, is patricius, ideoque nobilis continuo esset; cur nunc etiam Principes hoc sibi non sumant, ut continuo nobilis sit, quem esse nobilem jubent? Dederunt hoc prisca sæcula imperatoribus suis, ut natales possent restituere, quod ne ad jurisperitos abeamus, satis patet ex quadam ad Trajanum pliniana epistola (c), ut nimirum libertis maculam servitutis perinde abstergerent, ac si ingenui nati essent: hoc nos quoque Principibus damus, quin etiam nobilibus primi fastigii quamplurimis, ut natales spuriis, & nothis restituant; id vero illis negabimus esse juris, ut ignoti quantumvis, & obscuri hominis natales honestent, ac nobilitent? *Non genere*, *non sanguine*, *sed per cooptationem in patres*, ut ille ajebat (d), habebant nobilitatem Romanorum nonnulli, habeant eamdem nostris quoque temporibus illi, qui a Principibus in eum leguntur ordinem, qui nobilium est, sive hi patricii, sive Comites, sive nobiles tantummodo, aut alio

(a) *l. 2. c. 1.* (b) *l. 7. c. 1.* (c) *l. 10. ep. 77.* (d) *Liv. l. 4. c. 4.*

alio quovis nomine pro regionum, ac rerum publicarum diversitate appellentur: Quicquid enim alii dicant, cum instituti mei non sit pluribus hoc confirmare, Cæsaris primum, ut Plinius ait (a), deinde omnium Principum esse puto, ut *nobiles & conservent, & efficiant*.

CAPUT XIII.

De Plebejorum nobilitate. Novi qui?

DE Plebejis, qui plebeji *ordine* & *jure* erant, verba facienda non sunt. In hunc enim ordinem redigebantur patricii etiam, ideoque nobiles, cum nec senatores erant, neque ob paupertatem equo merere poterant. Ita plebejus erat ordine, quamquam patricius genere, ac propterea nobilis, ille L. Tarquitius, quem Livius ait (b), *stipendia pedibus propter paupertatem fecisse*.

De Plebejis *genere* igitur est nobis sermo, quos a patriciis *natura* ipsa discreverat. Antequam pateret plebi ad magistratus curules via, nobilitas patriciorum solummodo fuit, quæ deinde plebejis quoque per magistratus curules communicata. Cum primum enim utrisque promiscui facti sunt curules magistratus, in plebem statim, quod futurum ille ajebat (c), venere omnia, quibus patricii excellebant, *imperium, honor, gloria belli, genus, nobilitas*. A curuli enim magistratu jus sumebant plebeji ponendæ imaginis, quod nobilium dumtaxat esse voluerunt. Itaque Tullius se ait, *ob ædilitatem* (d) *adeptum jus imaginis ad memoriam, posteritatemque prodendæ*. Certum propterea apud omnes est, plebejorum eos fuisse nobiles, quorum majores sella curuli sedissent.

Sed priusquam etiam aditus esset plebi ad curules magistratus, aliquod erat inter plebejos generis discrimen, ut si minus nobiles, at certe *boni bonis prognati*, quemadmodum civis illa Attica (e), & haberentur aliqui, & vocarentur. Non alia de causa Livius Icilios appellat (f) *generosos, ut inter plebejos*. Hujus ordinis quin fuerint, non dubito, quos *primores plebis*, & *principes plebis* vocat idem Historicus. Nondum tamen hi nobiles, siquidem Livius a nobilibus distinguit: *primores* (g) *plebis nobilium amici*, atque ad nobilium honores, hoc est ad curules magistratus aspirantes describit, *principes plebis* (h) *jamdiu necquicquam imminentes spei majoris honoris*. Ad eam autem, quæ eorum esse poterat, nominis præstantiam e plebeculæ sordibus illos præ-

H 2 cipue

(a) *paneg. c.* 69. (b) *l.* 3. *c.* 27. (c) *Liv. l.* 6. *c.* 37. (d) *in Verr. l.* 5. *c.* 36.
(e) *Terent. Phorm. art.* 1. 5. 2. (f) *l.* 4. *cap.* 54. (g) *l.* 4. *cap* 60. (h) *l.* 4. *cap.* 25.

cipue emersisse crediderim, qui minores, & plebejos magistratus, & præsertim tribunatum plebis gessissent. Sicut enim hinc sua plebejorum *novitas*, ita hinc & sua eorum *nobilitas*. Tribunorum sanguinem Icilios, appellat Livius *generosos*, *ut inter plebejos*, & tribunos idem *homines novos*: facile homines novos (a) *auctoritate principum de sententia deduci*. Eos etiam qui consequuti primum quæsturam fuere, *novos* pariter dicit: (b) *patefactus ad consulatum, & triumphos locus novis hominibus videbatur*.

Verum postquam invecta fuit in plebem per magistratus curules vera nobilitas, flocci fieri cœpit quæcumque ulli esset generis & natalium bonitas, ipsique e plebe nobiles *iisdem ac patricii sacris initiati* (c) *contemnere plebem, ex quo contemni desierant a patribus, cœpere*. Itaque ille jam tantummodo *novus* dictus, qui primus in familiam magistratum curulem attulisset, quo solum familia, ac posteri nobilitari poterant. A *novis* autem qui propagabantur, ii nobiles erant. Ita Cicero pater, ut ipse se appellat, homo *novus*, Cicero filius *nobilis* fuit. Utrumque, quamquam apud omnes in confesso est, firmo uno Livii loco: (d) *nec finem ante belli habituros, quam consulem vere plebejum, idest* hominem novum *fecissent*. *Nam plebejos nobiles iisdem initiatos esse sacris, & contemnere plebem, ex quo contemni desierint a patribus, cœpisse*. Advertendum tamen, quod iis, quorum parentes primi magistratus gesserant, huicque nobilitatis initio proximi nimium erant, tam obscura, utpote nimium recens, nobilitas erat, ut quamvis novi dici non possent, timide tamen nobiles dicerentur. Colligitur hoc ex Pediano, qui hujusmodi homines a nobilibus distinguit: (e) *sex competitores in consulatus petitione Cicero habuit, duos patricios P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam: quatuor plebejos, ex quibus duo nobiles, C. Antonium M. Antonii oratoris filium, L. Cassium Longinum, duos qui tantum non primi ex familiis suis magistratum adepti erant, Q. Cornificium, & C. Licinium Sacerdotem*.

Est & alia *novi hominis* acceptio, ut putat Sigonius, cujus hæc sunt (f): Novus homo *apud Livium dicitur & is, qui magistratum cœpit, quem non antea gessit, & qui primus ex familia curulem magistratum cœpit*. Hoc secundum in confesso est apud omnes; priori autem significatione *novum* dictum a Livio, Sigonius putat hoc singulari loco, quem ita legit, cum depravatum invenisset: (g) *nec cuiquam eorum præter Terentium consulem erat mandatus honos, quem non jam antea gessisset, præteritis aliquot fortibus, ac strenuis viris, quia in tali tempore* nul-

(a) *l. 4. c. 48.* (b) *l. 4. c. 54.* (c) *l. 22. c. 34.* (d) *l. 22. c. 34.* (e) *in orat. contr. Compet.* (f) *ad Liv. l. 22. c. 35.* (g) *Liv. l. c.*

nullus novis magistratus *videbatur mandandus*. Verum parum feliciter, ut alia multa, hunc locum emendasse Sigonium, arbitror, eo maxime, quod emendatio tota nititur hac nova *novi* hominis acceptione, quæ nemini ante ipsum cognita, quamque comminisci opus non fuisset, si ita legisset, ut postea Gronovius (a): *nulli novus magistratus videbatur mandandus*. *Novus* igitur dictus ille est tantummodo, qui primus e sua familia magistratum cepisset.

CAPUT XIV.

An equites Romani nobiles?

POstquam vidimus, patricios omnes nobiles fuisse, nobiles etiam nonnullos ex plebe, non esset, cur quæreremus alia de equitibus, nisi huc nos aliquis vocasset. Divisio enim equitum non naturæ est, sed juris, ac sicut in infimo civium ordine, hoc est plebejo, multi erant non nobiles dumtaxat, sed patricii, ita etiam in secundo, seu equestri. Equites enim ex censu lecti, non ex genere, ideoque equitum patricii alii, alii plebeji, nobiles item alii, alii ignobiles. Hæc certa adeo sunt, ut non mirari non possim, quod Tiraquello in mentem venerit id quærere, (b) utrum equites Romani nobiles fuerint, quodque id ipsum satis illi probabile fuerit visum. Quid enim refert, quod Hirtius dicat: *cecidere eo prælio*, splendidi & illustres viri *nonnulli equites Romani*, quod Plinius Junior: (c) *Sertorium Severum prætorium virum*, *aliosque equites Romanos* splendidos, quod idem alibi: (d) *Robustum* splendidum *equitem Romanum*, quod Cicero: (e) *rogatum a C. Plotio equite Romano* splendido, *Nursino*, quod idem etiam, potuit enim hoc quoque Tiraquellus adjicere: (f) *equitibus Romanis* honestissimis viris *afferuntur ex Asia quotidie litteræ*. Ut enim hoc dem Tiraquello, his, & hujusmodi aliis epithetis nobilitatem semper, & nihil aliud significari; hæc omnia aliaque multa, quæ afferri possent, testimonia aliud non evincunt, quam qui ita appellantur, fuisse nobiles, nequaquam vero universum equitum ordinem ex solis nobilibus constitisse.

Rem satis per se claram ut alicujus tamen auctoritate illustremus; eques Romanus M. Tullius equitibus Romanis nobiles ex adverso ponit (g): *equitum Romanorum in homines nobilissimos maledicta*. Adde ex eadem oratione pro Plancio plura, quæ probant, proximos quidem nobi-

(a) *ad Liv. l. c.* (b) *cap. 37. num. 164.* (c) *l. 5. epist. 1.* (d) *l. 6. epist. 25.* (e) *Fin. 2. cap. 58.* (f) *pro leg. Man. cap. 4.* (g) *pro Planc. cap. 33.*

nobilium fastigio equites fuisse, non illud tamen tenuisse. *Hic* (a) *familia consulari est, ille prætoria, reliquos video esse equestri loco: cedat consulari generi prætorium, nec contendat cum prætorio equester locus. Si quod* (b) *equitis Romani filius est, inferior esse debuit, omnes tecum equitum Romanorum filii petivere*. Cum vero qui *nobilitati favebant* (c), fecisse ædilem Laterensem, cæteros non item dicat; clare ostendit, Laterensem, cujus *nomen utraque familia consulare*, nobilem fuisse, non item Plancium, licet *ea vetustate* (d) *equestris ordinis, ut pater, ut avus, ut majores ejus omnes equites Romani fuerint*. Hæc de aliis Tullius; de Tullio autem poeta (e)

Hic novus Arpinas ignobilis, & modo Romæ
Municipalis eques.

Converso civitatis statu tantum splendoris sub Imperatoribus accessit equestri ordini, ut Tranquillus, & Tacitus *equestre fastigium* (f), *summum equestrem gradum* (g), *ordines amplissimos* (h), senatorium scilicet, & equestrem vocent, equitesque *illustres*, *insignes*, *splendidos*, *notos* passim memorent. Si unquam enim, tunc nobilibus ille ordo abundabat. Namque scimus Julium Cæsarem, (i) quum ordo equester diminutus esset, ex omni suo, etiam extra Italiam, imperio multos affinitatibus, & opibus primarios accersitos in eum allegisse. Quod idem præstitit Vespasianus, qui (k) *amplissimos ordines, exhaustos cæde varia, & contaminatos veteri negligentia purgavit, supplevitque recensito senatu, & equite, submotis indignissimis, & honestissimo quoque Italicorum, ac provincialium allecto*. Præterea & qui ignobiles erant, imo & libertini, ac liberti, & muneribus, quæ illis mandabantur a Principe, & opibus, quas illinc conflabant, non nobilitabantur dumtaxat, sed auctoritate etiam senatoribus præstabant sæpius. Hæc habemus de L. Vestino: (l) *Curam restituendi Capitolii in L. Vestinum confert equestris ordinis virum, sed auctoritate famaque inter proceres*. Erant autem hæc munera præcipue præfectura prætorii ab Augusto usque, deinde procurationes principis, neque illæ solum, quibus loco præsidum provinciis præesse jubebantur, de quibus Lipsium consule ad Tacitum (m), sed etiam quæ privatis principum negotiis agitandis institutæ erant. Hinc præter immensas opes extitisse etiam equitum nobilitatem Tacitus aperte affirmat loco alibi citato: (n) *utrumque avum procuratorem Cæsarum habuit, quæ equestris nobilitas est*. Pater Pompejæ Macrinæ certe dicitur ab eodem Tacito, eques illustris: (o) *etiam in Pompejam Macrinam exilium statui-*

(a) *c.* 15. (b) *c.* 17. (c) *c.* 18. (d) *c.* 32. (e) *Juven. sat.* 8. (f) *Tac. ann.* 4. *c.* 40. (g) *Suet. Galb. c.* 14. (h) *Id. Vespas. c.* 9. (i) *Dio. l.* 43. (k) *Suet. Vespas. c.* 9. (l) *Tacit. ann. l.* 4. *c.* 53. (m) *ad l.* 12. *Exc. B.* (n) *Agric. c.* 4. (o) *ann. l.* 6. *c.* 18.

tuitur. Pater quoque illustris eques Romanus, ac frater praetorius, cum damnatio instaret, se ipsi interfecere. At unde hic libertini generis homo continuo nobilis, & illustris? nempe M. Pompejo Theophane genitus, qui, ut ex Strabone (a), Asiae procurator sub Tiberio, cui ex intimis amicis, fuerat. Ut omnia magis eluceant, accipe horum Pompejorum stemma.

Theophanes Mitylenaeus Pompeii libertus.

|

M. Pompejus Theophanes Asiae procurator.

|

Pompejus Theophanes *eques illustris.*

| |

Pompeja Macrina. Pompejus Theophanes praetorius.

Idem manifestius fit adhuc his, quae de duobus equitibus Romanis leguntur: (b) *Mella, & Crispinus equites Romani dignitate senatoria.* Lipsius hic optime: *non enim revera senatores, sed opibus, & splendore cuivis senatorum pares.* At unde opes, & splendor? *Nam hic* (Crispinus) *quondam* praefectus praetorii, *& consularibus insignibus donatus: Mella, quibus Gallio, & Seneca parentibus natus, petitione honorum abstinuerat per ambitionem praeposteram, ut eques Romanus consularibus potentia equaretur, simul acquirendae pecuniae brevius iter credebat* per procurationes *administrandis principis negotiis.* Quare constat, neque prisca, neque recentiori republica ulli nobilitatem fuisse, eo quod ordine esset equestri, in quem non ignobiles solum cives, sed libertini, ac liberti beneficio principis, converso statu civitatis, allecti sunt; verum inter equites multos fuisse nobiles, vel ob antiquam majorum dignitatem, vel muneribus nobilitatos, quibus praeficiebantur a Principe.

Sed Tiraquellum hominem Gallum proculdubio decepit vernacula loquendi consuetudo, qua modo Galli, Hispani, Itali viros nobilissimo loco natos *Equites* dicimus, unde etiam non dubitavit asserere, (c) Romanorum equitum velut vestigia esse, quos *milites auratos*, aut *equites torquatos* dicimus, quae falsissima, imo & ridicula puto. Hinc tamen deceptus certe & Hispanus quidam, qui quaestionem in-

(a) *l.* 13. (b) *Tac. ann.* 16. *c* 17. (c) *l. c.*

instituens, *utrum apud Romanos nobilior esset annulus in digito, an luna in calceis:* (a) *annulus*, ait, *maximum dignitatis, sive nobilitatis argumentum apud Romanos passim, insigne ordinis equestris*. Sed cum annulus ordinis equestris insigne fuerit, nullum fuit nobilitatis argumentum, neque cum calceorum lunulis conferendus, quæ vere nobilitatem arguebant, ut mox ostendam.

C A P U T XV.

An antiquis gentilitia insignia? Stemma quid?

QUoniam eo deveni, ut agendum sit de nobilium insignibus, investigare libet, utrum apud antiquos ea fuerint singulis nobilium familiis insignia propria ad eam rationem, qua nostris temporibus usurpamus, quæque gentilitia insignia, seu *arma* vocamus, *ideo fortasse non inepte*, ut ait Tiraquellus, (b) *quoniam plerumque hæc insignia in* armis *insculpi, & antiquis, & nostris temporibus solebant*. Hoc idem auctor affirmat illo Ovidii testimonio: (c)

Sumpserat ignara Theseus data pocula dextra,
Cum pater in capulo gladii conspexit eburno
Signa sui generis —

Sed & Aventinus apud Maronem (d)

— *clypeoque insigne paternum*
Centum angues, cinctamque gerit serpentibus hydram.

Turnus etiam, cui, (e)

— *si prima domus repetatur origo,*
Inachus, Acrisiusque patres, mediæque Mycenæ,

clypeum gestabat, quem (f)

— *sublatis Cornibus Jo*
Auro insignibat jam setis obsita, jam bos:

Addi poterat & Senecæ (g) Hyppolitus, in cujus ense

Regale parvis asperum signis ebur
Capulo refulget, gentis Æthææ decus.

Accedat Svidæ auctoritas asserentis, apud Thebanos, qui σπαρτῶν progenies essent, eorum clypeo solitum insculpi draconem. Neque spernendus alius Virgilii locus, qui ideo videri potest, Helenori illi Mæonii Regis notho puram, & nullis imaginibus insignitam parmam dedisse, quia furtivo concubitu ex serva editus paternam ori-

(a) *Mendoza. Virid. erud. l.15. probl. 76.* (b) *c. 6. n.29.* (c) *Metam.7.* (d) *Æn 7.*
(e) *ibid.* (f) *ibid.* (g) *Hyp. a. 3. sc. 2.*

originem jactare non poterat, & quasi servilis generis habebatur: (a)

— quorum primævus Helenor,
Mæonio regi quem serva Lycimnia furtim
Sustulerat, vetitisque ad Trojam miserat armis:
Ense levis nudo, parmaque *inglorius* alba.

Hæc vero, & alia poetarum testimonia levem fidem mereri, si heroica tempora respiciamus, fatetur Silvester Petrasancta, (b) *quoniam dicere quis posset istbæc fingi a poetis ad commendationem ævi sui, atque antiquitati consecrari recens inventum*. Eadem tamen propterea, inquam ego, rem valde suspiciosam facere possunt, si ad illa tempora referantur, quibus poetæ scripsere, sæpissime adumbrata ab illis, & præcipue a Marone, qui omnis, quæ apud Romanos obtinebat, consuetudinis vestigia quædam illis etiam Heroum temporibus ostendit, ut tacite significet ab illis ad Romanos deductam. Sed hæc mera nugamenta mihi erunt, donec validius aliquid afferatur. Quod autem insuper affert Tiraquellus ex Svetonio: (c) *cætera familiarum* insignia *nobilissimo cuique ademit, Torquato torquem, Cincinnato crinem*, nihil omnino ad rem. Hæc enim insignia non ejus rationis erant, de quibus quærimus. Torques enim collo circumdabatur Torquatis, ut clarum ex nummis, non clypeo insculpebatur: cirros etiam deferebant Cincinnati, non clypeo insculpebant, quod licet ad majorum suorum morem, eorumque memoriam facerent, non magis gentis insignia erant illa, quam Cethegornm bracchium exertum.

Illos, qui has inanias captant, mirum etiam non affirmasse, in usu quoque antiquis fuisse & litteras signare, & monetam cudere gentilitiis symbolis, ut nostro ævo faciunt viri principes, quibus ejus cudendæ jus. Affert Fulvius Ursinus (d) Sullæ denarium traditione Jugurthæ signatum, quam & annulo signatorio scalptam habuisse, Plinius tradit (e). Innuere alterum morem, videtur etiam Plautus (f):

Sed epistolas quando obsignatas afferet,
Siquidem obsignatas attulerit epistolas,
Nonne arbitraris eum adolescentem annuli
Paterni signum novisse?

Verum hæc, aliaque plurima, quæ hic referri possent, nullius unquam roboris erunt. Nemo enim hoc evincet, proprium, perpe-

I tuum,

(a) *Æn. 9.* (b) *Tesser. gentil. c. 3.* (c) *Cai. c. 35.* (d) *Fam. Rom.* (e) *l. 37. c. 1.* (f) *Trin. a. 3 sc. 3.*

tuum, & tanquam hæreditario jure a majoribus transmissum morem singulis gentibus, & familiis fuisse, ut iisdem gentiles omnes insignibus clypeos, aliave arma ornarent, litteras signarent, ac nummos. Arma ornasse, annulo signatorio usos esse, denariis symbolum aliquod excudisse, nequaquam diffiteor, his etiam aliquando gentium, & familiarum originem, quamquam sæpius propria facta, significasse, ut cum idem Sulla Sibylla denarium alium signavit, quo ostenderet, ut explicat Ursinus [a], cognomen a Sibylla familiæ suæ factum, ex cujus libris ludi apollinares primum sunt instituti suadente Cornelio Rufo Decemviro, qui propterea Sibulla primum, postea Sulla dictus. Verum hæc singuli pro arbitrio variare soliti fuere: nihil apud omnes certum, ac ne apud singulos quidem, cum id liberet.

Si enim par videtur ratio de cæteris, ac de annulis sigillaribus, illud argumento est, singulos pluribus aliquando usos, quod majoris fidei gratia, quo annulo, & imagine litteras signaverant, amicis significabant. Hinc Plinius: [b] *signata est annulo meo, cujus est aposphragisma quadriga*. Præterea ut intelligas, id nihil ad posteros pertinuisse, constat quidem, Julium Cæsarem annulo usum cum imagine Veneris Victricis, a qua per Æneam genus trahere gloriabatur. Verum Augustus hac, quæ videri poterat propria Juliæ gentis tessera, minime est usus, qui primo sphingen, dein Alexandri imaginem, tandem suam adhibuit. Qui autem Augustum sequuti sunt Principes, quidam Augusti ipsius, quidam suomet vultu, quidam alia imagine pro libito signarunt. Adi Abrahami Gorlæi in *Dactyliothecam suam Præloquium*, si plura de his quæris. Fateor equidem, in Macrianorum familia tam viris, quam fæminis Alexandri imaginem cum alibi, tum maxime in annulis semper gestatam, quemadmodum Trebellius Pollio, non vero Spartianus, ut habet Leonardus Augustinus [c], refert. Hoc tamen in more apud ipsos fuit, non quod hoc esset ejus familiæ symbolum, verum quia illa imagine juvari in negotiis, consiliisque, qui eam ferret, persuasum erat. Clarum ex Pollione: [d] *quod idcirco posui, quia dicuntur juvari in omni actu suo, qui Alexandrum expressum auro gestitant, vel argento*.

Propterea hi quoque, qui ferendorum insignium morem a vetustissimis sæculis, & a priscis Romanis repetunt, hunc non ab illis, quæ antiqui ferebant, insignibus fluxisse asserunt, sed *a vestium ornatu* [e]. Hæc autem sententia minime absurda videri fortasse potest,

[a] *l.c.* [b] *l.10.epist.16.* [c] *Dissert.de Gem.Antiq.* [d] *in Quiet.* [e] *Petrasanc.c.10.*

test, siquidem nostra, *ut nunc usus habet*, *insignia non tam rebus, quam coloribus constant, quibus & clypeorum areæ, & symbolorum imagines distingui solent*, ut harum rerum periti ajunt [a], ideoque heraldicæ artis illud circumfertur tamquam præcipuum axioma, *ne color colori, aut metallo metallum superaddatur*. Id tamen si quis etiam animadvertat, illi forte magis probabitur aliorum sententia, qui a vestium quidem ornatu nostrum hunc morem deducunt, verum non eo, qui a priscis Romanis repetendus sit, sed quo multis post sæculis induebantur viri nobiles in hastiludiis, seu torneamentis, ut vocant.

Cæterum mihi præ omnibus arridet Velseri opinio [b], quam Hoepingius etiam amplectitur [c], ferendorum insignium morem natura duce, ejusque instinctu inventum, arbitrantis. Hoc satis probabile fit tot illis exemplis, quibus docemur, clypeos cum imaginibus vel ab heroicis temporibus in usu fuisse. Verum hinc nihil contra sententiam nostram conficitur. Neque enim ideo colligi potest, Romanorum, totiusque ante eos antiquitatis insignia certa, perpetua, genti cuique, & familiæ propria, ordinis jure, principum favore usurpata, iisque circumscripta legibus fuisse, quibus heraldica ars nostris temporibus innititur. Insignia igitur sua antiquis fuere ad cujusque arbitrium: nostra nobis sunt ad earum legum normam, quas ipsi condidimus nullo antiquitatis exemplo præeunte. Optime ad hanc rem Velserus: [d] *hæc* (antiquorum insignia) *ad unum aliquod idem præscriptum cum nostri ævi insignibus non exigenda sunt: falluntur admodum, qui exigunt, & res, quas ex eodem fonte naturæ parentis instinctu haustas fatemur, sed alio, atque alio ritu, pro ut temporum ferebant consuetudines, constitutas fuisse videmus, imperite confundunt. Quin leges, quæ hodie opinione, an certo jure insignia circumscribunt, ut antiquissimæ sint, Carolum Magnum non prævertunt, a quo primum adumbratas, sub Henrico demum Aucupe, & posteris perpolitas arbitror*. Sed multo recentius initium his nostris gentilitiis insignibus tribuit Papebrochius [e], quippe quæ putat ex probatorum auctorum conjecturis tandem sæculo decimo tertio inventa, qualia nunc consuetudo habet, fuisse.

Sed Tiraquellus, dum antiquitati deberi gentilitia hæc, seu familiaria insignia, contendit, eo lapsus est, ut *stemmatis* nomine putaret ea apud antiquos significata. *Stemma*, ait, [f] *quasi στεφάνωμα, nam & hæc insignia gentilitia, ut & nunc quoque videmus, insigi*

I 2 de-

[a] *Velser. rer. Aug. vind. l.* 4. [b] *l. c.* [c] *de jur. Insign. c.* 3. [d] *l. c.* [e] *Tom.* 4. *Maii pag.* 12. [f] *c.* 6. *n.* 14.

depingique solebant in medio coronæ ex multis floribus compositæ. Stemma quidem quasi ςεφάνωμα omnes interpretantur, sed *stemma* pro gentilitiis insignibus nemo adhuc, qui quidem latine sciret, usurpavit. Falsus circa stemma & alius magni nominis jurisconsultus Alciatus, (a) dum credit idem proprie esse, ac imaginem, quod tamen dum putat, satis acute *schema* ubique legendum apud auctores suspicatur pro *stemma*. Sed quamvis stemma proprie imaginem non significet, aliquid tamen significat, quod proprie ad imagines pertinebat, propterea & pro ipsis imaginibus aliquando, & sicut ipsæ imagines, ita & stemma sumitur pro nobilitate.

Stemmata *quid faciunt?* (b)

Stemmate *materno felix*. (c)

Erat autem stemma corona quædam, seu circulus, quo inclusæ imagines pictæ inter se jungebantur lineis ad earum singulas discurrentibus. Docet hoc Plinius: (d) *stemmata vero lineis discurrebant ad imagines pictas*. Has lineas, quibus stemmata, ideoque imagines illis inclusæ inter se jungebantur, vocat Seneca *flexuras*: (e) *nomina familiæ longo ordine, ac multis stemmatum illigata* flexuris *in parte prima ædium collocant*. Ramos vocat Persius: (f)

Stemmate, quod Tusco ramum millesime ducis.

Itaque stemma pro serie illa imaginum inter se junctarum ab auctoribus sumitur: Cassiodorus, (g) *stemmate longo* dixit, hoc est longa serie imaginum. Sed clarius Svetonius: (h) *imperator vero etiam stemma in atrio proposuit, quo paternam originem ad Jovem, maternam ad Pasiphaen Minois uxorem referret*. Optime propterea recentioribus *stemma* significat *arborem genealogicam*, quam vocant, ubi videmus, nomina, aliquando & effigies majorum omnium circulis inclusas, lineisque discurrentibus inter se junctas.

CA-

(a) *Parerg. jur. lib. 2. cap.* 30. (b) *Juven. sat.* 8. (c) *Stat. lib. 4. syl.* 4.
(d) *lib. 35. cap.* 2. (e) *de Ben. lib. 3. cap.* 28. (f) *Sat.* 3. (g) *Variar. l. 3. epist.* 6.
(h) *Galb. cap.* 2.

CAPUT XVI.

Imagines in atrio : earum usus : paternæ , & maternæ : aliorum etiam præterquam illorum, qui magistratus curules gesserant.

DIcendum jam est de imaginibus, quæ non signum solum, sed potissimum ac luculentissimum nobilitatis signum fuere. *Est autem imago* inquit Polybius (a), cujus verba toto hoc capite ex Isaaci Casaboni versione dabo, *vultus similitudo, quam accuratissime expressa tum deformatione figuræ, tum & pigmentis*. Ut igitur aliquis in gente, aut familia claruerat, eo mortuo simulacrum ejus, solo tamen vultu, quam fieri poterat viventi simile, a posteris excitabatur, servabaturque, apposito nomine, titulisque, quibus inclaruerat. Has autem imagines e cera fuisse præter Juvenalis testimonium, qui *veteras ceras* (b) pro imaginibus dixit, ex Plinio etiam certum: (c) *expressi cera vultus*. Nomen autem, & dignitatem, gestorumque honorum titulos apponi solitos, & infra certum fiet auctorum locis, quos ad aliud probandum citabimus, & satis interea firmatur hoc Livii testimonio (d): *cujus imaginis* titulo *consulatus, censuraque, & triumphus æquo animo legetur, si auguratum, aut pontificatum adjeceritis, non sustinebunt legentium oculi?*

Servabantur autem imagines in *celeberrima ædium parte*, ut Polybius (e), hoc est in atrio, ut aperte indicant auctores.

Tota licet veteres exornent atria *ceræ* (f):

Seneca: (g) atrium *plenum fumosis imaginibus*. Neque ullum decipiat, quod habet Tacitus: (h) *in* vestibulo *effigiem patris Silii demonstrat*. Procul dubio enim hic Historicus *vestibulum* pro atrio sumit, quod aliis scriptoribus Latinis aliquando usitatum, etiam postquam vestibulum ab atrio quid erat diversum, unde A. Gellius: (i) *animadverti, quosdam haud indoctos viros pinari*, vestibulum *esse partem domus priorem, quam vulgus* atrium *vocat*. Sed manifestum est, vestibulum ibi a Tacito pro atrio sumi, quod illam effigiem non demonstratam ait, nisi patefacta domo. *Vestibulum* enim proprie dictum ante ædes erat, ut ex Macrobio clarum (k), intra ædes *atrium*, quo ut perveniretur, fores recludi oportebat: *patefieri* (l) *domum adulteri, atque illuc deduci imperatorem jubet, ac primum in vestibulo effigiem patris Silii consulto senatus abolitam demonstrat*. Ser-

(a) *lib.* 6. (b) *Sat.* 8. (c) *l.* 35. *c.* 2. (d) *l.* 10. *c.* 7. (e) *l. c.* (f) *Juven. sat.* 8. (g) *epist.* 44. (h) *Ann. l.* 12. *c.* 35. (i) *l.* 16. *c.* 5. (k) *Saturn. l.* 6. *c.* 8. (l) *Tac. l. c.*

Servabantur porro cereæ imagines in armariis, ut ex Plinio: (a) *expressi cera vultus singulis disponebantur* armariis. Polybius etiam: (b) *imaginem defuncti in celeberrima ædium parte ponunt*, lignea quadam ædicula *circumtectam*. Verum quoniam non tam frequenter hæc patebant armaria, neque cereæ imagines proferebantur; extrinsecus, quæ intus latebant, armariorum postibus, seu thecis illis ac ædiculis ligneis depictæ erant, discurrentibusque lineis inter se jungebantur, hæque sunt, quas *stemmatis* inclusas fuisse superiori capite diximus. Plinius: (c) *expressi cera vultus singulis disponebantur armariis. Stemmata vero lineis discurrebant ad imagines pictas*.

Causa servandarum imaginum videri potuit ad ostentationem nobilitatis, tamquam illæ essent *generis, ac nominis*, ut Tullius vocat, (d) *insignia, & ornamenta*, cum nobilis nemini videretur, qui nullas haberet, ut apud Svetonium: (e) *gens Flavia obscura illa quidem, ac sine ullis majorum imaginibus*; is autem aliis nobilior, qui plures, sicuti apud Sallustium: (f) *hominem veteris prosapiæ, ac multarum imaginum*. Hinc adventantibus aliquis, forte servus, qui atrii custodiæ præpositus, ideoque atriensis dictus, quot gradibus alter ab altero distaret, aut speciatim alicujus inter cæteros clarissimi imaginem ad familiæ decus elata virga ostendebat. Huc respexit Juvenalis, aut ego cum aliis fallor: (g)

—— multa contingere virga
Fumosos equitum cum dictatore magistros.

Servari tamen cœperunt imagines primum optimo consilio, ut posteri ad virtutem majorum exemplo excitarentur. Ita Valerius Maximus: (h) *prudentissimo viro succurrebat effigies majorum cum titulis suis iccirco in prima ædium parte poni solere, ut eorum virtutes posteri non legerent solum, sed imitarentur*. Neque frustra fuit aliquando hoc institutum. Nam præter id, quod refert ibi Valerius, ait etiam Sallustius, (i) *Maximos, Scipiones, præterea Romanæ reipublicæ præclaros viros solitos esse dicere, cum majorum imagines intuerentur, vehementissime animum sibi ad virtutem accendi*.

Qui autem videri potest præcipuus imaginum usus is fuit, ut in funerum pompa proferrentur. Etenim ait Plinius (k), ut tandem locum integrum afferam, *expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera, semperque defuncto aliquo totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus*. Cum igitur aliquis nobilium decesserat, toto gentilium suorum

popu-

(a) *l. c.* (b) *l. c.* (c) *l. c.* (d) *pro Sul. c.* 28. (e) *Vespas. c.* 1. (f) *Jugurt.* (g) *Sat.* 8.
(h) *l.* 5. *c.* 8. (i) *Jugurt. proœm.* (k) *l. c.*

populo, ut pliniana verba usurpem, comitante efferebatur. Namque apertis armariis depromptæ imagines, longisque perticis, seu hastis impositæ, ut fercula solent triumphorum, longo ordine, & pompa ante cadaver ferebantur. Hanc ferendarum imaginum rationem fuisse, Lipsius (a) docuit ex Silio (b):

— aut celsis de more pheretris

Præcedens prisca exequias decorabat imago.

Aliam vero longe augustiorem fuisse, accepimus ex Polybio (c), qua fortasse tamen latæ tantummodo, quæ insigniores cæteris erant. *Cum illustris vir aliquis ex eadem gente vel familia diem clausit ultimum, ad funeris elationem eas* (imagines) *proferunt, & ut quam simillimæ sint defuncto, reliquum etiam corporis truncum adjiciunt. Hæc porro simulacra togas assumunt, si vir consularis, aut prætorius quis fuerit, prætextas: si censorius, purpureas: si triumphalis, aut simili quo bonore functus, auro radiantes. Et hi quidem curru vecti procedunt: at fasces, & secures, & quæcumque alia magistratus comitari solent insignia, ibi quoque præcedunt pro bonore & dignitate, quam quisque in republica, dum viveret, obtinuit. Ad rostra ut ventum, ordine omnes sellis insident eburnis.*

Aliqui tradiderunt in funeribus imagines quasdam etiam foris, & circa limina domus expositas fuisse, neque omnes funus comitatas. Sed hos decepit certe Plinius cursim nimis lectus. Ait ille quidem, fuisse foris & circa limina imagines, sive hæ majorum fuerint, sive aliorum, quod mox examinabimus, affixis etiam hostium spoliis; attamen hujusmodi imagines non in funeribus solum inspiciebantur, sed nunquam non patebant, atque illinc refigere ne emptor quidem ædium poterat. (d) *Aliæ foris, & circa limina domitarum gentium imagines erant, affixis bostium spoliis, quæ nec emptori refigere liceret: triumphabantque etiam dominis mutatis ipsæ domus*. Innuit multo ante & Livius: (e) *quorum domos spoliis bostium affixis insignes inter alias feceritis*. Idem alibi: (f) *qui spolia ex boste fixa domi baberent*. Magnum quidem & hæ imagines, quamvis alius generis, nobilitatis argumentum, cum ædium domini magnorum virorum soboles non videri non possent, quorum facta præclara spolia hostica, & devictarum gentium simulacra testabantur.

Ex allatis Plinii verbis asserit quidam (g), in vestibulo, & in ipsis foribus atrii magnorum virorum, eorum scilicet, quorum ceræ imagines in atrio, fuisse statuas collocatas. Hoc significare videri potuit fortasse Plinius, donec non sine mendo ejus ita legebatur locus: *aliæ foris*,

(a) *elect. l. 1. c. 29.* (b) *l. 10.* (c) *l. c.* (d) *Plin. l. c.* (e) *l. 10. c. 7.* (f) *l. 23. c. 23.* (g) *Nicol. Abr. in phil. 2. Cicer.*

foris, & circa limina animorum ingentium *imagines erant;* verum postquam recentiores critici haud dubiis conjecturis legendum judicarunt: *domitarum gentium imagines erant*, idem argui ex plinianis verbis minime potest. Nihilominus tamen mihi quoque probabile est, non domitarum tantum gentium, sed ducum etiam, qui eas devicerant, conspicuas imagines fuisse, hasque etiam aut pugnantium, aut triumphantium habitu. Nec dubitarim huc & ipse trahere Juvenalem, qui cum imaginibus pictis, solumque vultum referentibus, quæ certe in atrio, ac extima armariorum superficie, statuas triumphales, aliasque incerti generis conjungit, simulque cum illis & has ostentatas a nobilibus, significat: (a)

—— pictosque ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos,
Et Curios jam dimidios, humerosque minorem
Corvinum, & Galbam auriculis, nasoque carentem.

Morem utrumque imagines majorum in atrio servandi, spoliaque hostium foribus, & liminibus affigendi adumbravit Virgilius, cum regiam Latini describeret, quamquam pro imaginibus cereis statuas cedrinas finxit aptius ad carminis dignitatem: (b)

Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro; Italusque, paterque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem,
Saturnusque senex, Janique bifrontis imago
Vestibulo adstabant, aliique ab origine reges,
Martia qui ob patriam pugnando vulnera passi.
Multaque præterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis.

Sed revertamur tandem, unde digressi sumus.

Armaria illa, ubi imagines e cera, non in gentilium tantum funeribus reserata. Quamvis enim imagines non proferrentur, recludebantur tamen armaria per solemnitates publicas, & imagines tunc conspiciebantur cum studio etiam exornatæ. Testatur Polybius (c). Quin lætis etiam rebus privatis in familiæ gratulatione pariter apertas, clare indicat hæc Tullii ironia: (d) *domus erit, credo, exornata: aperientur majorum imagines: ipse ornatum, ac vestitum recuperabit. Omnia, judices, hæc amissa sunt: omnia generis, nominis, honoris insignia, atque ornamenta unius judicii calamitate occiderunt.* Scimus etiam ex eo-

(a) *Sat. 8.* (b) *Æn. l. 7.* (c) *l. c.* (d) *pro Sul. c. 88.*

ex eodem solitas per hujusmodi tempora imagines laurea coronari: (a) *eam imaginem clarissimi viri parentis sui, quam* laureatam *in sua gratulatione conspexit*. Hic imaginum usus.

Numquid vero apud omnes nobiles hujusmodi imagines? Probabile id quidem, donec saltem nobilitatis ratio habita fuit, quamquam id libere, siquidem Catoni Stoico paterni generis unam imaginem fuisse, cum plures habere posset, Valerius Maximus affirmat: (b) *exiguum viri patrimonium, adstricti continentia mores, modicæ clientelæ; domus ambitioni clausa, paterni generis una imago, minime blanda frons, sed omnibus numeris perfecta virtus*. Plinius (c) suo ævo sublatam hanc consuetudinem, queritur, quod proculdubio contigit, cum omnia ex unius nutu pendere cæperunt, & per imperatorum vim, ac superbiam nobiles, ignobiles uno ordine habebantur.

Qui imagines majorum ad posteritatem prodebant, hos utriusque familiæ, paternæ scilicet, & maternæ prodidisse, omnes affirmant, neque ulli licet dubitare. Svetonius de Galba: (d) *stemma in atrio proposuit, quo* paternam originem *ad Jovem*, maternam *ad Pasiphaen Minois uxorem referret*. Præterea cum elato cadavere delatæ sint utræque, clarum, & utrasque domi fuisse. Tacitus autem de Drusi funere: (e) *circumfusas lecto Claudiorum, Juliorumque* (Lipsius (f) emendat *Liviorumque*) *imagines, defletum in foro, laudatum pro rostris*. Sed cum deinde aviæ imagines non frangeret nepos, matris autem adderet, factum puto, ut ad veritatem sint expressa illa: *atrium* plenum *fumosis imaginibus* (g): *imagines, quæ implevere cæsareum atrium* (h):

Atriaque immodicis arctat *imaginibus* (i).

Sane in Juniæ funere *viginti* (k) *clarissimarum familiarum imagines antelatæ sunt, Manlii, Quinctii, aliaque ejusdem nobilitatis nomina*.

Hic quærendum tandem est, quorum virorum imagines ponere liceret. Uno ore omnes, quos offendi, auctores, eorum ajunt, qui magistratum curulem cæpissent, ædilitatem, præturam, censuram, consulatum, tribunatum militum consulari potestate, decemviratum ferendarum legum, dictaturam, magisterium equitum. Horum omnium servatas imagines, certius est, quam ut firmari ullius auctoritate debeat. Liceat tamen ea afferre, quibus mihi videor, bona magnorum virorum aliter opinantium venia, posse affirmare, non eorum tantummodo imagines positas fuisse.

Primum autem nihil me movent verba Ciceronis, (l) qui ab ædi-

(a) *pro Mur. c. 88.* (b) *l. 2. c. 10.* (c) *l. c.* (d) *Gal. c. 2.* (e) *ann l. 3. c. 5.* (f) *quæst. epist. l. 4. epist. 3.* (g) *Sen epist 44* (h) *id consol. ad Pol. c. 33.* (i) *Martial. l. 2. epigr. 90.* (k) *Tac. ann. l. 3. c. 76.* (l) *in Verr. l. 5. c. 36.*

ædilitate se consequutum, inquit, *jus imaginis ad posteros prodendæ*. Ibi enim Cicero id refert, quod juris illi fuit, non id etiam, quod aliis esse potuit, ut alibi innui. Neque pariter contrarium evincunt illa alterius loci: (a) *qui beneficio vestro imagines familiæ consequuti sunt*. Cum enim non magistratus tantum curulis, sed quilibet magistratus, imo & sacerdotium post legem domitiam, de qua Tullio fit mentio (b), beneficium populi fuerit, illinc conficeretur, cujuscumque magistratus, & sacerdotis imagines esse positas.

Præter magistratus curules, Deorum imagines habuere primum, qui ab iis se credi volebant propagatos. Hinc Jupiter in Galbæ stemmate, ut ex Svetonio (c). Deinde Heroum, & indigetum, tertio regum. Clare Tacitus: (d) *funus imaginum pompa maxime illustre fuit, cum origo Juliæ gentis Æneas, omnesque Albanorum reges, & conditor urbis Romulus, longo ordine spectarentur*. Regum etiam imagines memorantur Livio: (e) *Ancum nobilem una imagine Numæ*, pariterque ubi Tullia Tarquinio: (f) *Dii te penates, patriique, & patris imago, & domus regia, & in domo regale solium*. Converso vero reipublicæ statu imperatorum imagines servatas quidem domi, arbitror, minime tamen prolatas in funere posterorum, discimus ex Dione (g), qui in funere Augusti tradit, Julii Cæsaris non visam imaginem, quia inter semideos relatus. Sed o novum adulationis genus! Num superioris subsellii Deus Cæsar, quam Æneas, aut Romulus? Ita quisque nova somniabat, ut dominis gratius blandiretur.

Post regum imagines non dubito clarissimas fuisse eorum, qui magistratus curules cæpissent. Post has quidni etiam imagines eorum, qui sacerdotio functi, aut tribunatum plebis gessere, sive ne abrumperentur successionum gradus, sive quia & hi inter familiæ decora? Si enim imaginis titulis adjiciebatur etiam post alios honores auguratus, & pontificatus, ut ex Livio clarum (h), ad magis honestandam viri memoriam, nescio, quare, si Pontifex tantum hic fuisset, ut nonnulli fuere de honorum curriculo immatura morte submoti, dignus videri non debuerit, cujus nomen imagine posita posteritati proderetur.

Fac, P. illum Licinium Crassum, *congestis omnibus humanis a natura*, (i) *fortunaque bonis* illustrem, antequam ædilis crearetur, in pontificatu maximo, quem senibus duobus, honoratisque victis consequutus fuerat (k), cum nondum sella curuli sedisset, fac, inquam, ex-

(a) *de leg. Agr. ad pop. c. 1.* (b) *Brut. epist. 5.* (c) *Galb. c. 2.* (d) *Ann. l. 4. c. 9.* (e) *l. 1. c. 34.* (f) *ibid. c. 47.* (g) *l. 56.* (h) *l. 10. cap. 7.* (i) *Liv. l. 30. cap. 1.* (k) *Id. l. 25. c. 5.*

extinctum; quis ejus imaginem tanto populi favore, tanta expectatione juvenis a posteris non habendam fuisse, credat? Idem dicendum videtur de P. Cornelio Calussa, qui centum viginti annis ante hunc Crassum (a) Pontifex Maximus fuerat, priusquam sella curuli sedisset.

Tantumne pugnassent plebeji, ut secum etiam sacerdotia communicarentur, nisi sacerdotum nomen, ut consulum familiæ ornamentum futurum fuisset? Eo magis dubito, quod Cicero inter nobilitatis decora sacerdotia etiam numerat, atque hæc tamquam ad imagines spectantia: (b) *delectat amplissimus civitatis gradus, sella curulis, fasces, imperia, provinciæ*, sacerdotia, *triumphi, denique imago ipsa ad posteritatis memoriam prodita*.

De tribunis vero plebis rem satis manifestam affero. L. Minucii illius, qui præfectus annonæ Sp. Melii ambitionem deprehendit, & ad senatum detulit, imago fuit apud Minucios tribuni plebis titulo inscripta, falso quidem, ut observat Livius (c), sed tamen hoc titulo inscripta. Non video autem, cur patricii Minucii id mentiri voluerint, nisi quod speciosior tribuni titulus illis visus, quam tantum præfecti annonæ, eumque tribunorum imagines poni solerent, illinc petitum a minoribus jus imaginis illius ponendæ, quæ ob tanti viri virtutem, ejusque in rempublicam merita, in laudem familiæ digna visa est, quæ servaretur. Præterea Sex. illum Titium damnatum scimus, (d) quod Saturnini imaginem domi habebat. Hic vero Saturninus tribunus plebis itidem fuerat, & in eo magistratu ob motam seditionem occisus.

Sed & cujuslibet senatoris imaginem servatam dicam post Svetonium, apud quem habemus: (e) *multis in familia* senatoriis *imaginibus*. Quin cujuscumque, modo vir egregius fuerit, & patriam juvarit, imaginem servatam, arbitror. Si enim cujus imaginis titulus a prætura poterat sumi, & a consulatu, hujus imagini non alius apponitur, quam qui generatim virtutem indicet, mihi videor posse affirmare, futurum fuisse, ut ejus imaginem ponerent posteri, etiam si semper privatus, prætor, aut consul non fuisset, quando horum honorum nulla in titulo mentio. Fuit autem Cassii imago ita inscripta: (f) *C. Cassius dux partium*, quamvis hic prætor fuisset, & consul designatus.

Privatorum, qui virtute inclaruissent, imaginem fuisse apud poste-

K 2

(a) *Id. ibid.* (b) *pro Rab. Post. c.* 16. (c) *l.* 4. *c.* 16. (d) *pro C. Rab. perd. c.* 24. (e) *Aug. c.* 4. (f) *ann. l.* 16. *c.* 7.

fteros, colligitur etiam ex P. Cornelii Nasicæ verbis, ubi ait, suam, etiam non consulis, ac triumphalis viri, satis honoratam imaginem dumtaxat ob virtutum titulos, futuram fuisse, (a) *quod ad se attinet, sibi gloriæ in omnem vitam illo die satis quæsitum esse: quo se virum optimum judicatum ad accipiendam matrem Idæam misisset Senatus. Hoc titulo, etsi nec consulatus, nec triumphus addatur, satis honestam, honoratamque P. Cornelii Nasicæ imaginem fore.*

Præterea quo spectant illa de Scaptio? (b) *clarum hac fore* imagine *Scaptium nomen?* Certe hunc nullum gessisse magistratum, memorat Livius, cum consul affirmet, nihilominus posituros ejus imaginem posteros, quod patriam prolatis finibus juvarit. Cum autem hujusmodi optime de republica meritis civibus statuas publice positas aliquando, ignoret nemo, privatim ipsorum imaginem ab eorum posteris non positam, numquam credam.

CAPUT XVII.

Imagines pro libito positæ, hominum etiam contemptorum. Quædam, arrepta occasione, de eorum nominibus, qui ab aliis in filios adoptabantur. Vetitum damnatorum imagines servare. Imagines, quæ minime ad nobilitatem spectarent.

EXtat apud Ciceronem celebris quædam epistola (c) ad L. Papirium Pætum, ex qua enucleatius aliquid de imaginibus statui posse, existimo. Videtur autem Pætus rerum suarum satis ignarus, & velut domi suæ hospes, cum forte agitaret animo majorum suorum imagines ordinare, plebejusque ipse Papirios omnes plebejos fuisse crederet, Ciceronem hac de re consuluisse. Huic Cicero responsurus, Papiriam gentem, quæ ante Papisia, origine patriciam fuisse, docet, in plures deinde familias diductam, patricias alias, alias plebejas. Patriciæ fuere Mugillanorum, Crassorum, Cursorum, Massonum, *quorum omnium patriciorum* Pætus *imagines habeat, vult* Cicero. Plebejæ fuere Turdorum, & Carbonum. *Hos contemnendos censet*. Quæ hinc arguo, hæc sunt.

Cum patricius aliquis ad plebem transibat, familiæ hic inter plebejos novæ quærere minime debebat novam a magistratibus curulibus nobilitatem, sed gentis adhuc ipse, posterique nobilitate fruebantur. Pætus enim plebejus erat, quippe qui ne noverat quidem Papiriorum ullum

(a) *Liv. l.* 36. *c.* 40. (b) *Liv. l.* 3. *c.* 72. (c) *fam. l.* 9. *epist.* 21.

ullum fuisse patricium. Nobilem tamen ille se noverat, qui de majorum imaginibus ordinandis cogitabat; nobilem certe fatetur Cicero, cum eum velit majorum imagines habere. Tota ergo illi nobilitas a gente Papiria. Ex familia enim Pæta nemo unus adhuc inventus est, qui sella curuli sederit, quod pariter dicendum est, si a Papiria Turdorum familia Pætos propagatos credamus. Carbonum id honoris consequutos aliquos scimus, sed a Carbonibus Pætos fuisse, nemo credet, cum advertet, quam illos Cicero apud Pætum vituperet.

Nobilibus, quorum ex gentilibus suis liberet, eorum licebat imagines habere. L. enim Pæti gentiles æque erant Papirii patricii, ac Papirii plebeji. Plebejorum tamen, licet ex iis Carbonum aliqui & cives e republica fuissent, & sella curuli sedissent, nullius prodendam imaginem, omnesque contemnendos, Cicero censet. Mugillanorum. Crassorum, Cursorum, Massonum omnium, ut imagines habeat, Pæto suadetur. Ex iis autem familiis omnes curulem magistratum adeptos, neque affirmat Tullius, nec credibile videtur. Imo Cursorum aliquem tantummodo *hominem valde honoratum* Cicero appellat: Massonum, præter unum ædilitium, *multos* tantummodo *fuisse*, ait, cum id tamen ponat: *quorum tu omnium patriciorum imagines habeas, volo*. Neque eorum ideo dumtaxat, qui sella curuli sedissent, neque omnium, qui sella curuli sedissent, sed quorum liberet, gentilium imagines prodere, mos nobilibus Romanis fuit.

Nulla habita magistratus curulis ratione imagines positas, manifestius ex Plinio colligitur, qui nebulonis cujusdam in atrio Scipionum offendit imaginem. Ita Plinius (a): *similis causa Messalæ seni expressit volumina illa, quæ de familiis condidit, cum Scipionis Pomponiani* (ita legendum, non *Affricani* viri docti viderunt) *transisset atrium, vidissetque adoptione testamentaria Salutiones (hoc enim ei fuerat cognomen) Affricanorum dedecore irrepentes Scipionum nomini*. Ad hæc verba ita eruditissimus Plinii interpres (b): *id ei cognomen* (Pomponiani) *a Pomponio Salutione mimo obtigisse significat homine prædivite, cujus testamento factus hæres Scipio fuerat, ut Pomponiani nomen assumeret, quod Romæ solemne fuit: sic enim Scipio Æmilianus appellatus: sic alii permulti. Eidem autem Scipioni Pomponiani, & Salutionis cognomen hæsit, ob affinitatem eam, & vultus quoque similitudinem*. Propositum satis firmo, modo hic, cujus imago stomachum Messalæ movit, fuerit Scipio cognomento Salutio, vel Salatto, ut Dio illum vocat (c). Quantus

(a) *l. 35. cap. 2.* (b) *Harduin. in. Plin. loc. cit.* (c) *l. 42.*

tus enim hic vir, accipe ex Svetonio: (a) *ad eludendas vaticinationes, quibus felix, & invictum in ea provincia Scipionum nomen ferebatur, despectissimum quemdam ex Corneliorum gente, cui ad opprobrium vitæ Salutioni cognomen erat, in castris secum habuit.* Verum illa imago non Scipionis, qui Salutio dictus, sed ipsius Pomponii Salutionis erat, qui propterea dicitur *irrepsisse* Scipionum nomini, in quod ille Scipio quamtumvis despectissimus hominum jure suo venerat, nec dici poterat irrepsisse. Sed ne irrepere quidem Scipionum nomini poterat amplius Scipio a Pomponio adoptatus, cum per adoptionem capitis diminutionem passus fuisset. Capite enim diminutos non amplius gentilibus adnumerari, docuit Scævola (b). Scipio autem Pomponianus, qui alius esse poterat, quam Pomponius ipse testamento in nomen, ac familiam Scipionum adoptatus? Neque mirum e Cornelia quidem gente, sed tamen despectissimum hominem in filium sibi mimum illum Pomponiorum forte libertum, libertini certe generis, adscivisse ob oris, unde & illi viventi Salutioni cognomen factum (c), & fortasse multo etiam magis ob morum similitudinem sibi antea satis conciliatum.

Hoc Romæ solemne fuit, ut quod nomen levi commutatione aliter flecteretur, hoc adoptati, non adoptantis esset, ita Æmilius, Scipio Æmilianus, ita Pomponius, Scipio Pomponianus dictus est, uterque a Scipionibus adoptatus. Quod si verum est, ut Antonio Augustino visum (d), hinc etiam fluxisse morem, ut adoptatus adoptivi patris nomen ita inflexum sumeret, hoc nonnisi a Salutionis temporibus perquam longe in usu esse cæpit. Justinianus enim, si ita appellatus fuit a Justini, qui eum adoptavit, nomine, scimus quot sæculis distet a Julio Cæsare, sub quo Salutio vixit, a quo etiam, licet propius, multum abest tamen & Paulus jurisconsultus Alexandri Severi temporibus clarus, qui, si locus ejus sanus est, ut Augustino, non autem mendosus, ut aliis videtur, Titianum quendam memorat Titii filium legitimum, hoc est adoptivum, ut jurisconsulti interpretantur. Cæterum, ut optime docet ex Dione Sigonius, (e) illud certum est, *qui adoptarentur ab aliquo, eos nomina illorum omnia, a quibus adoptarentur, ferre consuevisse, suum vero gentilitium nomen retinuisse illud quidem, sed aliquo modo commutasse.* Liceat, quamvis parum fortasse ad rem, aliqua hic de adoptatorum nominibus addere, ut planius fiat Pomponium a Scipione, non Scipionem a Pomponio adoptatum.

No-

(a) *Jul. Cæs. c.* 59. (b) *Cicer. Topic. c.* 29. (c) *Plin. l.* 7. *c.* 14. (d) *Emend. l.* 3. *c.* 8.
(e) *De nomin. Rom. c.* 3.

Nomen gentilitium ita commutabant, qui adoptabantur, ut tamquam aliud ab illo derivatum adjectivorum more in *Anus* desineret, cognomen vero familiæ, in qua nati erant, post illud nulla mutatione usurpabant. Ideo Cicero, alterius enim Pomponii subit recordatio, T. Pomponio Attico, postquam a Q. Cæcilio avunculo adoptatus fuerat, ita litteras inscribit: (a) *Cicero S. D. Q. Cæcilio Q. F. Pomponiano Attico*. Hoc autem omnibus solemne fuit, qui adoptarentur, neque de nominis gentilitii mutatione dubitare Sigonium (b), æquum est, quamvis Aurelium Orestem a Cn. Aufidio adoptatum, Cn. Aufidium Orestem, Calpurnium Pisonem a M. Pupio, M. Pupium Pisonem nominatos invenerit. Tam enim illi erant Aufidius Aurelianus Orestes, Pupius Calpurnianus Piso, ac pariter alii Q. Metellus Pius Cornelianus Scipio, Q. Cæpio Junianus Brutus; quam T. olim Pomponius, Q. Cæcilius Pomponianus Atticus, licet *Attico* tantummodo inscribat alias epistolas Cicero, idemque Cæcilius Atticus vocetur solum a Svetonio: (c) *Agrippinam M. Agrippa genitam, neptem Cæcilii Attici, ad quem sunt Ciceronis epistolæ, duxit uxorem*, ut certissimum sit, quoties gentis nullum nomen invenitur, id omitti, quia ex familiæ cognomine gentis nomen facile intelligitur. Etenim ne tot nominum tam longa serie uterentur, non dubito aliqua aliquando præteriisse. Aliquos autem usitatius fuit gentis nomine vocari, ut Scipionem Æmilianum potius, quam Paullum, aliquos familiæ cognomine, ut Cæpionem Brutum potius, quam Junianum, ut omnibus constaret, ex qua Juniorum familia esset.

Familiæ tamen cognomen aliquo modo commutatum aliquando, sensit citatus Augustinus in suis emendationibus, (d) cum ait; *a Juliis Juliani, a Marcellis Marcellini, a Domitiis Domitiani*, quod apertius etiam asserit alibi, (e) ubi ait, Marcellum, qui per adoptionem in familiam transit Lentulorum, fuisse appellatum P. Lentulum Marcellinum, & ab eo originem Marcellinos duxisse. Lentulos Marcellinos a Marcellorum aliquo, qui a Lentulo adoptatus fuerat, propagatos, certissimum puto vel eo solum, quod ejusdem generis Marcelli, ac Marcellini dicuntur a Cicerone: (f) *omnium Marcellorum, Marcellinorum etiam* [*mirificus enim generis, ac nominis vestri fuit erga me semper animus*]. Verum qui Marcellorum primus in Lentulorum familiam adscitus, eum aliter ac Lentulum Marcellum,

(a) *l.3. Attic. ep.20.* (b) *l. c.* (c) *Tib. c.7.* (d) *l. c.* (e) *Famil. Rom. ad Corn. Lentul.* (f) *l. 15. fam. ep.10.*

lum, five Lentulum Clodianum Marcellum vocatum esse, ut affirmem, non ita facile adducar. Falso enim hujus rei citatur testis Cicero, qui nihil ait aliud (a), quam P. Lentulum fuisse M. Marcelli filium. Sed ipse Augustinus parum sibi constans, cum meminit Cn. Lentuli Cn. F. Clodiani qui consul fuit anno DCLXXXI. cum L. Gellio, hæc habet: (b) *hic Lentulus ex cognomine videtur a Clodia in Corneliam familiam transiisse, cujus rei incerta historia est, nisi forte primus Marcellinorum sit*. Primus autem Marcellinorum hic, puto, idem est ac *auctor ipse Marcellinorum*. Attamen ne hoc quidem verum esse potest, cum anno urbis DCXCVII. consul fuerit Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, qui P. F. dicitur, unde apparet Marcellinos a Cn. Lentulo Clodiano minime esse profectos. Quare potius assentior Sigonio, qui ait, (c) P. Lentulum, qui Cn. hujus Marcellini pater fuit, P. illius Lentuli filium fuisse, qui M. Marcello natus erat. Puto itaque P. Lentulum P. Lentuli Marcelli filium statim appellatum Marcellinum, quo nomine deinde Cn. filius, totaque ejus posteritas Marcellini sint appellati. Ad majorem dictorum claritatem sic mihi videor posse Marcellinorum stemma ordinare.

M. Marcellus, qui deinde P. Cornelius
Lentulus Clodianus Marcellus

|

P. Cornelius Lentulus Marcellinus P. F.

|

P. Cornelius Lentulus Marcellinus P. F. P. N.

|

Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus P. F.
P. N. P. Pron. Consul anno Urbis DCXCVII. cum L. Marçio Philippo.

Est autem hic Cn. consul Marcellinus appellatus non Clodianus, non *ut omnes intelligerent ex qua Claudiorum familia ortus esset*, quemadmodum ait Sigonius (d), sed ut omnes intelligerent ortum ab eo, qui a Claudiis Marcellis ad Cornelios Lentulos transierat, neque *ut ab altero Lentulo Clodiano tum vivente internosceretur*, sed quia inter

(a) *Brut*. 136. (b) *l. c.* (c) *com. in fast. ad an.* DCXCVII. (d) *l. c.*

inter Lentulos natus, non in eorum nomen per adoptionem adscitus, *Clodianus* vocari non poterat, quo tamen nomine Publius proavus ejus vocatus fuerat.

Sed id dum contendo, cognomina familiæ nulla unquam ratione commutata fuisse, ne putes, aliquando hoc etiam accidisse gentilitio nomini, ut non aliter flecteretur. Scio, M. Terentium Varronem Lucullum, qui consul fuit cum C. Cassio Varo anno DCLXXX. non *Licinianum* Lucullum, sed *Licinium* Lucullum appellatum inveniri, ita enim plumbeus tubulus Romæ, ut Sigonius refert (a), inventus: *C. Cassio Varo M. Licinio Lucullo Cos*. Novum tamen hoc minime esse animadverte, ut etiam post adoptionem eo, quod ante adoptionem eorum fuerat, vetere nomine adoptati vocarentur, seu quia ita libebat, seu quia eo notiores fortasse erant. Ita Cicero, qui *Pomponiano Attico* literas dederat IIII. non. Octob. (b), idem recentissima adhuc adoptione VI. Kal. & prid. Kal. Decemb. *Pomponium* appellat: (c) *Mi Pomponi, pugna:* (d) *Tertium caput, mi Pomponi*. Varro etiam innuit: (e) *Atticus, qui nunc T. Pomponius, nunc Q. Cæcilius cognomine eodem*. Quare cum *Licinium Lucullum*, *cum Pomponium Atticum* legis, eos scito, naturæ, & quo nati sunt, non legum, aut consuetudinis, & adoptionis nomine appellari, simulque id certum sit, utro libuisset, eos licitum, & usitatum nomine appellare.

Neque illud credas, quoties cognomina aliquorum in *Anus* desinentia invenis, per ea adoptionem semper significari. Neque enim a Vespasiis Vespasianus, neque a Domitiis Domitianus ad Flavios transierant. Verum cum liberum esset, cognomina majorum relinquere, ac nova sibi sumere [quod Cn. Pompeii exemplo satis probatur, qui Pompeii *Strabonis* filius, *Strabo* nunquam dici voluit] alteri non *Flavio Sabino* patris cognomine, sed *Flavio Vespasiano* a matre Vespasia Polla, alteri a matre Domitilla *Domitiano* cognomen est inditum. Sic etiam, teste Plinio (f) *Catonum alii* Liciniani *ex Licinia priore Catonis Censorii uxore*, *alii* Saloniani *ex Salonia altera uxore dicti sunt*.

Sed iterum ad Scipionem illum Salutionem, cujus imago inter Africanos, postquam ex Pomponio mimo Scipio Pomponianus Africanorum dedecore factus fuerat, satis ostendit, nullius vetitum, nobilibus saltem, fuisse imaginem servare præterquam eorum, qui judi-

L

(a) *com. in fast. ad an.* DCLXXX. (b) *l.* 3. *Attic. ep.* 20. (c) *epist.* 22. (d) *epist.* 23.
(e) *l.* 2. *de re rust. c.* 2. (f) *l.* 7. *c.* 14.

judicio damnati fuerant, cujus rei caufam colligere poffumus ex Cicerone, ubi Titium damnatum ob fervatam Saturnini imaginem refert: (a) *ftatuerunt equites Romani illo judicio, improbum civem effe, & non retinendum in civitate, qui hominis hoftilem in modum feditiofi imagine, aut mortem ejus honeftaret, aut defideria imperitorum mifericordia commoveret, aut fuam fignificaret imitandæ improbitatis voluntatem.* Damnatorum autem imagines vetitas, & abolitas tacite ipfa hominis damnatione, veriffimum puto, aliquando tamen & in ipfas imagines fententiam dictam, reperimus. *Tum Cotta Meffalinus*, (b) *ne imago Libonis exequias pofterorum comitaretur*, *cenfuit*. Attamen & has fervabant, nifi animadverteret accufator aliquis, unde Titio vetere republica crimini fuit Saturnini imago *(c)*, deinde & Silio imago patris (d), & Caffio Longino Caffii percufforis Cæfaris imago (e). Quin poftquam deflagraverat civium odium, judiciique memoria facta erat obfcurior, horum etiam imagines proferebant, quemadmodum legimus, (f) C. Cæfarem aufum omnium primum imagines Marii in Juliæ funere proferre.

Sed præter imagines majorum, quod obiter dictum fit, aliorum etiam in atrio fervatas, invenio, non has fane ad nobilitatis oftentationem, fed alicujus, quem valde admirabantur, religiofum veluti cultum, & amoris fignificationem. Has vero non ex cera, fed ex ære, aliave materia. Ita Brutus ob Demofthenis amorem ejus imaginem in atrio habuit. Cicero: (g) *Demofthenes quidem, cujus nuper inter imagines tuas, ac tuorum* [*quod eum, credo, amares*] *cum ad te in Tufculanum veniffem, imaginem ex ære vidi*. Plinius alter etiam de Titinio Capitone: (h) *mirum eft qua religione, quo ftudio imagines Brutorum, Cafforum, Catonum domi, ubi poteft, habeat*.

(a) *pro Rab. perd. c.* 24. (b) *Tac. ann. l.* 2. *c.* 32. (c) *Cic. l. c.* (d) *Tac. ann. l.* 11. *c.* 35. (e) *id. ann. l.* 16. *c.* 7. (f) *Plutarch. Caf.* (g) *orat. ad Br. cap.* 110 (h) *l.* 1. *epift.* 17.

C A P U T XVIII.

De calceis lunatis Romanorum. Nobiles omnes gestabant. Nec prætexta, nec bulla aurea, nec phaleræ, nec annuli aurei erant nobilitatis insignia. Alia apud alias nationes insignia nobilitatis.

SIcut imagines domi habere, ita lunulam gerere calceis adsutam signum erat nobilitatis apud Romanos. Hac promiscue nobiles omnes & patricios, & plebejos usos fuisse, ajo. Erat autem hæc lunula *fibula eburnea ad instar lunæ corniculantis*. Calcei, quibus hæc fibula adsuta, lunati dicebantur. Hanc patriciam lunam vocat Statius: (a)

— genitum sibi Curia sensit
Primaque patricia *clausit vestigia* luna

Patriciorum etiam fuisse tantummodo nota videtur innuere vetus Juvenalis Scholiastes: (b) *lunula adsuta calceis discernebantur* patricii *a novitiis*. Plane hoc affirmat Isidorus, qui etiam ait eam notam fuisse centenarii numeri, quia quos patres adscivit Romulus, hi centum numero fuere: *patricios calceos Romulus reperit quatuor corrigiarum, assutaque luna. Iis soli* patricii *utebantur. Luna autem in iis non sideris formam, sed notam centenarii numeri significabat, quod initio patricii senatores centum fuerint*. Melius dixisset, *quod initio patricii a centum senatoribus fuerint*. Sed tamen fallitur dubio procul Isidorus. Quicquid enim luna illa significaret, initio patriciorum solum fuit, verum sequentibus temporibus, cum plebeii parta sibi nobilitate *iisdem sacris initiati sunt*, ea usi promiscue nobiles omnes.

Hinc ortum proverbium: nobilitatem gestare in pedum malleolis, ἐν τοῖς ἀστραγάλοις, in eos, qui nobilitatem jactant, quo proverbio Bradeam quemdam vellicavit Herodes Sophista (c). Quoniam autem Statius vocat *patriciam lunam*, non dubito aut ab iis, qui primum gessere, sumpto nomine, ita semper appellatam, aut illum saltem illustriori nomine voluisse appellare. Scholiastem vero Juvenalis, satis apparet, patricios pro quibuscunque nobilibus accepisse, cum eos novitiis opponat. Proprie enim patricii plebeiis, nobiles novis opponuntur. Sed ipse satyrographus, Quintilianum

(a) *l. 4. Syl. 2.* (b) *ad Sat. 7.* (c) *Philost. Vit. Soph. l. 2. Her.*

lunam gessisse affirmat, quod nobilis, non quod etiam patricius, qualem certe eum nemo dixerit: (a)

— nobilis, & generosus

Adpositam nigræ lunam subtexit alutæ.

Philostratus etiam: (b) *Bradeas celeberrimus inter consules, &* nobilitatis *notam appositam calceis gestans. Hoc vero signum talare eburneum est lunulæ instar.* Ne hic quidem ullam patricii generis mentionem invenio, neque Bradeam patricium puto. Addo Plutarchum, qui quærit: (c) *cur qui* nobilitatis *genere aliis præstare videbantur* [non ait, *qui patricii*] *lunulas calceis gestabant.* Quas vero rationes ad solvendam quæstionem affert, quamquam omnes ingeniosas verius, quam probabiles fateor, nulla tamen est, quæ in solos patricios cadere possit.

Quid vero hæc lunula significaret, ad rem nostram nihil facit. Satis mihi est ostendisse, hoc nobilium omnium insigne fuisse, non patriciorum tantummodo. Hæc autem vera est ratio, quam aliis quærendam reliquit Octavius Ferrarius (d), cur qui nec patricii, nec senatores, lunulam calceis apposuerint. Alia porro ad calceos patricios spectantia, ut de eorum colore, de numero corrigiarum, de assuendæ lunulæ loco apud eundem auctorem, aliosque invenies, quæ tamen de omnium nobilium calceis dicta, semper ipse credam. Postquam enim, iterum repeto, plebeii sunt *iisdem initiati sacris*, quibus patricii, quæ eorum aliquando propria fuere, jure, injuria sibi etiam vindicasse, nemini non probabile puto.

Præter calceorum lunulas nobilitatis insignia apud Romanos fuisse *bullam auream, phaleras, aureos annulos, & prætextam*, Tiraquellus docet (e). Contra ego horum nullum nobilitatis insigne fuisse, assero.

Prætexta, ut singula hinc incipiam judicio doctorum virorum subjicere, gestabatur ab adultis simul, & pueris. Ex adultis gestabant magistratus, & sacerdotes, hæcque honoris, & dignitatis, non nobilitatis insigne erat. Dubium exoritur utrum e pueris nobiles solum gestarent. Sane de puerorum prætexta, quæ tam marium erat, quam fœminarum loquitur Asconius (f), cujus una auctoritate

(a) *Juven. Sat.* 7. (b) *l. c.* Βραδείας εὐδοκιμώτατος ὢν ἐν ὑπάτοις, καὶ τὸ ξύμβολον τῆς εὐγενείας περιηρτημένος τῷ ὑποδήματι. τὸ το τί ἐστιν ἐπισφύριον ἐλεφάντινον, μηνοειδές. (c) *quæst. Rom.* 76. Διὰ τί τὰς ἐν τοῖς ὑποδήμασι σελην ίδας οἱ διαφέρειν δοκοῦντες εὐγενείᾳ φοροῦσαν. (d) *Analect. de re Vest. cap.* 34. (e) *cap.* 37. *num.* 160. (f) *ad lib.* 2. *in Ver.*

tate nititur Tiraquelli sententia. Pueri prætexta simul cum bulla collo suspensa uti solebant ab eo tempore, cum Tarquinius Priscus bello sabino filium suum, quod annos quatuordecim natus hostem manu percusserat, pro concione laudatum bulla aurea, prætextaque donavit. Ferebant autem eam pueri, donec togam puram, quæ & virilis, sumerent, hoc est usque ad annum decimum quintum, vel decimum septimum, ut alii arbitrantur, quo tempore ex ephæbis egressi prætextam exuebant, bullamque laribus appendebant.

Sed de iis tandem quibus prætextæ jus fuerat, hæc Macrobius alibi etiam citatus. (a) *Alii putant, eundem Priscum, cum is statum civium solertia providi principis ordinaret, cultum quoque ingenuorum puerorum inter præcipua duxisse, instituisseque, ut patricii bulla aurea cum toga, cui purpura prætexitur, uterentur: dumtaxat illi quorum patres curulem gesserant magistratum. Cæteris autem, ut prætexta tantum uterentur indultum, sed usque ad eos, quorum parentes equo stipendia meruissent.* Deinde aliquibus interjectis: *concessum, ut libertinorum quoque filii, qui justa dumtaxat matrefamilias nati fuissent, togam prætextam, & lorum in collo pro bullæ decore gestarent.* Verum quanti facienda sit hæc Macrobii auctoritas, cum patet ex iis, quibus illam alibi rejecimus, quod sub regibus nullus esset magistratus curulis, quem patricii gererent, tum etiam, quod Plinium, qui certe scribenti Macrobio est obversatus, male idem transcripsit. Plinius enim bullam auream illis quoque tradiderat, quibus Macrobius prætextam dumtaxat. Ita Plinius: (b) *A Prisco Tarquinio omnium primo filium, cum in prætextæ annis occidisset hostem, bulla aurea donatum constat: unde mos bullæ duravit, ut eorum, qui equo meruissent, filii insigne id haberent, cæteri lorum.*

Aliquid clarius, & tutius ut de iis ferri judicium possit, affert Tullius, ubi ait: (c) *eripies igitur pupillæ togam prætextam? detrahes ornamenta non solum fortunæ, sed etiam ingenuitatis?* (scilicet eamdem prætextam). Idem aliquanto post. (d) *Neque te tam commovebat, quod ille cum toga prætexta, quam quod sine bulla venerat. Vestitus enim neminem commovebat is, quem illi mos & jus ingenuitatis dabat, quod ornamentum pueritiæ pater dederat, indicium, atque insigne fortunæ,* (nempe bullam) *hoc ab isto prædone ereptum esse, graviter, & acerbe homines ferebant.* Patet igitur prætextam ingenuorum

(a) *Saturn. lib. 1. cap. 6.* (b) *lib. 33. cap. 8.* (c) *lib. 1. in Ver. cap. 113.* (d) *cap. 152.*

rum propriam fuisse, & jure *ingenuitatis* ferri solitam, quod sentire etiam Asconium, cum *prætextam honestis tribuit*, *togam vilioribus*, alio loco ostendimus, ideoque nobilitatis ex ea nullum argumentum. Aliud enim ingenuitas, aliud nobilitas fuerat, atque ingenui, qui libertinis opponuntur, multo plures.

Porro, si *bullas aureas* post prætextam in manus sumamus, apparet, ne illis quidem nobilitatem significatam, earumdemque ferendarum morem ab ingenuitate fuisse, quemadmodum ferendæ prætextæ. Plinius quoque nullum nobilitatis argumentum in illis deprehendit, cum ait: (a) *mos bullæ duravit*, *ut eorum*, *qui equo meruissent*, *filii id insigne haberent*, *cæteri lorum*. Neque enim soli nobiles equo merebant, neque equestris militia initium erat nobilitatis.

Verum fortasse Tullius rem acu tangit, ut nemo melius. Asserit ille, ut ex nuper citatis locis ex libro primo actionis secundæ in Verrem aperte colligitur, *prætexta* quidem *ingenuitatem* argui, *bulla autem aurea* tantum *divitias*, ideoque hanc vocat *ornamentum fortunæ*, *ornamentum pueritiæ*, *indicium*, *atque insigne fortunæ*, quodque animadversione dignum est, *prætextam* dari, ait, *more*, & *jure ingenuitatis*, *bullam auream non nisi patris voluntate*: (b) *vestitus* (hic prætexta) *quem illi* mos, & jus ingenuitatis *dabat*: *quod ornamentum pueritiæ* (hoc bulla) pater *dederat indicium*, *atque insigne fortunæ*. Itaque hoc certum statuere tandem posse mihi videor, ingenuos omnes pueros jure suo prætexta usos, cui etiam bullam auream addebant, si, unde emeretur, suppeteret, ita tamen ut ab eadem ingenuitate jus etiam bullæ aureæ ferendæ iisdem esset, si per rem familiarem liceret sumere, cum libertini, ut ut divites numquam bullam auream ferre possent, sed *bullam scorteam*, nimirum *lorum* tantummodo. Quapropter qui ob paupertatem, sive fortasse etiam aliquando ob patris avaritiam, bulla aurea insigniri minime poterant, hi adhuc collo circumdabant lorum, idest ligamentum cum nodo, unde debuisset bulla pendere, quod Plinio visum moris fuisse eorum filiis, qui pedibus meruerant (c), cum tamen non quia eorum patres pedibus meruerant, id haberent in more positum, sed quia hujusmodi homines tenuiores, & pauperiores erant.

Jus itaque aureæ bullæ ingenuorum omnium fuit, bulla ipsa divitum. Propositum firmo Juvenalis testimonio: (d)

—*Quis*

(a) *l. c.* (b) *loc. cit.* (c) *l. c.* (d) *Sat. 5.*

— *Quis enim tam nudus, ut illum*
Bis ferat, etruscum *puero si contigit* aurum,
Vel nodus *tantum*, *&* signum de paupere loro,

ubi vides, lorum vocari pauper, quia pauperum erat e collo suspendere nodum hunc e loro, tamquam signum bullæ, quæ appendi debuisset. *Signum itaque de paupere loro* vetus poetæ Scholiastes interpretatur esse (a), *corrigiam parthicam, unde solet bulla pendere signum ingenuitatis*. Statius in Epicedio patris prætextam quoque divitibus solum gestatam, ait. (b)

Nec sine luce genus (quamquam fortuna parentum
Arctior expensis) etenim te divite ritu
Ponere purpureos infantia adegit amictus
Stirpis honore datos, & nobile pectoris aurum.

Locum hunc, quem satis implicatum fateor, primum ita explicat Emericus Cruceus, ut velit *ponere* accipiendum hic esse pro *sumere*, probarique his splendidum Statii genus, quoniam prætextam *divite ritu* induerat: ita deinde, ut *ponere* idem concedat esse, ac *deponere*, *relinquere*, *abjicere*, hisque probari, dicat, arctiorem fortunam parentum, quoniam reliquerit Statius *una cum divite ritu*, ut ipse Cruceus exponit, purpuram, seu prætextam. Mihi quidem violenta est prior interpretatio præcipue ob verbum illud *adegit*, quod invitum fecisse significat. Invitum autem prætextam sumpsisse, ridiculum est, invitum reliquisse facile intelligimus. Illud autem *divite ritu*, quod molestiam creat, jungam cum *purpureos*, ut sententia sit: *paupertas coegit deponere amictum, cui prætexta purpura, qualem solent divites ferre;* vel etiam jungi potest cum sequentibus *stirpis honore datos*, ut hic sit sensus: *paupertas coegit deponere purpuram ad stirpis bonorem concessam, modo eam ferre per fortunam liceret, quemadmodum mos est divitum*. Facile vero adducor, ut credam, pauperibus licet ingenuis nullam aliquando fuisse prætextam, sed tamen hoc rarius evenisse puto, ac non nisi maxima premerentur egestate, ne umquam cum libertinis confunderentur.

Video autem novum posse scrupulum injici ex allatis poetæ verbis, ut hinc aliquis iterum velit, nobilitati prætextam, & auream bullam vindicare. Sed quam aliam credis, hominis Epirotæ generi lucem fuisse, quam præsertim Statius Romæ jactaret, nisi quod ingenuus civis Romanus? Non aliam ipse puto fuisse, quamvis credam, hanc in Epiro maximi æstimatam, atque huju-

(a) *ibid.* (b) *l. 5. Syl. 3.*

hujusce stirpis honore Statio patri prætextam, & bullam convenisse, mihi persuadeo. Cum vero poeta bullam vocat *nobile pectoris aurum*, idem hic est *nobile*, ac ubi ait: (a)

Nobile *gemmato speculum portaverat auro*

Sed jam de *phaleris*.

Has virorum fortium fuisse, certissimum est, ideoque inter dona militaria recensentur ab Asconio: (b) *quædam præmia & honori, & lucro sunt, ut hastæ, vexilla, phaleræ, coronæ civicæ*. Nobilitati dumtaxat phaleras tribuit tamquam ejus insigne Tiraquellus, non alia fretus auctoritate, quam illis Persii verbis: (c)

Ad populum phaleras.

Fortasse melius usus esset liviano loco, qui illi persuasit, annulos aureos nobilium tantum proprios fuisse, cum ibi phaleræ annulis jungantur ab historico: (d) *tantumque Flavii comitia indignitatis habuerunt, ut plerique nobilium* annulos aureos, & phaleras *deponerent*. Verum quid sibi velit his verbis Livius, infra explicabo, cum mentio de annulis fiet, quando pro annulis illa affert jurisconsultus; interim Persii locum nihil ad propositum facere, ajo. Neque enim *phaleras* propria significatione poeta usurpat, cum inquit:

Ad populum phaleras: ego te intus, & in cute novi;

sed phaleras bona aut corporis, aut externa vocavit, quæ quia populus miratur, ideo ea populo jactari posse, concedit, cum tamen viri sapientes animi tantum bona æstiment, quibus parum instructus est ille, quem poeta alloquitur. Hæc est vera Persii mens, ut doctissimus ejus interpres Isaacus Causabonus exponit, cujus de phaleris hic est sensus: (e) *Inter ornamenta virorum fortium fuerunt* phaleræ, *ut omnes sciunt: hæc qui erant consecuti, cum insolentius jactarent, proverbiali locutioni locum fecerunt, qua res inanes, & fastuosæ appellantur* phaleræ.

Cæterum, qui phaleras nobilium tantum fuisse dicet, si cum phaleris & cursores apud Petronium offendimus? *Hinc involutus coccina gausapa lecticæ impositus est, præcedentibus* phaleratis *cursoribus*. Quin etiam apud Svetonium: (f) *armillata, &* phalerata *cum Mazacum turba, atque cursorum*. Num & id genus homines nobiles erant, qui rhedam, aut equos vel per urbem, vel in itinere præcederent? Servos dumtaxat hoc fungi cursorum munere

Ale-

(a) *l.* 3. *Syl.* 4. (b) *in l.* 2. *in Ver.* (c) *Sat.* 3. (d) *l.* 9. *c.* 46. (e) *ad Pers. l. c.* (f) *Ner. c.* 30.

Alexander Severus jussit, eosque eodem loco, ac vilissimos hominum cocos, piscatores, fullones, balneatores habuit: (a) *cursorem nunquam nisi servum suum, dicens ingenuum currere nisi in sacro certamine non licere. Cocos, piscatores, fullones, & balneatores nisi servos suos habuit*. Superest, ut de *annulis* videamus.

Annulos phaleris junxisse Livium, nuper allatus locus ostendit. verum ejus verbis neutrum satis probatur nobilitatis insigne fuisse. Nobiles enim gestabant procul dubio annulos aureos, si, quod in luctu fieri consueverat, C. Flavio Cnei hominis libertini filio, ædili curuli creato, eos deposuere, at si soli nobiles deposuere, hoc argumento nequaquam est, solos nobiles gestasse. Gestabat annulos aureos Flavii temporibus, quibus, teste Plinio, (b) *frequentior eorum usus deprehenditur*, universus senatus, gestabant equites, quandoquidem alii, ut idem docet Plinius (c), ob Flavii comitia universum senatum, alii & equestrem ordinem, alii nobiles solos deposuisse tradiderunt.

Quamvis & servis annulos aureos aliquando usurpatos, auctor idem Plinius sit (d), tamen videntur annuli aurei peculiare fuisse equitum ornamentum, iisque distinctum equestrem ordinem fuisse a plebe. Quod tamen non nisi sero constitutum, credam. Ex Cicerone (e) intelligimus, annulo aureo usum Verris scribam: sed ab eodem, scimus quoque, Verrem increpari, quod amicos suos, vilissimos scilicet homines, in concione annulis aureis (f) donasset. Asconius etiam sæpius citatus non plus annulis aureis tribuit, (g) quam ut essent *ingenuitatis* signa. Quapropter tandem Tiberii principatus anno nono puto, hoc certum obtinuisse, ut soli equites aureis annulis ornarentur, cum scilicet, quemadmodum refert Plinius, (h) *constitutum est, ne cui jus id esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri, avoque paterno sestertia* CCCC *census fuisset, & lege Julia theatrali in XVI ordinibus sedendi*. Sed hoc iterum quam cito abolitum? eodem (i) asserente, *postea gregatim insigne id appeti cœptum*. Sed qui plura de annulis desiderat, Plinium ipsum adeat, eosque qui hoc argumentum ex professo tractant: mihi satis est declarasse, nullam ex illis unquam, tamquam ex proprio insigni nobilitatem argui potuisse apud Romanos.

(a) *Lamprid. in Vit.* (b) *lib. 33. cap. 1.* (c) *loc. cit.* (d) *loc. cit.* (e) *lib. 1. in Ver. cap. 157.* (f) *lib. 2. in Ver. c. 29.* (g) *in l. 2. in Ver.* (h) *l. 2. c. 2.* (i) *ibid.*

Aliis gentibus alia fuere nobilitatis insignia. Aliqua ex Tiraquello (a) de hac re juvat exscribere, omissis auctorum locis, quos ipse citat. *Apud Indos byssum non nisi nobilis induebat: apud Parthos nobiles anaxpridem triplam, & manicatam tunicam: apud Germanos viri nobiles non fluctuante veste, sed stricta, & singulos artus exprimente utebantur, contra Libyorum principes sagis. Ipsis Indis, Persis, Athenienfibus in auribus aurum ferre nobilitatem designabat: Thracibus punctos esse in facie nobiles significabat. Britannis, Gelonis, & Agatyrsis nobiliores ceruleo pingebantur: Apud Ægyptios coma prolixa signum erat nobilitatis.* Quorum omnium fides penes eorum auctores sit.

CAPUT ULTIMUM.

Impostura ex nobilium insignibus; eorum mores.

Multas ex nobilitatis insignibus imposturas factas apud gentes omnes puto, cum numquam, & nusquam defuerint, qui videri nobiles velent, cum minime essent, aut splendidiori saltem nobilitate, quam vere essent,

Quilibet hanc hodie sibi vult, sibi dicit inesse,
Plus licet inde absit, quam distet Iberus ab Indo (b).

Hoc apud Romanos usitatum, certe scio. De stigmatia illo Martialis: (c)

Non hesterna sedet lunata lingula planta,

Nimirum ut nobilis videretur *lunatos* calceos induerat.

Imagines vero mentitos, alienas aliquando suis inferendo, colligimus ex illo Plinii: (d) *extat Messalæ oratoris indignatio, qua prohibuit inseri geni suæ Levinorum* alienam *imaginem*, inertium etiam & despectorum aliquando imagines excitando, ex iis, quæ de Salutione idem Plinius tradidit. Eos tamen, qui hoc agerent, eidem auctori excusantur: (e) *sed pace Messalarum dixisse liceat, etiam mentiri clarorum imagines erat aliquis virtutum amor, multoque honestius, quam mereri ne suas quis expeteret.*

Auxis-

(a) *cap 37. num. 162.* (b) *Palingen. Virg.* (c) *lib. 2. epig. 29.* (d) *lib. 35. cap. 2.* (e) *loc. cit.*

Auxisse aliquando titulum imaginis posteros, patet ex Livio (a), quin falsos etiam titulos imaginibus inscriptos, ex iis, quæ de Minucio tradidimus, *dum ad se familia quæque famam rerum gestarum, honorumque trabit* (b). Hinc *vitiatam antiquitatis memoriam* Historicus queritur (c). Huc spectant etiam mortuorum laudationes, quas, ait Tullius, (d) *familiæ sua quasi ornamenta, & monumenta servabant, & ad usum, si quis ejusdem generis occidisset, & ad memoriam laudum domesticarum, & ad illustrandam nobilitatem suam*. Verum dum quisque cupit laudes domesticas amplificare, & illustrare nobilitatem suam, historia rerum Romanarum *facta est mendosior*. *Multa enim scripta sunt in illis, quæ facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, & ad plebem transitiones, cum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus*. Liquet ideo, quanti facta sit omnibus temporibus nobilitas, cum ei qui haberent, eam ostentare omni ratione niterentur, & qui minime haberent, omni arte mentiri. Præterquam quod enim homines, *dum pleraque oratione majores suos extollunt eorum fortia facta commemorando clariores se esse putant* (e), exiguo, sæpe etiam nullo labore, qui imaginum commendationem afferunt, honores, quorum humanum genus avidissimum est, consequuntur. Fatetur Cicero: (f) *non idem mihi licet, quod iis, qui nobili genere nati sunt, quibus omnia populi Romani beneficia dormientibus afferuntur*.

Qui fuerint veteribus sæculis nobilitati mores, Aristoteles docuit (g), neque de illis dubitandum. Honorum maxime appetentes semper nobiles fuere, ut jure questus sit Marius, (h) *omnes honores non ex merito, sed quasi debitos repetiisse nobilitatem, & bonorum præmia ereptum ire*. Ignobilium contemptores describit Livius: (i) *plebejos nobiles jam eisdem initiatos esse sacris* (quibus patricii) *ac contemnere plebem, ex quo contemni desierint a patribus*; quin & novorum hominum, qui scilicet id nuperrime consequuti, quod olim eorum majores, significat Marius: (k) *contemnunt novitatem meam*. Sed luculentissimis verbis testatur etiam Cicero odium nobilium in novos: (l) *videmus quanta sit in invidia*, quan-

M 2

(a) *lib. 22. cap. 31.* (b) *Liv. lib. 4. cap. 16.* (c) *id. lib. 8. cap. 40.* (d) *Brut. cap. 62.* (e) *Sallust. Jugurt.* (f) *in Ver. l. 5. cap. 180.* (g) *Rhetoric. lib. 2. cap. 18.* (h) *Sallust. Jugurt.* (i) *lib. 22. cap. 34.* (k) *Sallust. Jugur.* (l) *in Ver. l. 5. c 182.*

quantoque in odio apud quosdam homines nobiles novorum hominum virtus, & industria: si tantulum oculos dejecerimus, præsto esse insidias: Si ullum locum aperuerimus suspicioni, aut crimini, accipiendum esse statim vulnus: esse nobis semper vigilandum, semper laborandum videmus. Plura de veterum nobilitate quæ colligerem, non occurrerunt. Hæc autem si quis cum iis velit, quæ nostris temporibus obtinere videmus, comparare, facili negotio possit.

F I N I S.

DE DISCIPLINA, ET MORIBUS ROMANARUM FŒMINARUM.

DE DISCIPLINA, ET MORIBUS ROMANARUM FŒMINARUM.

CAPUT I.

Petro Gradonico opusculum inscribitur. Ejus argumentum.



Meminisse facile poteris, V. C. Petre Gradonice, me aliquando pollicitum, hanc de *Disciplina*, & *moribus Romanarum Fœminarum* dissertatiunculam, qua complexus omnia ea sum, quæ ad sequioris sexus *vitam*, *instituta*, *studia*, *cultum etiam*, & *ornatum* pertinere judicavi, non alii, quam tibi inscripturum, si unquam in publicum emisissem. Promissi itaque reus fidem meam libero. Hæc si vacuum tibi fuerit legendo percurrere, haud aliter, quam cum eadem e superiori loco a me recitata auribus olim exciperes, meam in levibus his, ac minutulis investigandis sedulitatem tibi probatum iri pro tua in me humanitate, confido. Quamquam haud nescio id fieri non posse; ut quod te adolescentem, qui in disciplinam meam totum te tradideras, literarum genus oblectabat, idem reipublicæ jam admotum, atque attentum patremfamilias oblectare possit, cum præcipue ex eo tempore tam multa inciderint, ut fit in rebus humanis, quæ a literarum studiis si minus totum avocarunt, certe in tam varia distraxerunt, ut qui non nisi in literis esse solebas, ad eas nunc divertere vix aliquando possis. Quantæ, quam multiplices, quam assiduæ circumstetere te publicæ curæ hoc ipse præsertim superiore quadrien-

driennio, cum Veronensem Præturam magna quidem cum gloria, sed magnis etiam cum laboribus gessisti, ad quas privatæ etiam, & domesticæ qua lætæ, qua tristes accessere, ut cum utraque fortuna tibi dimicandum velut fuerit. Lætissimum illud quidem, quod tandem filiolo auctus es, maximo sane Superum munere, quem eo susceptum tempore, quo rempublicam Prætor Veronensis gerebas, & nobilissimæ familiæ ornamento, & patriæ adjumento natum speramus. Verum quam triste illud, quod paullo post optimo parente orbatus es, *Vincentio*, procuratoria dignitate clarissimo, sed virtutibus omnibus amplissimo senatore dignis longe clariore. Heu! quam grave illud vulnus fuit amantissimis liberis, quam grave omnibus bonis, mihi vero, qui tantum Mæcenatem, *præsidium*, *& dulce decus meum* amisi, vix tolerabile. Sed mittamus tristia commemorare. Qui tuum erga me, ac mea favorem satis perspectum habeo, nulla re prohiberi volui, quo minus opusculum hoc, ut ut levis argumenti, ad te mitterem. Id autem libentius etiam nunc facio, quod vix e Veronensi Prætura redux, ac jam rei frumentariæ curandæ V — Vir in *amplissimum Ordinem* adlectus, quo in altiori collocatus es honoris gradu, eo etiam bonarum artium studiis, studiosisque pro tuo, jam non in eas dicam, sed in rempublicam, cui maximo illæ ornamento sunt, amore, favere impensius *Senator* debes.

CAPUT II.

Dies nominalis. Fæminarum prænomina: nomina: cognomina. De nuptarum nominibus.

DIES lustricus, seu nominalis, quo scilicet recens natæ puellæ lustrabantur, eisque nomen imponebatur, octavus a natali erat, cum pueri nono lustrarentur, teste (a) Plutarcho. Lustratas etiam puellas per aviam, aut materteram, seu aliam superstitiosam vetulam, quam piatricem vocatam nonnulli ajunt, eodemque ritu, quo pueros refert Persius (b) lustrari solitos, donec aliquis contrarium doceat, affirmare minime vereor. Votis vero conceptis, quid precatas puellæ anus illas deliras, credimus, nisi ut suo tempore nuberet, eam sibi quæque beatissima nurum cuperet, formæ elegantia cæteras vinceret, & id genus ineptias? Lustratis puellis nomen eadem die imponebatur.

De fœminarum nominibus, quæ a me alibi dicta sunt, juvat mo-
do

(a) *quæst. Rom.* 102. (b) *sat.* 2. *v.* 31.

do recoquere, & huc in fuum locum transferre. Primum autem certiffimum eft, Fœminas prænominibus ufas. Præterquam quod enim hoc evincit apertiffima Varronis (a) auctoritas; contra Caftalionem (b) qui lapidum teftimonio fœminarum nulli prænomen fuiffe arguebat, collegit nuper vir doctiffimus (c) plurimas infcriptiones Gruterianas ex quibus clare apparet, *Appiæ*, *Aulæ*, *Luciæ*, *Marcæ*, *Numeriæ*, *Publiæ*, *Tiberiæ*, *Titæ*, prænominibus fœminas vocitatas. Adverte autem horum prænominum aliqua, ut a mafculinis diftinguerentur, folita fcribi initiali litera inverfa, ita W. *Marca*, ⊥. *Tita*, quamquam aliquando videtur per ⊥. ita inverfum *Luciam* etiam fignificari. Quoniam vero in antiquis lapidibus haud ita frequenter nominibus fœminarum præpofitum prænomen reperitur, putant aliqui, rarum admodum ejus ufum fœminis fuiffe. His affentiri ego malo, quam contra pugnare. Aliqua tamen funt de hujufmodi prænominibus adhuc difquirenda.

Prænomen *Cajæ*, quod pariter inverfa Ɔ. fcribebatur, non proprium fuiffe alicujus fœminæ, fed omnium commune, quod nubentes fumebant, ajunt. De communi nomine *Cajæ* alibi dicam, hic peculiare etiam nonnullarum fuiffe, contendo. Sicut enim quamvis omnis mater familias *Caja*, & pater familias *Cajus* vocaretur, tamen *Cajus* aliquorum proprium prænomen erat; cur & *Cajam* fœminæ alicujus effe proprium, negant? Si enim vere fuit prænomen Cajæ Ceciliæ uxoris Tarquinii, cur & aliarum effe non potuit? Extat apud Gruterum (d) hæc infcriptio.

Ɔ. CLODIAE. FILIAE. DULCISSIMAE
DECIPIMUR. VOTIS. ET. TEMPORE
D. FALLIMUR. ET. MORS M.
DERIDET. CURAS. ANXIA. VITA
NIHIL

Porro fi vir clariffimus Sertorius Urfatus, nulli in hoc eruditionis genere fecundus, ac in explicandis antiquorum lapidum infcriptionibus acutus æque ac felix, non erraffe dicendus eft, ubi (e) ex parentum, qui fatis ex verbis apparet, caritatis ac mæroris fenfu, tenella adhuc ætate Clodiam hanc deceffiffe, fatis liquere arbitratur;

(a) *de L. L. lib.* 1. (b) *Contr. Affert. Pranom. fœm.* (c) *Joan. Ant. Urfatus in notis ad epift. Italicas Sertorii Urfati epift.* 12. *Patav. apud. Cominum* 1719.
(d) *pag. DCLXXVII.* 12. (e) *epift. Italica Patavii apud Frambertum* 1659. *Epift.* 3.

falli non possumus asserentes fœminarum aliquas etiam ante nuptias, proprio & peculiari prænomine appellatas *Cajas*.

Sed præterea *Primam*, *Secundam*, *Tertiam*, *Quartam*, *Quintam*, & his similia fuisse fœminarum prænomina, asserit Sigonius (a), negant tamen aliqui, sive qui dicunt nomina fuisse mere ordinalia, sive qui potius credunt fuisse cognomina. Verum nomina mere numeralia, & ordinalia certe non fuerunt, cum diminutiva fiant, sicut cætera fœminarum nomina. Ut enim *Domitilla* dicebatur, *Claudilla*, *Livilla*, *Drusilla*, quæ omnia diminuta sunt blandimenti gratia a *Domitia*, *Claudia*, *Livia*, *Drusa*, *ut Tulliola*, *Paullina a Tullia*, *& Paulla*; ita etiam a *Prima Primilla*, *& Primula*, *a Quinta Quintilla*, *& Quintula*, *a Tertia Tertulla*. Insuper cum fœminæ hoc aliquando solum nomine & a suis, & ab alienis appellentur, quis credat, per hæc nomina ordinem dumtaxat, quo natæ sunt, significari? Ergo illa *Tertia* nullo alio nomine nota, quam Tullius ait a Verre in Syracusanum lucum productam, vere tertia erat Isidori filia? cui hoc ex Tullianis verbis videbitur? En illa (b): *huc Tertia illa perducta per dolum*, *atque insidias ab Rhodio tibicine maximas in istius castris effecisse turbas dicitur*. Deinde paucis interjectis: *sic hanc Tertiam dilexit*, *ut eam secum ex provincia exportaret*. *Tertiam* Æmiliam ita pater appellat apud Tullium eumdem (c): *quid est*, *mea Tertia? quare tristis es?* Sic pariter Tullius Juniam Cassii modo *Tertiam* modo *Tertullam* vocat. Ad Brutum: (d) *quod scribis te ad Tertiam sororem scripsisse*. Ad Atticum (e): *Tertullæ nollem abortum*. *Tertiam* vero nomen inditum fœminis frequentius puto, quam alia, quæ a numero deducta sunt. Plures enim *Tertias* ex auctoribus, ac lapidibus novimus, quam *Quartas*, aut *Quintas*.

Cum autem hujusmodi numeralia inter vera, ac propria fœminarum nomina recensenda sint, earum potius prænomina, quam cognomina arbitror fuisse. Cognomina tamen aliquando eadem facta, inficiari non audeo, cum præcipue ne in viris quidem novum hoc sit, ex prænominibus gentium nomina, & familiarum cognomina facta aliquando esse. Assentior itaque viro eruditissimo (f) asserenti in illa inscriptione, quæ apud Gruterum reperitur (g).

L. AFRENA
C. F. SECUNDA

Secundam cognomen L. Afrenæ fuisse, quo cognomine multi etiam ma-

(a) *de nom. Rom. cap.* 3. (b) *in Verr. lib.* 5. *cap.* 31. (c) *de divin. lib.* 1. *cap.* 103. (d) *Brut. Germ. epist.* 6. (e) *lib.* 14. *epist.* 20. (f) *J. Ant. Ursat. in notis ut supr.* (g) *pag. DCCXXV.* 9.

mares inveniuntur. Perpetuum tamen hoc fuisse ne credam, facit Varronis (a) auctoritas: *in prænominibus ideo non fit item, quod hæc instituta ad usum singularia, quibus discernerentur nomina gentilitia, ut a numero Prima, Secunda, Tertia, Quinta.* Cur autem *Quintus, Sextus, Decimus* fuerint marium prænomina, quamvis sic vocari cæperint a numero, quo erant inter fratres, illa vero non fuerint prænomina fœminarum? Ajunt frequentius inveniri gentilitio nomini postposita, sed hoc & in maribus aliquando accidit, ut prænomen nomini postponatur. Qua de causa cum præponuntur, temere id fieri dicemus, non vero, cum postponuntur? Cur qui ajunt nihil referre, quod scriptum sit in quodam lapide (b).

TERTIA
UTTEDIA. C. F

iidem pro se facere putant, quod in alio e regione hujus posito legimus (c)

UTTEDIAI. C. F
QUARTAI

De eadem fœmina inquit Livius (d): *unius Claudiæ Quintæ*, Tullius vero (e): *ne progenies quidem mea Q. illa Claudia*. Cur autem *Quintam* cognomine potius ex Livio, quam prænomine ex Cicerone dictam fuisse Claudiam, arguemus? Inveni lapidem hunc Cominiorum apud Gruterum (f).

QUARTUS. COMINIUS
C. F. SIBI. ET
TERTIAE. PETRONIAE
M. F. UXORI. ET
L. COMINIO. C. F. ET
C. COMINIO C. F.
FRATRIBUS. ET
TERTIAE. COMINIAE
SORORI. ET
AMPLIATO. ET. FELICI. LIB.

Cum tres *Cominios* sine ullo cognomine hic videas, quis credet *Cominiæ* cognomen fuisse *Tertiæ*, vel si illud nomini postpositum invenisset? *Tertia* ergo erat *Cominiæ*, ideoque & *Petroniæ* prænomen. Quid quid tamen sit de his, ac de aliis fœminarum prænominibus, certe raro admodum prænominibus fœminæ ab auctoribus distinguuntur.

N 2

(a) *de L. L. l.* 1. (b) *Grut. pag. DCDXXVII.* 3. (c) *ibid. n.* 4. (d) *l.* 29. *c.* 14. (e) *Pro Cal. c.* 34. (f) *pag. DCCXXXIII.* 1.

tur. Etenim his satis est sorores inter se ætatis ratione distinguere, ut *Tullia Major*, & *Minor*, ab aliis autem omnibus fœminis, vel patris nomine, ut *Cæcilia Balearici filia*, vel mariti, ut *Junia Cassii*, sic enim nullo alio addito semper uxor significatur, aliquando & filiorum, ut *Cornelia Gracchorum mater*.

Quæ Fœminæ prænomine carebant, si carebant ullæ, eæ vel uno tantum, hoc est gentilitio, vel duobus adhuc nominibus, gentilitio scilicet nomine, ac cognomine vocabantur. Cognomen omnibus fœminis non fuisse, certum est ex lapidibus. Præterea quæ ex familia erant, cui nullum esset cognomen, ut *Antoniæ*, eas probabile non est, sibi inditum voluisse. Falsum autem dicere, natu majoribus tantummodo cognomen adjectum discriminandi causa, ut videtur innuere Lipsius, ubi ait (a): *Cn. Domitio duas fuisse filias, quarum utraque Domitia gentis nomine dicta: sed minor discriminandi causa cum Lepidæ cognomine*. Primum enim valde incertum est, unane, an duæ fuerint Domitiæ, deinde dicendum videretur, quot quot fœminæ occurrunt cum nomine, & cognomine, omnes fuisse alia sorore minores, quod certe dicturum puto neminem, alioqui Vipsania, M. Agrippæ Filia, ex Attica suscepta, minor fuisset Agrippina, quam idem suscepit ex Julia. Et illam enim, quamvis Tacitus (b) *Vipsaniam* solum vocet, *Agrippinam* tamen patris cognomine vocatam, discimus ex Svetonio (c): *Agrippinam M. Agrippa genitam, neptem Cæcilii Attici, ad quem sunt Ciceronis epistolæ, duxit uxorem*. Verum si & alteram Agrippinam, Julia genitam, Vipsaniam nomine pariter dictam negaverimus, quamquam cognomine notior est, jam & de fœminarum nominibus incipiet dubitari.

Nomen autem, & cognomen fœminæ de patris nomine & cognomine plerumque sumebant, ut *Vipsania Agrippina Vipsanii Agrippæ*, *Valeria Messalina Valerii Messalæ*, *Vespasia Polla Vepasii Pollionis filiæ*. Magis tamen nonnumquam placuit matris, & avi materni, seu aliorum ex majoribus nomen. Sic M. Agrippa alteram ex Julia filiam *Juliam* Augusti avi ejus materni nomine appellavit, sic Claudius Imperator filiam ex Petina, M. Antonii avi sui materni nomine *Antoniam* nominari voluit. Aliquando cum alterius gentis nomine patris tamen cognomen sumebant, ut apud Gruterum (d) quamdam *Clodiæ Nices*, *& Lælii Sperati* filiam, *Clodiam Speratam* dictam invenio. Sæpius tamen, si alterutrum ex nominibus extra paternam domum sumebatur, nomen quidem patris erat, cognomen

vero

(a) *ad Tac. l. 12. ann. c. 64.* (b) *l. 1. ann. c. 12. & l. 3. c. 19.* (c) *Tiber. c. 7.* (d) *pag. 677. num. 11.*

vero aliunde petitum. Ita *Juniæ* C. Junii Silani filiæ *Torquatæ* cognomen fuit, *Domitiæ* L. Domitii Ænobarbi filiæ fuit cognomen *Lepidæ*. Haud ita tamen raro fœminis utrumque, nomen scilicet, & cognomen extra patris familiam quæsitum, imponi consuevit. De Poppæa Tacitus (a): *erat in civitate Sabina Poppæa, T. Ollio patre genita, sed nomen avi materni sumpserat illustri memoria Poppæi Sabini, consulari, & triumphali decore præfulgentis*. Hoc autem animadvertendum est, ne quoties lapides reperimus, ubi fratres, & sorores diverso nomine, ac cognomine donantur, eos statim uterinos potius, quam consanguineos fratres existimemus. Potuit enim soror consanguinea aliunde habuisse indita nomina, ac frater haberet.

Dubitant viri docti fuisne post nuptias, iis scilicet, quibus antea vocabantur, an maritorum nominibus fœminæ appellarentur. Christianus Ulricus Grupen, illas uxores, quæ in matrimonio tantum, non autem in manu etiam maritorum erant, [de utrisque infra] certum (b) putat, iisdem nominibus vocitatas, quibus, antequam nuberent, vocabantur, ac dubium de illis esse posse dumtaxat, quæ in manum mariti convenerant. De his igitur intelligendus Reinesius, ubi ex Antistiæ Antistii monumento quodam docuit (c), *uxores in familias maritorum transisse, censitasque maritorum gentilitiis nominibus*. Neque enim in maritorum familiam transibant, nisi quæ uxores in manu conveniebant. Non erat ideo, cur ipsum sententiæ suæ pæniteret, alibi asserentem (d), *uxores non semper sequi familias maritorum, sed denominari a parentibus*, pariterque alio loco (e), *in more Romanorum tam innuptas filias, quam factas uxores, modo maritorum, modo parentum nominibus, & cognominibus nuncupare, modo patris solum*. Etenim quæ occurrunt uxores iisdem, ac viri, nominibus nuncupatæ, ex eo uxorum genere has esse dicemus, quæ in viri manum convenerant, atque in ejus familiam transierant; quæ vero diversis, ac maritus, nominibus appellantur, ex altero uxorum genere fuisse dicendum est, quæ in matrimonium tantum cum viro convenerant, neque in ejus familiam transierant.

Sed ut probabiliora fortasse loquamur, placet cum laudato Grupen (f) idem existimare de nominibus uxorum, quæ in manum convenerant, ac de filiorum adoptivorum. Tam hujusmodi enim uxores, quam adoptati in alienam familiam diverso quidem modo, sed pari effectu transibant. Sicut igitur qui adoptabatur, quamvis & lege

(a) *l. 15. ann. c. 23.* (b) *de Uxor. Rom. c. 3.* § 23. (c) *Cl. I.* 18. (d) *Cl. VI.* 20. (e) *Cl. I.* 23. (f) *ibid.*

lege adoptionis, & more publico adoptantis nominibus vocari nunquam non debuisset, tamen & in familiari sermone, & ab auctoribus etiam sæpe patris naturalis nomine vocabatur, de quo aliqua a me quoque alibi (a) delibata sunt; sic etiam uxores, quæ in mariti manu, mancipioque erant, maritorum quidem nomina sumpsisse debebant, sed prioribus tamen, quæ ante nuptias indita, appellari frequentius solebant, seu quod illis notiores erant, seu quod ita libebat.

At dices: si uxor, quæ in viri manu, ac potestate erat, mariti nomine vocabatur, quid erat, quod Augustus Liviam, quam in manu habuisse nemo forte negaverit, suum nomen ferre testamento juberet? Teste enim Svetonio (b) *hæredes instituit primos Tiberium ex parte dimidia, & sextante, Liviam ex parte tertia, quos & ferre nomen suum jussit*. Id mirum visum est Causabono (c) de Tiberio, qui multo ante ab Augusto adoptatus, filius illius erat, ejusque propterea nomen ferebat. Quod itaque vir eruditissimus de Tiberio existimat, & nos de Livia existimabimus, scilicet & Tiberium per adoptionem, & Liviam per conventionem in manu, cum uterque in familiam Augusti transiisset, cætera omnia ejus nomina consecutos præter Augusti cognomen, quod sibi Octavianus servaverat, quod in eo forte vim magnam potentiæ suæ sitam arbitrabatur. Hoc igitur nomen est, quod tandem cum illis communicatum testamento voluit. Hujus sententiæ videtur fuisse & Philippus Beroaldus, qui ait (d), *ut Tiberius Augustus, Livia Augusta diceretur*. Sed de Augusti nomine intelligendum esse locum Svetonii, satis mihi constat ex verbis alterius Historici, qui de Livia inquit (e), *in familiam Juliam, nomenque Augustæ adsumebatur*.

Locus tamen hic Taciti novum potest scrupulum injicere, quoniam ut certos de *Augustæ* nomine, ita nos de *Juliæ* nomine, quod ante mariti testamentum Liviæ convenisse credimus, sicut mariti nomina aliis etiam uxoribus, quæ in manu ejus erant, facere dubios potest. Etenim non ante *Juliæ* nomine vocari potuit, quam in familiam Juliam assumpta esset. Verum id non mihi tantum objicitur, qui uxores statim, ac in maritorum manum convenissent, eorum nominibus ajo appellatas, sed iis omnibus etiam, qui hujusmodi uxores asserunt *in familiam maritorum migrasse*, quos vide apud Grupen (f). Mirum itaque sit nemini, quæ in Julia familia erat, quod uxor, iterum per adoptionem in eamdem familiam adsumptam fuis-

(a) *de Nobil. Rom. Vet. c.27.* (b) *Aug. c.101.* (c) *ad Suet. l. c.* (d) *ad Sueton. l.c.*
(e) *Tac. ann. 1.* (f) *de Ux. Rom. c. 2. §. 3.*

fuiſſe, ut quæ, conjux fuerat, novo exemplo, ut ait Lipſius (a), *filia etiam mariti* fieret, novumque jus eorumdem ferendorum nominum acquireret. Hoc autem ideo factum ab Auguſto cenſeo, quod aliter non poſſe crediderit eam in Auguſtæ nomen adſumere, niſi filio Tiberio in omnibus æquaſſet. Cæterum & ante adoptionem *Juliam* eam auctores Græci vocant, non κατά πρόληψιν, ut Caſaubonus (b) putavit, ſed quia & tunc vere *Julia* erat, & poſt adoptionem *Liviam* ex Latinis Plinius (c) vocat, quia *Liviæ* familiæ aliquando fuerat, eo plane modo, quo paullo ante diximus, de adoptatis fuiſſe uſitatum.

Id etiam addo, labente Imperio, poſtquam facta eſt, ut eruditi omnes obſervarunt, magna nominum confuſio, cum jam matrimonia per conventionem in manu in deſuetudinem abierant, videri tamen mulieres gentilitiis maritorum nominibus nuncupatas, quæ aut ſola, aut cum paternæ gentis nominibus conjuncta uſurpabant. Ita *Conſtantii Clori*, qui e gente *Flavia*, uxores, *Helena* e gente Julia, & *Theodora* Valerii Maximiani privigna, *Flavia Helena Auguſta*, aut *Flavia Julia Helena Auguſta*, & *Flavia Maximiana Theodora* nuncupantur in nummis apud Mediobarbum, & Bandurium. Hoc autem a priſcis liberæ reipublicæ, & priorum Imperatorum temporibus derivatum, nemo non dixerit.

C A P U T III.

Puellæ ſub pædagogi cuſtodia. Lanificio, & literarum ſtudiis deditæ. Nuptiarum apparatus.

NUtrices, quæ *pueros, infantes minutulos domi procurabant* (d), & infantes minutulas procuraſſe, minime ambigo. Verum, cum infantia egreſſæ puellulæ, non earum cuſtodia nutriculis ſolummodo credita fuit, ſed adhibiti etiam pædagogi, qui ex libertis, aut certe ex honeſtioribus ſervis, vitæ morumque cuſtodes. Facile conjicias hoc ex Plinio (e), ubi de Fundani filia: *ut nutrices, ut pædagogos, ut præceptores pro ſuo quemque officio diligebat*: ut ex Valerio Maximo (f), qui Pontium Aufidianum refert, poſtquam comperit filiæ ſuæ virginitatem a *pædagogo* proditam Fannio Saturnino, & ſceleratum ſervum affeciſſe ſupplicio, & ipſam etiam puellam necaſſe. Quapropter Lepidæ illi deſtinatæ aliquando L. Cæſari uxori, ac D. Au-

(a) *ad Tac. l. c.* (b) *ad Suet. l. c.* (c) *l. 37. c. 10.* (d) *Plaut. Pan. prol. v. 28.* (e) *l. 5. epiſt. 16.* (f) *l. 6. c. 1.*

Augusto nurui, cui simulati ex P. Quirinio partus accusatæ aqua, & igne interdictum fuit, pædagogum fuisse Pudentem quemdam existimo, cujus est marmor, quod Bergomi visebatur, referente Lipsio (a). Extat idem etiam in collectione Mazochii (b), sed nulla ibi Pudentis mentio.

PUDENS. M. LEPIDI. L. GRAMMATICUS
PROCURATOR. ERAM. LEPIDAE. MORES. Q
REGEBAM. DUM. VIXI. MANSIT. CÆSA
RIS. ILLA. NURUS. PHILOLOGUS. DISCI
PULUS

Duo hic in familia Lepidi munera videtur exercuisse, alterum procuratoris, quales in divitum domibus fuisse, ex Fabio Majore (c) constat, alterum filiæ pædagogi. Mores enim regere pædagogi erat, neque ulla propterea major Pudenti, cui non temere videtur Lipsio post Lepidæ damnationem positus lapis, adscribi gloria potuit, quam quod, eo vivo, & mores regente, casta & bona Lepida fuerit.

Hæc prima parentum cura, ut probis moribus puellæ imbuerentur, altera, ut industriæ statim assuescerent. Lanificio autem a prima ætate deditas patet ex joco illo, quo Q. Opimius Egilio puellares delicias exprobrabat (d): *quid tu, Egilia mea? Quando ad me venis cum tua lana, & colu?* Hoc clarum etiam ex Sancto Hieronymo, ubi ad Lætam de Paulæ institutione scribit (e): *discat & lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fusum, stamina pollice ducere:* Itemque ubi de instituenda Pacatula scribit ad Gaudentium (f): *Interim & tenero tentet pollice fila ducere: rumpat sæpe stamina, ut aliquando non rumpat.* Neque aliter esse potuit, cum nuptæ etiam, ut infra ostendemus, hujusmodi operibus operam darent. Exercebantur autem domi una cum matre. Ovidius epistolam, quam ad Perillam filiam suam dedit, ita alloquitur (g):

Aut illam invenies dulci cum matre sedentem,

interpretor, ad lanæ opificium.

Verum virgunculæ Romanæ literis quoque nec Latinis tantum, sed & Græcis operam navabant. Hinc Quintiliani vota nemo rideat, ad optimam filiorum institutionem etiam in matribus eruditionem optantis (h): *in parentibus vero quamplurimum eruditionis optaverim. Verum nec de patribus tantum loquor.* Nutrices quidem, quippe quæ, servæ, aut libertinæ cum essent, minime liberaliter institutæ fuerant, *si fieri posset*, sapientes optasse Chrysippum, solummodo ait; matres vero

(a) *ad Tac. l.3 ann. c.4.* (b) *pag. 43.* (c) *Declam. 345.* (d) *Cic. de Orat. l.2. c.277.* (e) *Epist.57. alias 7.* (f) *Epist.94. alias 12.* (g) *Trist. l.3. eleg. 7. v. 3.* (h) *inst. l.1. c.1.*

vero ideo certe eruditas idem quoque libere optat, quod hæ ingenuæ atque ingenue in literis educatæ. At cum Juvenalis, & universe fœminis Græcanicæ eruditionis, sermonisque affectationem exprobret, & in juvenculis hanc tolerandam, affirmet, id plane ostendit, Romanas fœminas a pueritia in Græcis literis versatas. (a)

Nam quid rancidius, quam quod se non putat ulla
Formosam, quam quæ de Tusca Græcula facta est,
De Sulmonensi mera Cecropis? Omnia Græce,
Cum sit turpe magis nostris nescire Latine?
—— demus tamen ista puellis.

Si quis autem a me sciscitetur, privatim ne, ae domi suæ, an publice puellæ apud Romanos erudiri solerent; minime dubitem, aliud apud alios usitatum, respondere. Cum enim ex Fabio, (b) qui, utrum utilius sit, quærit, intelligamus, pueros etiam privatim domi erudiri, aliquibus placuisse; cur secus de puellis censuisse omnes, existimabimus? Quemadmodum senior Cato filios suos, quam aliis tradere, ipse maluit erudiendos suscipere, teste Plutarcho (c); ita etiam Ovidius Perillam suam pater poeticis literis informare voluit (d).

Hoc (Perillæ ingenium) *ego pegasidas deduxi primus ad undas,*
Ne male fœcundæ vena periret aquæ

Fundani etiam filiam, cujus meminimus, privatim domi præceptores habuisse, dixerim, cum videatur Plinius eos, qui in familia erant, numerare, nutricibus, ac pædagogis præceptores jungendo (e): *ut nutrices, ut pædagogos, ut præceptores pro suo quemque officio diligebat.* Extabant tamen puellis erudiendis publice ludi apud Romanos. Hoc luce clarius ex Livio, qui cum refert, Virginiam illam, quam maximo suo malo Claudius X-Vir deperibat, adultam jam, ac Icilio desponsam in forum processisse, ne mirum, & a fide alienum videretur, id ausam pudicissimam virginem, causam subjicit his verbis (f): *ibi namque in tabernis literarum ludi erant.* Vides autem, cum aliud nihil addat historicus, hinc manifestum fieri, in more hoc positum fuisse, ut puellæ literarum ludos frequentarent. Est locus apud Horatium (g), in quo explicando, præterquam illis, qui intactum relinquunt, hæsisse omnibus aqua, mihi videtur.

——— Demetri, teque, Tigelli,
Discipularum inter jubeo plorare cathedras.

Id ipse proprie dictum, arbitror, neque confugiendum aut ad mi-

(a) *Sat. 6. v. 185.* (b) *Instit. l. 1. cap. 2.* (c) *Cat. Maj.* (d) *l. c. v. 15.* (e) *l. c.* (f) *l. 3. c. 44.* (g) *l. 1. Sat. 10. v. 90.*

mas, quæ cathedris, de quibus suo loco, minime deferebantur, aut ad Demetrii, Tigellique, eorumque discipulorum mollem animum, & mores effæminatos. Vere illos *discipularum* fuisse doctores puto, puellisque docendis ludos aperuisse.

Cæterum cur tam raræ exciterint Romæ mulieres, quæ literarum laude floruerint, id in causa fuit, ne tardius fœminarum ingenium insimulem, quod non multum ultra primas literas progrediebantur sicut Fundani filia memorata, de qua nihil amplius refert Plinius (a), quam *studiose, & intelligenter lectitasse*, & cum tenera ætate nuberent, statim studia dimittere, atque familiæ procurandæ, educandisque liberis operam dare cogebantur. Quamquam vero fortasse ad severiores disciplinas fœminæ vulgo non admittebantur; non defuisse nihilominus præter Corneliam, Læliam, Hortensiam illas ob eloquentiæ laudem a Quintiliano (b) prædicatas, plurimas alias etiam, quæ Grammaticos, Rhetoras, Dialecticos audissent, Juvenalem legentibus persuasum facile erit. Ad poetas tamen, ad rerum amatoriarum scriptores, aliosque id genus, ut illinc, quod poterant, eruditionis sexui conveniens, haurirent, omne studium plerasque contulisse, mihi videor posse affirmare. Hujusmodi sane deliciis dedita illa (c).

—— quæ cum discumbere cæpit,
Laudat Virgilium, perituræ parcit Elisæ,
Committit vates, & comparat inde Maronem,
Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.

Neque alios ex Græcis, ac Latinis scriptoribus proponit fœminis legendos Ovidius (d).

Sit tibi Callimachi, sit Coi nota poetæ,
Sit quoque vinosi teja musa senis.
Nota sit & Sappho ————
Et teneri possis carmen legisse Propertj,
Sive aliquid Galli, sive, Tibulle, tuum,
Et profugum Ænean, altæ primordia Romæ,
Quo nullum Latio clarius extat opus

Propterea cum hujusmodi scriptoribus amatoriis oblectatos dicat Horatius Hermogenem illum Tigellum, ac Demetrium, namque hi (e)

Nil præter Calvum, & docti cantare Catullum,

quos nequaquam, ut advertere etiam alii, ut malos poetas, neque enim

(a) *loc. cit.* (b) *inst. l.* 1. *c.* 1. (c) *juven. sat.* 6. *v.* 434. (d) *de Art. l.* 3. *v.* 329. (e) *Horat. l. c. v.* 19.

enim poteſt, ſed ut molles illis objicit; hinc validius, quam ſupra attuli, conjecturam firmo, eos ſcilicet vere puellarum præceptores fuiſſe.

Ita aut *dulci* (a) *cum matre ſedentes, aut inter libros Pieridesque ſuas*, adoleſcebant Romanæ puellæ non ſine magna virginei pudoris cura. Hinc cum probroſis mulieribus omne commercium illis a parentibus vetitum. Egilius ille puellarum more jocatus Opimii jocis reſpondit (b): *matrem vetuiſſe ne ad famoſas mulieres accederet*. Cum fidicina conſuetudinem omnem filiæ interdicit pater ille Plautinus, altero id probante (c).

— Pe: *cave ſiris cum filia*
Mea copulari banc; neque conſpicere: jam tenes?
Divortunt mores virgini longe ac lupæ.
Ap: *Docte ac ſapienter dicis. Non nimis poteſt*
Pudicitiam quiſquam ſuæ ſervare filiæ.

Matris ideo lateri perpetuo adhæſiſſe, colligi poteſt ex verſibus Catulli, ubi quam ægre eæ, quæ nuberent, a matre divellerentur, ſignificat (d):

Heſpere, qui cœlo fertur crudelior ignis?
Qui natam poſſit complexu avellere matris,
Complexu matris retinentem avellere natam?

Omnibus modis ſervatas ą matribus virgines probat etiam illud ejuſdem poetæ de nova nupta (e):

Tu fero juveni in manus
Floridam ipſe puellulam
Matris e gremio ſuæ
Dedis. O Himenæe Himen.

Donec nuberent, a conviviis virorum verecundiæ gratia arcebantur: prodibant tamen in publicum, at, niſi adeſſet mater, aut cum patre, ut Voconii filiæ, in quas jocatum Tullium, refert Plutarchus (f): aut cum nutrice, ut Virginia apud Livium (g): aut cum matrona aliqua, quam propinquitate contingerent, ut ea, quam in quoddam ſacellum deductam ab ejus matertera Cecilia Metelli, legimus apud Ciceronem (h).

Plenis annis nubiles, ſicut pueri crines Apollini cum virilem togam ſumpturi erant, ſic puellæ *pupas*, imagunculas ſcilicet illas, quibus infantilibus annis luſitaverant, Veneri dicabant, tamquam

 vir-

(a) *Ovid. Triſt. lib. 3. el. 7 v. 3.* (b) *Cic. l. c.* (c) *Epid act. 3. ſc. 2. v. 19.*
(d) *carm. 61. v. 19.* (e) *carm. 60. v. 65.* (f) *Cicer.* (g) *loc. cit.* (h) *de Divin. lib. 1. cap. 104.*

virginitatis insignia, & ad spem fausti matrimonii votum. Persius [a].

—— *Veneri donatæ a Virgine pupæ*.

Sub Veneris enim tutela, ac potestate virgines erant, quam *Fortunæ Virginalis* nomine colebant, eique sacra faciebant, imputabantque, si quid mali accidisset, cum contra matronæ, *Fortunam muliebrem*, hoc est Junonem venerarentur. De vestitu, & ornatu Virginum alius erit dicendi locus. Sua grandiusculis non deerant artificia ad voluntates adolescentum alliciendas, sibique optatas nuptias conciliandas. Vide matris studium in ornanda filia ad eum, cui desponsandam sperat, capiendum, apud Claudianum [b]:

Ac velut officiis trepidantibus ora puellæ
Spe propiore tori, mater solertior ornat,
Adveniente proco, vestesque & cingula comit.
Sæpe manu, viridique angustat jaspide pectus,
Substringitque comam gemmis, & colla monili
Circuit, & baccis onerat candentibus aures.

Quæ ad nuptias spectant, cum occupata sint, missa faciam. Quæres hæc a Brissonio, aliisque, qui de Nuptiis, earumque ritibus scripsere. Nuptias autem magno apparatu adornari solitas, disces ex Terentio, ubi callidissimus servus, quod apparati nihil viderat, minime futuras nuptias conjectat [c]:

———— *introire neminem*
Video, exire neminem, matronam nullam in ædibus:
Nil ornati, nil tumulti: accessi, introspexi.

Ratio tunc civilium officiorum necessitatem quamdam nitoris teste Plinio [d], ideoque magnarum impensarum imponebat. Propterea Quintiliani filiæ Junio Celeri nupturæ quinquaginta ille millia nummum contulit, ut [e] *secundum conditionem mariti veste, & comitatu instrui posset*. Eadem de causa Fundanus cum filiam egregio juveni destinasset, dicitur [f] fuisse multa erogaturus *in vestes, margaritas, gemmas*.

CA-

[a] *sat.* 2. *v.* 70. [b] *de sext. Cons. Honor. v.* 523. [c] *Andr. act.* 2. *sc.* 2. *v.* 26. [d] *l.* 6. *epist.* 32. [e] *ibid.* [f] *l.* 5. *epist.* 16.

CAPUT IV.

Nubentium ætas. Conjugum concordia. Uxorum duo genera. Puella, etiam nupta. Caja, Domina, Mater familias, Matrona.

Tres mulierum Romanarum ordines.

ÆTate admodum tenera nuptui dabantur puellæ Romanæ, cum Græci non nisi maturiores, atque utero ferendo pares in matrimonium collocarent. Nondum annos quatuordecim impleverat Fundani filia, & *jam destinata erat egregio juveni*, ait Plinius (a), *jam electus nuptiarum dies*. Sed duodecim etiam annos natas nupsisse, testis est Plutarchus (b), quin nondum viro maturas aliquando, colligi potest ex veteri jurisconsulto (c): *quod vir ei, quæ nondum viripotens nupserit, donaverit, ratum futurum existimo*. Octavianus Augustus, referente Svetonio, (d) *privignam Marci Antonii Claudiam, Fulviæ ex P. Clodio filiam, duxit uxorem, vix dum nubilem*. Non nego tamen, aliquas fuisse Jove averso ortas, quæ tardius, & prope ætate vergente nupserint. Plautus: (e)

Quam maxuma possum tibi, frater, dote dare:
Sed est grandior natu: media est mulieris ætas.

Consuetudo autem hæc, quæ ex veteri Numæ instituto Romæ obtinebat, acerbas adhuc virgunculas collocandi, sociandis conjugum animis, ineundæque conjugali vitæ maxime utilis videtur Plutarcho (f). Quis enim dubitet, quin ea ætate ductam propria suæ quisque domus disciplina viri instituerent, atque ad voluntatem molles illos annos velut fingerent? Livius (g): *perinde uxor instituta fuerat, liberique instituebantur*. Hinc dicto audientes viris, conjugali amore unanimes, placidæ, industriæ fuere Romanorum uxores, quod Plutarchus (h) improbarum exemplis probari affirmat: *sicut enim apud Græcos memoriæ mandant historici, qui primum sanguinem civilem fuderint, aut arma fratribus intulerint, aut extiterint parricidæ; ita recensent Romani, principem nuncium uxori nullo exemplo Sp. Calvilium remisisse anno ab urbe condita tricesimo trecentesimo: primam Pinarii uxorem, Thalæam nomine, jurgia habuisse cum socru Gegania, Tarquinio regnante superbo*. De illius nomine, qui primus uxori libellum repudii misit, deque anno, quo missus, variant auctores, ac probabilius est non

(a) *l. 5. epist. 16.* (b) *comp. Lyc. & Num* (c) *Labeo l. 65. ff. de Dona inter virum, & uxorem* (d) *Aug. cap. 62.* (e) *Aul. act. 2. sc. 1. v. 36.* (f) *l. c.* (g) *l. 3. cap. 44.* (h) *l. c.*

non nisi post quingentesimum urbis annum id accidisse. A. Gellius hæc habet (a): *Memoriæ proditum est, quingentis fere annis post Romam conditam, nullas rei uxoriæ neque actiones, neque cautiones in urbe Romana, aut in Latio fuisse, nullis etiam tunc matrimoniis divertentibus*. Licet autem annis vertentibus hæc exempla frequentiora esse cœperint, virorum etiam disciplina in pejus versa, nihilominus sæpe videmus in lapidibus conjugalis concordiæ argumenta, cum tot occurrant uxoribus positi a maritis, qui longam ætatem afferunt, cum iis vixisse *nulla læsione: sine ulla querela: sine ullo discrimine: nulla animi læsura: de iis nihil doluisse præter mortem* & quæ alia hujus generis sunt. Quoniam vero fieri non poterat, ut nullus unquam esset inter virum, uxoremque querelæ locus, quam cito & facile in gratiam redirent, audi ex Valerio Maximo (b): *Quoties vero inter virum, & uxorem aliquid jurgii intercesserat, in sacellum Deæ Viriplacæ, quod est in palatio, veniebant: & ibi invicem locuti, quæ voluerant, contentione animorum deposita concordes revertebantur. Dea nomen a placandis viris fertur assecuta*. Conjugalem tamen hanc tantam unanimitatem præsertim fuisse viris puto cum uxoribus, quas virgines duxerant, non viduas, aut ab alio repudiatas. Colligi forte id potest ex cippis, ubi anni numerantur, quibus cum viris suis vixerant. Virginem duxisse debuit etiam Macrinus, (c) cum qua vixisse dicitur triginta novem annis *sine jurgio, sine offensa*.

Quæ vel repudiatæ erant, vel a marito discesserant, minus probabili fama vulgo erant, & seu inconstantiæ, seu morositatis, sæpius etiam impudicitiæ suspicione laborabant, ut licet contra leges, quæ id permittebant, nihil peccarent, novas subinde conditiones quærendo, attamen contra rationem, pudoremque peccare viderentur, & legum permissu velut adulteras fieri. Martialis (d):

Quæ toties nubit, non nubit, adultera lege est.

Ideo Tiberii ævo, cum capienda Vestalis esset (e), Fontei Agrippæ Filiæ Pollionis Filia prælata est non ob aliud, quam *quod mater ejus in eodem conjugio manebat*. Sed ad divortia quæ spectant, ab aliis petenda sunt.

Verum non eæ solum minus probæ putabantur, quæ vivo marito, alii nuberent, sed etiam quæ, extincto. Hinc Dido apud Maronem (f).

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentes umbras erebi, noctemque profundam,
Ante, pudor, quam te violem, aut tua jura resolvam.

Ille

(a) *l. 4. c. 3.* (b) *l. 2. c. 1.* (c) *Plin. l. 8. epist. 5.* (d) *l. 6. epigr. 7.* (e) *Tac. l. 2. ann. c. 15.* (f) *Æn. l. 4. v. 24.*

Ille meos primus, qui me sibi junxit, amores
Abstulit, ille habeat secum, servetque sepulcro.

Constat hoc etiam ex Plutarcho, qui virgines, ait (a), publicis festis non nubere, viduas nubere ob hanc forsitan causam, quod pudori suo melius consulerent viduæ, si, ludorum celebritate detentis plerisque, pauciores essent, qui ad ejus nuptias convenirent. Propterea e Furia gente Fœminas laudat ex hoc capite Sanctus Hieronymus (b), *quod exinde a Camillo vel nullam, vel raram ejus familiæ scriptum est secundos novisse concubitus*. Apparet autem, quanta fuerit fœminis laus uno contentas matrimonio fuisse, cum eæ, Valerio Maximo (c) teste, *corona pudicitiæ honorarentur*. Hanc coronam pudicitiæ, Carolus Paschalius videtur credere, (d) fuisse pineam. Ut meam tamen & ipse opinionem interponam, donec inveniam, quo tempore, quove loco coronam hanc gestaverint fœminæ univiræ, potius crediderim, Valerium improprie loqui, nihilque coronæ nomine aliud significari, quam pudicitiæ gloriam, & laudem.

Uxorum duo fuisse genera, earum alterum, quæ matrimonii causa in mariti manum convenirent, alterum earum, quæ in matrimonium tantummodo convenirent, dubitari amplius non potest, postquam veterum, novorumque auctorum testimoniis id evicit alias laudatus Grupen Tract. de Uxore Romana (e). Uxor autem prioris generis ipsi est (f), *quæ non in matrimonium tantum, sed simul in mariti potestatem, tamquam filia in patris conveniebat*. Pluribus enim ostenderat (g), quod in liberos patri, id fere marito juris fuisse in hujusmodi uxorem. De modis, quibus conventio hæc uxoris in mariti manum, mancipiumque fiebat, hunc consule (h), qui tres eos facit, Confarreationem, Coemptionem, & Usum. At uxorem, quæ non in manum convenisset, & uxor tantummodo esset, ita idem definit (i): *quæ intercedente connubio ducta*. Quamquam & ad hujusmodi connubia nuptiarum solemnia, & legitimi ritus adhibebantur; hæc tamen minime erant necessaria, cum per solum conjugum consensum in nuptias esse connubium posset, ut cum uxore, quæ non in manu esset, sed *uxor tantum*, matrimonium constaret, ac patrem liberi sequerentur: contra ut uxor in manu esset, & viri potestate, solemnia confarreationis, aut coemptionis, aut forma usucapionis abesse non poterant. Hæc a Grupen (k), a quo etiam placet exscribere (l) utriusque generis uxorum jura, quæ ipse ex Francisco Hotomanno (m) refert. Uxoris in manu hæc jura fue-

(a) *Quæst. Rom.* 105. (b) *epist. 47. alias* 10. (c) *l. 2. c. 1.* (d) *Coron. l. 6. c.* 28.
(e) *c. 1.* (f) *c. 2. §. 4.* (g) *ibid. §. 1. & seqq.* (h) *c. 4. & seqq.* (i) *c. 7. §. 2.*
(k) *ibid. §. 6.* (l) *ibid. § 7.* (m) *ad tit. Instit. de SC. Tertulliano*

fuere: *ut in viri familiam transiret, ut ejus bona tacito jure in maritum transirent, ut in viri familia jura suitatis, & consanguinitatis nancisceretur, ut maritus ei intestatæ heres fieret, ut viro sacrorum, & bonorum socia esset*. At uxoris, quæ non in manu, sed uxor tantum, hæc fuisse jura censent: *si filiafamilias esset, ut sacrorum, suitatis, & consanguinitatis jura in patrisfamilia retineret, ne liberi ei intestatæ succederent, sed patria potestas ejus hæreditatem tamquam peculium absorberet, ut plenum jus in bona sua omnia, atque adeo in dotem, administratione excepta, retineret, si morte patris vel emancipatione sui juris fieret, materfamilias dici inciperet, & tum de sua dote, & reliquis bonis testari posset*. Cætera, quæ huc spectant, a citatis auctoribus petenda sunt. Nobis pro instituti nostri ratione satis multa.

Matrimonio junctas cum *puellas* vocitatas audis, ne minus honestas credas. Nomen hoc amatorie blandientium sæpe est, nonnunquam tamen viridiorem solummodo ætatem significat. Horatius (a):

— *laborantes utero puellas*.

A. Gellius (b) de puerpera, *puellamque defessam labore, ac vigilia somnum capere cognovit*. Proprie tamen, quæ nupserant, *Cajæ*, *Dominæ*, *Matresfamilias*, *Matronæ*, *Matres appellabantur*.

Caja velut titulus fuit Romanis mulieribus communis, quo ipso nuptiarum die vocabantur. Nova enim sponsa, cum viri domum pervenisset, ante fores interrogabatur, quænam esset? illa ominis causa se *Cajam* esse respondebat, inquiens: *ubi tu Cajus, ego Caja*. Omen autem inde captum est, ut Plutarcho (c) placet, quod Caja Cæcilia honesta, & proba matrona fuerit Tarquinii Prisci, ut multi putant, uxor, cui in Sanci templo statua antiquis temporibus posita fuerat cum sandaliis, & fuso, quæ domi actæ vitæ, industriæque erant signa. Ritus autem hic in nuptiis cujuscumque generis adhibebatur, ut frustra sint qui ducti fortasse loco quodam Ciceronis illum inter solemnia coemptionis tantum referendum putant, ut Grupen etiam (d) advertit. Locum Tullii accipe (e): *quia in alicujus libris id nomen invenerant, putarunt omnes mulieres, quæ coemptionem facerent, Cajas vocatas*, quo exemplo ridentur a Tullio jurisconsuti, ac forte ne de illa quidem coemptione, per quam in manum conveniebatur, sermo est, ut citato Grupen visum.

Omnes igitur nuptæ sive in manum aut per confarreationem, aut per coemptionem convenissent, sive uxores tantummodo essent, *Cajæ* dici voluerunt, ut jam *Caja* idem sonaret, ac *domina*, ut idem Plu-

(a) *l. 3. od 22. v. 2.* (b) *l. 12. c. 1.* (c) *Quæst. Rom.* 30. (d) *de Ux. Rom. c. 3. §. 4. & 5.* (e) *pro Mur. c. 27.*

Plutarchus (a), & *materfamilias*. Offendi nuper doctissimum auctorem (b), qui de hoc nomine verba faciens, obiter affirmat, non nisi ingenuas sponsas *Cajas* esse dictas. Ipse tamen nomen hoc, atque ex illo omen ne libertinis quidem inviderim, cum justæ uxores essent, quamquam scio minime necessarium fuisse in omnibus nuptiis omnes ritus adhiberi, cum hoc, ut censet Grupen (c), a nubentium arbitrio penderet. At nihil hinc contra libertinas. Libertas sane ostendere possum cum Cajæ prænomine (d):

C. TITIA. C. L. GLYCERA

Hanc tamen justam fuisse matremfamilias, affirmare nequeo, alteram fuisse, nemo inficiabitur, cui maritus lapidem erexit: (e)

DIS. MANIBUS
C. JULIAE. IOLES
JULI. UMBRI. LIB
CN. SEIUS. CRISPUS
CONJUGI. SUAE. BENE
MERENTI. FECIT

Sed his *Cajam* prænomen proprium fuisse, forte respondebunt, non illud commune, de quo loquimur. Verum si libertini matresfamilias generis *Cajæ* dictæ proprio prænomine, cur & communi *Cajas* dictas negabimus? præcipue post leges Juliam, ac Papiam, cum jam haud raro ipsas & patrono suo nupsisse certissimum est. Quin & libertinas meretricio quæstui deditas per quamdam vocis abusionem aliquando Cajas vocitatas, ajo. Vidi enim apud Gruterum lapides aliquos, in quibus ii, qui ex conventitiis patribus nati erant, non solum matris filii, proprio ejus nomine eam appellando, dicuntur, quemadmodum ille (f):

BRUTO. GINTUSSAE. F. AN
LXXXV

sed etiam communi Cajæ nomine (g).

C. TERENTIUS. Ͻ. F
CHILO. V. S. F

In lapide etiam, quem Magistri Vicorum erexerunt Imperatori Adriano, legitur (h), *C. VALERIUS Ͻ. F. FELIX*, quem Scaliger ait, fuisse Valerium *Cajæ* filium, idest naturalem.

Dominas post decimum quartum annum puellas Romanas vocatas, asserit Tiraquellus (i), qua ratione ductus, alii viderint. Catullus

P Domi-

(a) *l. c.* (b) *J. Ant. Ursatus not. ad epist. 22. Sertor. Ursati* (c) *c 7. §. 5.* (d) *Grut. pag. DCCCCXCI n. 11.* (e) *pag. DCCCCLXXIX. n. 8.* (f) *pag. DCCLXIV. n. 4.* (g) *pag. DCCXXIV. n. 5.* (h) *pag. CCL. col. ult.* (i) *ad leg. 5. Connub. c. 11.*

Dominam vocat ipso nuptiarum die. Ita enim Hymenæum alloquitur (a):

Ac domum dominam voca
Conjugis cupidam novi.

Quare statim ab inito matrimonio, non a servis tantum, sed etiam a marito ita dictas, probabilius puto. Frequentius certe *Dominæ* nomine blanditiarum causa venit amica, sicut tamen viri ab uxoribus *Domini* vocabantur, ut Collatinus a Lucretia apud Ovidium (b):

Mittenda est domino (nunc nunc properate puellæ)
Quam primum nostra facta lacerna manu;

ita etiam uxorem suam *Dominam* vocat idem poeta (c):

Nunciet huc aliquis dominam venisse, resurgam,

iterumque (d).

Nec dominæ lacrymis in nostra cadentibus ora.

Martialis de hortis sibi ab uxore Marcella in Hispania paratis (e):

Munera sunt dominæ, post septima lustra reverso
Has Marcella domos, parvaque regna dedit.

Imo cum patres etiam a liberis domini aliquando vocati fuerint, ut patet ex Martiale (f):

E servo scis te genitum, blandeque fateris,
Cum dominum appellas, Sosibiane, patrem.

matres quoque sic dictas a liberis, cur dubitabimus? sed vulgo etiam ab alienis *domina* pro *matrona* usurpatum. Plinius (g): *& inserta margaritarum pondera e collo dominarum auro pendentia.*

Matris familias nomine aliquando significatur fœmina juris sui, sive nupta, sive innupta (h), ac opponitur *filiæ familias*, quæ in manu, & potestate erat patris, sæpius tamen *materfamilias* accipitur pro uxore, quam ita distingui a *matrona* aliqui volunt, ut *mater familias* ea sola sit, quæ in mariti manu, mancipioque erat, aut in ejus, in cujus maritus, manu, mancipioque esset, quoniam non in matrimonium tantum, sed & in familiam quoque mariti, & in ejus hæredis locum venisset; *matrona* vero, quæ in matrimonium tantum cum viro convenerat. Sed Cicero ipse, qui ita matrem familias a matrona distinxit in Topicis (i); alibi alteram cum altera confundit (k): *matrem familias secus quam matronarum sanctitas, postulat, nominamus.* Servius ad illud Virgilii (l)

Quæ te sola, puer, multis ex matribus ausa,

aliud videtur discrimen noscere, cum inquit: *ex matribus hoc est nobilibus*

(a) *car.* 60. *v.* 31. (b) *Fast. l.* 2. *v.* 745. (c) *Trist. l.* 3. *eleg.* 3. *v.* 23. (d) *ibid. v.* 41. (e) *l.* 12. *epigr.* 28. (f) *l.* 1. *epigr.* 82. (g) *l.* 33. *c.* 3. (h) *Grup. de Ux. Rom. cap.* 1. §. 7. (i) *c.* 3. (k) *pro Cal. c.* 32. (l) *Æn.* 9. *v.* 217.

libus. Nam matres non nisi nobiles dicimus: unde & matronæ dictæ sunt: Verum *matres* non nobiles tantummodo, sed natu grandiores mulieres omnes vocatas, apparet ex Plauto (a): *jubemus te salvere, mater.* Ita etiam viri grandævi *patres* dicti. Terentius: (b) *sic hoc, dicens: asperum, pater, est.* Ut crederem autem matronas idem esse, ac mulieres nobiles, & summo loco natas, plusquam Servius, moverat me locus ille Livii (c): *nec matronis solum, sed omnis ordinis fœminis.* Verum quid Tullio opus dicere (d): *matronæ opulentæ optimates*: quid Plauto (e):

Ubi istas videas summo genere natas
Summates matronas;

si matronarum nomine opulentæ tantum, optimates, & summates intelligendæ sunt? Sed quodcumque discrimen inter hæc vocabula sive apud Grammaticos, sive apud jurisconsultos sit; certe *matrisfamiliæ*, seu *matrisfamilias* nomine uxor simpliciter communi loquendi consuetudine significatur. Livius (f): *& cum tibi viro liceat purpura in veste stragula uti, matrem familiæ tuam purpureum amiculum habere non sines?* Sed clarius id liquet ex alio loco, ubi justa *materfamilias* idem est ac justa uxor, si pellici opponitur: (g) *hunc justa matrefamilias, illum pellice ortum esse.* Ne vero dubites uxorem etiam, quæ in manum non convenit, fuisse justam uxorem, adi Grupen sæpius citatum (h). *Matrona* etiam pro uxore generatim sumitur a Plauto (i):

——— *quibus matrona moribus,*
Quæ optimæ sunt, esse oportet?

Juvenalis pariter (k)

Si tibi contigerit capitis matrona pudici.

Est alia quoque acceptio & matrisfamilias, & matronæ, quarum utraque promiscue significat fœminam sive nuptam, sive innuptam, *notæ auctoritatis*, ut ait auctor de Uxore Romana (l), scilicet honestam, & quæ honestatem profiteretur, cujus insigne erat stola, quam propterea *matronalem* vocat Valerius Maximus (m). Juvat exscribere pulcherrimum testimonium Ulpiani (n): *matremfamilias accipere debemus eam, quæ non inhoneste vixit, matrem enim familias a cæteris fœminis mores discernunt, ac separant; proinde nihil intererit, nupta sit, an vidua, ingenua sit, an libertina: nam neque nuptiæ, neque natales faciunt matremfamilias, sed boni mores.* Haud aliter ipse *matronam*, ac

P 2 *ma-*

(a) *Rud. act.* 1. *sc.* 5 *v.* 5. (b) *Heaut. act.* 3. *sc.* 1. *v.* 49. (c) *l.* 10. *c.* 23. (d) *Famil. l.* 7. *epist.* 6. (e) *Cistell. act.* 1. *sc.* 1. *v.* 26. (f) *l.* 34. *c.* 7. (g) *l.* 39. *c.* 53. (h) *c.* 7. §. 4. & 5. (i) *Stich. act.* 1. *sc.* 2. *v.* 48. (k) *Sat.* 6. *v.* 49 (l) *c.* 1. §. 6. (m) *l.* 6. *c.* 1. (n) *L.* 46. §. 1. *d. V. S.*

matremfamilias, quam pro fœmina honesta accipiam, cui jus sit stolæ ferendæ.

Quare tres tantum facio mulierum Romanarum ordines, & velut classes cum Horatio (a), *matronarum*, *ancillarum*, *togatarum*, seu meretricum.

————— quid inter
Est in matrona, ancilla, peccesque togata?

Mihi quidem de matronis agere dumtaxat institutum est; attamen quædam etiam ad alios ordines spectantia attingere necesse erit.

C A P U T V.

Matronarum pudicitia. Lanificium.

PRima Romanarum matronarum laus pudicitia fuit, quam religiosissime coluisse, certissimum est. Hinc in cippis sepulcralibus sæpissime occurrunt illa *Conjugi castissimæ*: *sanctissimæ*: *pudicissimæ*: aliaque id genus. Cicero etiam sanctitatem matronis tribuit; hancque earum propriam, velut ex omnium sensu videtur asserere (b): *petulanter facimus, si matrem familias secus, quam matronarum sanctitas postulat, nominamus*. Quam porro jura ipsa matronarum pudorem vererentur, testatur Valerius, qui refert (c), in jus vocanti matronam ejus corpus tangere non permissum. Magna autem erat omnibus erga matronas reverentia, quod constat ex Ovidio (d):

Ecquid ab hac omnes rigidas submovimus arte,
Quas stola contingi, vittaque sumpta vetat,

ubi planum est ex stolæ, & vittæ insignibus matronas significari. Discimus etiam ex Plauto probro fuisse viris honestas mulieres in fraudem illicere (e):

Num tu pudicæ cuipiam insidias locas?
Aut quam pudicam oportet esse? Phœ: *nemini.*
Nec me ille sinit Jupiter. Pa: *ego item volo.*
Ita tuum conferto amare semper, si sapis,
Ne id quod ames, populus si sciat, tibi sit probro.

Quoniam vero neque eadem omnibus verecundia, neque idem recti amor omnibus; scimus, a maritis custodes adhibitos, ut repudii, vel alius pœnæ metu a violanda conjugali fide uxores deterrerentur. Custodes memorat Horatius (f), sed clarius morem hunc tangit Ovidius (g):

Nupta

(a) *l. 1. sat. 2. 63.* (b) *pro Cal. c. 32.* (c) *l. 2. c. 1.* (d) *Trist. l. 2. v. 251.* (e) *Curcul. act. 1. sc. 1. v. 25.* (f) *l. 1. sat. 2. v. 98.* (g) *de Art. l. 3. v. 613.*

Nupta virum timeat: rata sit custodia nuptæ.
Hoc decet, hoc leges, jusque, pudorque jubent.

Custodiendis uxoribus præficiebantur liberti, aliquando servi, & Nasonis tempore, quod ex ipso satis constat (a), etiam eunuchi. Tutior tamen custodia socrus, a nurus latere nunquam discedens, si quid suspicionis oboriretur, quemadmodum se mater Cæsaris Aurelia gessit (b) erga Pompejam, quamquam hæc tamen omnem custodiam fefellerit. Sed major adhuc procacioribus fœminis metus ab Ædilibus, a quibus constat, non semel matronas ad populum stupri damnatas.

Nulli quidem fœminæ vulgari se viris permissum, at ne vetitum quidem; idque impune omnibus erat, modo apud Ædiles plebis professæ essent. Ædilium plebis enim, quemadmodum fuit cura ab antiquo fornicum, ganearum, hisque similium locorum, fuit etiam nosse hujusmodi prostibulas, earumque nomen in suas tabulas referre, ut, extra eum numerum si quam invenissent, in eam lege animadverterent. Libertinæ autem, & infimæ ex plebe sortis mulieres, quibus nec publici, nec privati decoris magna cura, nullus tam infandæ professionis pudor, quæstuque corporis vita sustentanda, huic militiæ nomen apud Ædiles edebant. Fuere quidem plurimæ libertini generis mulieres, quæ civi alicui Romano, quin nonnunquam ipsi patrono suo, legitimis nuptiis junctæ erant; plures tamen adhuc quasi id sibi jure suo sumebant, ut vinculo omni solutæ quæstum corpore facerent. Hinc classis libertinarum est Horatio classis meretricum (c)

Tutior at quanto merx est in classe secunda,
Libertinarum dico.

Infamem hanc vitam ingressas, statim nomen mutasse, discimus ex Plauto (d):

Namque hodie earum mutarentur nomina,
Facerentque indignum genere quæstum corpore.

Hinc meretricia illa nomina *Chloe*, *Lyde*, *Lycoris*, *Corinna*, *Cynthia*, *Glycere*, multaque alia, quæ etiam in fornice suis quæque cellis inscribebat, ut hoc titulo, quæ singulis cellis prostraret, appareret.

——— *titulum mentita Liciscæ* (e).

Si quæ autem aliquando turpem ejurabant professionem, hæ meretricio nomine rejecto, liberum iterum, suumque nomen sumebant. Talis forte videri volebat mima illa M. Antonii amica, quam, ac si ju-

(a) *l. 2. Amor. eleg. 2.* (b) *Plutarch. Jul. Cæs.* (c) *l. 1. Sat. 2. v. 48.* (d) *Poen. act. 5. sc. 3. v. 20.* (e) *Juv. sat. 6. v. 123.*

si justa materfamilias facta esset, *homines* [a] *honesti, non noto illo, & mimico nomine, sed matronali Volumniam consalutabant.*

Nec libertinæ conditionis earum pleræque omnes solummodo erant, quæ *victum vulgo quærentes*, ut ait Terentius [b], aut omnibus *obviæ* noctu, ac interdiu ante stabulum prostrabant impudentissime, ideo prostibulæ dictæ, aut *deviæ*, quemadmodum eas Horatius [c] appellat, a publica via semotæ degebant paucioribus expositæ, sed etiam illæ, quæ *vulgus a se segregantes*, ut apud Terentium pariter [d], uni tantum mercede, aut ad certum tempus, aut in totam vitam erant addictæ, quem *herum* vocabant [e].

—— Athenis domus, & herus.

Quæ autem uni aut pretio, aut officio ita deditæ erant, ut justæ uxoris loco haberentur, *conjuges* appellatas ab amatore, amatoremque *conjugem* appellasse, dubitari non potest Tibullum evolventibus. Delia enim, seu Plautia, quam Poeta amabat, libertina certe erat, quod ille plane significat, cum ait [f]:

Sit modo casta doce, quamvis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes;

attamen ille, cui addicta erat, ejus *conjux* esse dicitur, ac ipsa *conjugem* habere, nimirum quod amico justæ conjugis loco erat, ideoque ab eo custodiebatur, ac servabatur. Eadem elegia sic Deliæ amicum Tibullus alloquitur [g].

Quid tenera tibi conjuge opus?

Alia, ita Deliam ipsam [h]:

Nec tamen huic credet conjux tuus.

Ovidius etiam hunc Deliæ amatorem ejus maritum vocat. Ita enim de Tibullo [i].

Denique ab incauto nimium petit illa marito.

Quamquam vero Valerius Maximus refert [k], a Q. Antistio Vero conjugem repudiatam, quod *illam in publico cum quadam libertina vulgari secreto (scorto* emendarem*) loquentem viderat;* ex illius tamen anus Plautinæ querela de matronarum erga meretricium ordinem superbia intelligimus, turpe non fuisse matronis a libertinis adiri, & coli: quin etiam sæpe matronas, quamquam secreto hujusmodi pestes execrarentur, illis tamen palam blandiri solitas, ac sub patrocinio, ac tutela, ut patronis erga libertas conveniebat, easdem habuisse [l].

No-

[a] *Cic. Philip.* 2. *c.* 58. [b] *Heautontim. act.* 3. *sc.* 1. 1038. [c] *l.* 2. *od.* 2. *v.* 21. [d] *Heaut. act.* 2. *sc.* 4. *v.* 6. [e] *Plaut. mil. act.* 2. *sc.* 5. *v.* [f] *l.* 1. *el.* 7. *v.* 73. [g] *v.* 39. [h] *l.* 1. *el.* 2. *v.* 41. [i] 2. *Trist. v.* 457. [k] *l.* 6. *c.* 3. [l] *Cistell. act.* 1. *sc.* 1. *v.* 32.

Nostra copia nihilo volunt nos potesse,
Suique omnium rerum nos indigere,
Ut sibi simus supplices; eas si adeas,
Abitum, quam aditum malis. Ita nostro ordini
Palam blandiuntur: clam si occasio usquam est
Aquam frigidam subdole suffundunt.

Matrona autem nulla per plura sæcula inventa est, quæ tam flagitiosam vitam apud Ædiles profiteri vellet, mulctamque, & exilium timere, si qua libidinibus abripi se fineret, maluit, quam in tam infamem meretricularum album referri. Professa enim meretricium quæstum matrona loco, dignitate matronarum excidebat, ornamentis, ac insignibus matronarum exuebatur. Ita matronalis pudicitia diu tuta fuit Romæ. Cum vero aliquando ita profligata verecundia inventæ essent aliquæ, ut satis contentæ, si legum pœnas evasissent, nullo pudoris fræno, & lenocinium, & stuprum apud Ædiles profiterentur, cautum est novis legibus, ne id matronis liceret ulla ratione, prohibitæque nobiliores præcipue, ne hac fraude pœnas effugerent. Narrat enim Tacitus (a), cum Vistilia prætoria familia genita licentiam stupri apud Ædiles vulgasset, statim gravibus Senatus decretis libidinem fœminarum coercitam, *cautumque ne quæstum corpore faceret, cui avus, aut pater, aut maritus Eques Romanus fuisset.*

Minus hæc credibilia videri poterunt forsitan, cum adverterimus, nihil prius objicere matronis Juvenalem (b), quam impudicitiam. Sed ipse de disciplina loquor, qua mulieres continebantur, melioribus reipublicæ temporibus, non vero de illa quæ corruptis jam non fœminarum modo, sed & virorum moribus, cum tot aliis malis in rempublicam invecta est. Scio equidem Livii sæculo aram pudicitiæ tum patriciæ, tum plebejæ (c) in oblivionem venisse, neque aliter laudatas aliquando fœminas, quam eas antiquioribus conferendo. Ita Romani vulgo uxorem Germanici Agrippinam *unicum antiquitatis specimen* (d) appellabant: ita Plinius, Macrinum, ait (e), amisisse *uxorem singularis exempli, etiam si olim fuisset.* Idem de Plotina Trajani uxore (f): *quid sanctius? quid antiquius?* Dionysius (g) scribit, contra adulteros legem latam jam inde a Romulo fuisse. Sunt tamen, qui putant primam de adulteriis legem Juliam esse ab Augusto latam in viros, de pudicitia in fœminas. Legem Juliam aliæ consecutæ sunt ab aliis Imperatoribus latæ. Hoc satis probat, non

(a) *ann. l. 2. c. 15.* (b) *sat. 6.* (c) *Liv. lib. 10. c. 23.* (d) *Tac. ann lib. 3. cap. 1.* (e) *l. 8. ep. 5.* (f) *paneg. c. 83.* (g) *l. 2.*

non antequam eversa esset respublica, a fœminis licentiæ habenas immissas ad ea usque tempora satis pudore coercitis. Nihilominus quis credat ea, quæ universe poeta exprobrat fœminis, universarum propria fuisse? Imo ego puto, singularum vitia universis affingi. Novimus satirarum morem. Nonne idem sanctissimæ matronæ Corneliæ tamquam nimis superciliosæ, & superbæ mulieris exemplum (a) affert, cujus tamen tantam, scimus, fuisse virtutem, ut se mori Gracchus, quam illam maluerit? Rem notam afferre non vacat. Verum si Q. illa Claudia, cujus pudicitia deducendæ in urbem matris Deum ministerio, clarior facta est, *dubia fuerat fama*, Livio teste (b): si Tullius ait: (c) *perpaucos famam potuisse effugere Romæ in tam maledica civitate*, minime ipse negaverim, posterioribus temporibus vulgatos sæpe de immerentibus rumores, unde satiricis exercendi styli occasio, cum & maledicendi licentia effusior, & matronæ ipsæ sibi multa nova, & sexus verecundiæ nequaquam consentanea, ut videbimus infra, indulgendo, majorem etiam suspicioni locum darent. Quidquid sit tamen, integræ famæ, laudatæque pudicitiæ, ut Romanæ disciplinæ honor suus sit, plures ego matronas, si hoc mihi proposuissem, enumerare possem, a Lucretia illa *Romanæ pudicitiæ duce*, ut Valerius (d) appellat, ad Aniciam usque Faltoniam Probam, Romanarum ultimam, si placet ita appellare, quam alter lapis (e) *sanctissimam, castissimam fœminam*, alter (f) *docendæ castitatis exemplum* vocat, progrediendo; plures inquam enumerare, quam alii impudicas, & profligati pudoris, ut a Romuli parente Ilia incipientes per omnia Augustorum & Augustarum flagitia singulas Romani Imperii ætates percurrant.

Velut nova quædam præjudicia pro matronarum Romanarum pudicitia hæc insuper addam. Primum quod Plinii adhuc tempore, cum Virgines Vestales vi morbi atrio Vestæ cogebantur excedere (g), jussu Pontificum, *matronarum curæ custodiæque mandabantur*: deinde quod hoc in usu erat apud Romanos (h), ut cum mariti peregre redirent, quam ex improviso nec opinantes deprehendere, cum nulla earum fidei suspicio aliter unquam suaderet, aliquem de via præmittere malebant, qui uxoribus adventum nunciaret.

Tanta autem, erat vitæ, morumque securitas, ut in Romanorum ædificiis nulla essent solis mulieribus destinata cubicula, ut apud Græcos remota a virorum aspectu gynæconitis, sed fœminæ teste Cornelio

(a) *sat.* 6. *v.* 169. (b) *lib.* 29. *cap.* 14. (c) *pro Cal. cap.* 38. (d) *lib.* 6. *cap.* 1. (e) *pag.* CCCLII. 6. (f) *ibid.* 5. (g) *lib.* 7. *epist.* 19. (h) *Plutarch. quæst. Rom.* 9.

nelio Nepote (a), *primum locum tenerent ædium*, *atque in celebritate versarentur*. Sed qui primus iste ædium locus? Atrium nimirum, quod Livius, nisi locus mendosus est, (b) *medium ædium: Lucretiam in medio ædium sedentem*, Horatius *aulam* vocat (c):

— lectus genialis in aula est?

Lectus enim genialis, ut nemini non notum, in atrio sternebatur. Ideo Arnobius (d) *matres familias vestræ in atriis operantur domorum, industrias testificantes suas*. Verum cum ex Nepote audis, matronas *in celebritate versatas*, ne credas, apertis eas foribus, ac patente domo in atrio inter hominum cœtus degisse. Celebris ideo ille locus, quod ibi, quot quot ingrediebantur, primum subsistebant, matronasque, atque ancillas statim operis suis deditas offendebant. Hinc videmus, nihil esse mirum, quod tradunt sacri Evangelistæ, scilicet in atrio Principis Sacerdotum, quo, cum Christus Dominus tractus fuit, Judæi confluxerant, alius odio, alius misericordia, alius alio studio ductus, ancillas versatas, quæ Sancto Petro Christi discipulatum exprobrarunt. Sicut enim devictarum gentium aliquando in urbem, ita victoris populi mores in provincias semper invecti sunt. Cæterum cum sæpe apud Comicos legamus pulsatas ædes ingressuris, ac exeunte aliquo fores crepuisse; satis constat, obserari Romanorum ædes solitas, nec patuisse, nisi opus esset. Ab Antiphila Terentiana, quæ, quod unius amatoris erat, honestarum vitam, ac mores imitabatur, discimus, qua diligentia nuptarum ædes servarentur (e):

Ubi ventum ad ædes est, Dromo pulsat fores:
Anus quædam prodit: hæc ubi aperuit ostium,
Continuo hic se conjecit intro: ego consequor:
Anus foribus obdit pessulum, ad lanam redit.

Matres familias igitur jam a primis reipublicæ temporibus in atriis domorum lanificio operam dabant. *Telas*, inquit Asconius (f), *quæ ex veteri more in atrio texebantur diruere*. Lucretiam *deditam lanæ inter lucubrantes ancillas in medio ædium sedentem* describit Historicus (g). Sedisse autem in lecto adverso [hic lectus est, qui genialis nuptiarum tempore, postea adversus dictus] matronas, cum operas suas edebant, probat (h) Lipsius ex Propertio (i):

Sederit & nostro cauta noverca toro,

ac luculentius ex Laberio apud A. Gellium (k):

Materfamilias tua in lecto adverso sedet.

Adde tu & Ovidium, ubi Lucretiam lanificio deditam describit (l)

Q. Ante

(a) *præf.* (b) *l.1.c.57.* (c) *l.1. epist.1.v.87.* (d) *l.2.* (e) *Heautonim. act. 2. sc. 3. c.34.* (f) *in Milonian.* (g) *Liv. l.c.* (h) *Elect. l.1.c.17.* (i) *l.4.eleg.2.v.82.* (k) *l.16. v.9.* (l) *Fast. l.2. v.742.*

Ante torum calathi, lanaque mollis erat.

Hujus moris conjecturam facio etiam ex Plauto, ubi Antipho, non ubi filiæ sedebant, sed in subsellio sessurum se, ait, eoque magis, quod in subsellio sessuro pulvini opus esse dicitur, cujus opus non erat, si, ubi filiæ, in lecto nimirum pariter sedisset: [a]

— Pi: *asside hic, pater.*

Ant: *Non sedeo istic, vos sedete, ego sedero in subsellio.*

Pi: *Mane pulvinum.*

Sedebant igitur in lecto matronæ, ante lectum calathi cum lana, circum ancillæ, quibus vel ipsa domina pensum partiebatur, vel alia ancilla huic muneri præfecta, quæ *libraria* dicebatur, cujus meminit Juvenalis [b].

Cum autem plurium opera necessaria esset ad lanam exercendam, telam texendam, vestem conficiendam, quæ omnia in atrio a fœminis edebantur; matres familias, nisi forte minus delicatas aliquas, aut pauperculas excipimus, nendo solummodo occupatas fuisse, ancillas vero non nevisse solum, sed & cætera, quæ ad textrinam, ac suturam spectat, obiisse, existimo. Si enim delicatiores quoque ancillæ, cum laboriosis operibus impares, nihil aliud, quam pensum faciebant [c]:

Laboriosi nihil tibi quidquam operis imperabo.

Possin' tu, si usus venerit, subtemen tenue nere?

Si tenue scis, scio te uberius posse nere,

inquiebat ille ad ancillam; multo magis dominas hoc solum sibi sumpsisse, crediderim, ut nendo exercerentur. Lucretiam itaque, quam deditam lanæ affirmat [d] historicus, nevisse duntaxat, constat ex Ovidio: [e]

Inde cito passu petitur Lucretia: nebat:

Ante torum calathi, lanaque mollis erat.

Animadverte etiam, novæ sponsæ, non radios ad texendum, non ad suendum acus, sed colum cum lana tantum prælatam: Cajæ illi Cæciliæ, a qua boni ominis ergo nuptæ omnes Cajæ dictæ, statuam [f], positam fuisse cum fuso: Egiliam, seu Egilium invitatum ab Opimio [g] *cum lana, & colu:* Murrhinam etiam apud Comicum [h], cum vicinam adiret, *colum sibi ferri* jussisse. Nebant igitur solum dominæ, ac dominarum filiæ, ut pauperculam fuisse Antiphilam Terentianam, vel eo appareat, quod texens [i] offenditur. Ve-

[a] *Stich. act.1. sc.2. v.35.* [b] *sat.6. v 476.* [c] *Merc. act 3 sc.1. v.9.* [d] *Liv. l.c.* [e] *fast.l.c.v 741.* [f] *Plutarch. quæst. Rom. 30.* [g] *Cic. de orat. l.2. c.277.* [h] *Plaut. Cas. act.2. sc.2. v.4.* [i] *Heautontim. act.2. sc.3. v.44.*

Ecce autem tibi ex Divo Hieronymo (a) fingula, quibus fe in lanificio fœminæ nobiles exercebant: *Habeto lanam femper in manibus, vel ftaminis pollice fila deducito, vel ad torquenda fubtegmina in alveolis fufa vertantur: aliarum neta aut in globum collige, aut texenda compone: quæ texta funt, infpice, quæ errata reprabende, quæ facienda conftitue.*

Cætera ancillæ præftabant, quæ tamen cum ab aliis vacarent, penfum quoque trahebant. Lanam pectere, & carminare ancillarum fuiffe, oftendit Plautus (b):

Inter ancillas federe jubeas, lanam carere?

Textrina etiam inter ancillarum minifteria ab eodem recenfetur (c):

Nihil opus ancilla, nifi quæ texat, quæ molat.

Cajus etiam l. & ancillar. de pecul. inter vulgaria artificia, quibus tamen fervæ commendantur, texendi peritiam enumerat: *Maxime fi qua farcinatrix, aut textrix erit, aut aliquod vulgare artificium exerceat.* Fullonicam facere pariter, ac lanas variis coloribus inficere ad fervas fpectabat, ut indicat Silius, apud quem ferva cuidam donatur (d),

— albentes invertere lanas
Murice Getulo docta.

Suere etiam non nifi ancillarum fuit. Inter vulgaria, ac fervilia artificia hoc etiam recenfuit Cajus loco fupra laudato: *Maxime fi qua farcinatrix*: Sed quot occurrunt apud Gruterum lapides fervæ alicui *Sarcinatrici* erecti? Quid vero fi per illud Juvenalis (e):

— admotaque lanis
Emerita, quæ ceffat, acu,

cum multis dicamus, ancillam fignificari, quæ hebeti ob ætatem oculorum acie, a fuendo ceffaverit, & nere cum domina cæperit? Scio alios mordicus pugnare, ut crinalis acus ibi intelligatur; attamen ficut illis hoc perfuadet, quod ea de ornatu capitis confulitur, ita aliis fortaffe primum, quod ab acu ad colum tranfiffe dicitur.

Ut evincant aliqui, matronas Romanas non colu dumtaxat exerceri folitas, afferent Svetonium, qui ait (f), Auguftum *non temere alia vefte, quam domeftica ufum effe, ab uxore, forore, & filia, neptibufque confecta.* Verum cur ab illuftribus illis matronis dici non potuit confecta veftis, ad quam nendo lanam paraverint? Sed tantam illis erga Auguftum caritatem, & reverentiam fuiffe, putent, ut

(a) *epift.* 97. *alias* 8 (b) *Menach. act.* 5 *fc.* 2 *v.* 46. (c) *Mercat. act.* 2. *fc.* 3. *v.* 62. (d) *l.* 16. *v.* 569. (e) *fat.* 6. *v.* 497. (f) *Aug. c.* 73.

non ancillarum, sed sua opera uti voluerint ad vestem ipsi texendam, ac consuendam; non contra pugno. Mater etiam Euriali, quæ *Priami de gente vetusta* (a), filio ob caritatem vestem texebat apud Maronem (b). Quod ad hunc locum spectat, hoc maneat, matronas, quo magis pudicæ, ac frugi erant, eo magis assiduas domi suæ opificio intentas vitam egisse. Hinc Amonime quædam ad cæteras pietatis, pudicitiæ, frugalitatis laudes *domiseda* dicitur in lapide apud Fabrettum (c), hoc est domi sedens. Quid igitur, inquies, sibi volunt verba illa Columellæ (d), ubi mulierum sui temporis luxum, & inertiam conqueritur? *Nunc vero cum pleræque sic luxu, & inertia defluant, ut ne lanificii quidem curam suscipere dignentur, sed domi sedentes confectas vestes fastidio habeant*. Curam lanificii suscipere non dignantur, quæ tamen domi sedere dicuntur? Num domi sedere vitio vertitur? Prœterea quid est *fastidire vestes confectas*? Si id mihi permitterem, ita emendandum locum dicerem: *domi sedendo, aut domi sedentibus confectas vestes fastidio habeant*, ut essent eæ vestes, quas Tranquillus, ut supra vidimus, *domesticas* appellavit (e), hoc est domi confectas, & elaboratas. Etenim nihil aliud queritur Columella nisi quod in plerisque matronis defecerit suis temporibus muliebris sedulitas, qua domi sedendo, nentes ipsæ, & ancillis texentibus invigilantes, sibi, maritis, totique familiæ vestes conficiebant.

CAPUT VI.

Fœminæ Romanæ per urbem. Earum locus in Amphitheatro, & circo. Conviviis intererant. Vinum ipsis interdictum.

INter tot reipublicæ tempestates, labascente cum imperio Romanorum etiam virtute, cum omnium mores in deterius vergerent, minus industriæ, minusque pudicitiæ sequiori sexui fuisse, non dubito. Propterea solitudinis tædere plerasque cepit, ac domo contineri, ut non amplius hominum cætus, turbas, ac publicum vererentur. Catullus, cum Camerium quæreret, per omnia urbis frequentissima vagatus loca, nusquam non fœminas offendit (f):

Te quæsivimus in minore campo,
Te in circo, te in omnibus tabernis,

Te

(a) 9. *Æneid.* v. 284. (b) *Æn.* 9. v. 476. (c) *Inscript. pag.* 252. (d) *l.* 12. *praef.*
(e) *Aug. c.* 73. (f) *carm.* 55. v. 3.

Te in templo Supero Jovi sacrato
Te in Magni simul ambulatione.
Fœmellas omnes, amice, prendi
Quas vultu vidi tamen serenas,
Has te sic tantum ipse flagitabam,
Camerium mihi, pessimæ puellæ.

Ubi cum audis omnes a poeta *pessimas puellas*, amatorculorum more etiam per convicia blandientium, appellari, intellige, licuisse existimare non probas, quæ vagæ per urbem offendebantur. Propterea alter Catullo etiam nequior, foras prodire eas jubet, quæ amatores quærerent: (f)

Utilis est vobis, formosæ, turba, puellæ.
Sæpe vagos ultra limina ferte pedes.

Hac de causa, melioribus saltem temporibus, repudiari uxor poterat, quæ, viro imprudente, domo egressa esset (b):

Uxor viro si clam domo egressa est foras
Viro sit causa, exigitur matrimonio.

Ideo P. Sempronius Sophus, ut Valerius Maximus refert (c), conjugem repudii nota affecit, *nihil aliud, quam se ignorante ludos ausam spectare.*

Nunquam tamen convenire cognatas, & amicas, ac festorum dierum celebritatibus interesse, etiam pudicissimis morem non fuisse, liquet ex Terentio (d):

Tum tuas amicas te, & cognatas deserere, & festos dies
Mea causa nolo. So: *nil pol jam istæc res mihi voluptatis ferunt:*
Dum ætatis tempus tulit, perfuncta satis sum: satias jam tenet
Studiorum istorum.

Verum omnes porticus, omnia templa, ac fora fœminis aliquando referta Romæ fuisse, testem dare Nasonem (e) possum; ad ludos tamen, & spectacula, in theatrum, in circum, in arenam itabant frequentiores, ut ex eodem patet (f), & quod pejus est, (g)

—— læti juvenes, mixtæque puellæ.

Hinc peccandi magister: (h)

Proximus a domina, nullo prohibente, sedeto.

Lege Roscia quidem, cum discreti spectatorum loci, suus & fœminis adtributus est seorsim a viris in theatro, sed adhuc in circo, ac amphitheatro promiscue mares, ac fœminæ spectabant. Plutarchus

---

(a) *Ovid. de Art. l.3 v.417.* (b) *Plaut. Merc. act.4. sc.6. v.5.* (c) *l.6.c.3.* (d) *Hec. act.4. sc.2. v.16.* (e) *l.1. de Art. a v.67.* (f) *Ibid. a v.89.* (g) *Ovid. de Art. l.1. v.217.* (h) *de Art. l.1. v.239.*

chus (a): *spectaculum gladiatorum erat. Locis autem ad spectandum nondum tunc discretis, sed mixtim sedentibus viris, fœminisque, accidit, ut propter Sullam sederet mulier quæpiam facie, & genere honesta.* Sustulit tandem pessimum morem Augustus, ut Tranquillus narrat (b): *Fœminis ne gladiatores quidem, quos promiscue spectare solemne erat, nisi ex loco superiore spectare concessit.* Vestales quidem ad podium (c) loco senatoribus, magistratibus, ac sacerdotibus concesso, in amphiteatro spectabant, aliæ autem cujuscumque ordinis fœminæ (d) in summa cavea, ac supra viros, omnes tum in circo, tum in arena, tum in theatro. Hinc Propertius: (e)

Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum,

ne scilicet suspicias supremum, & altissimum locum, ubi fœminæ.

Sed & conviviis fœminæ Romanæ cum viris intererant. *Quem Romanorum*, inquit Nepos (f), *pudet uxorem ducere in convivium?* Bene ait, *ducere*, extra domum scilicet, & ad extraneos, nam ad convivium propinquorum adhiberi fœminas, & in Græcia, eodem Nepote teste (g), usitatum. Romanas vero alienorum etiam cœnas frequentasse, constat ex Tullio, qui, ait, (h) esse, qui dicerent, *uxores suas a cœna redeuntes attrectatas a Cælio.* Nulli matronarum tamen extraneorum convivia contra viri voluntatem, aut eo ignorante, licuit adire, alioqui repudiari poterat, juxta l. consensu C. de repud. Non eodem, ac viri tempore, mensæ accumbere cæperunt mulieres, quæ, quamquam in lectis discumbere cœnaturis mos esset, viris tamen accumbentibus, mensæ assidebant. Testis luculentus Valerius Maximus (i): *Fœminæ cum viris cubantibus sedentes cœnitabant, quæ consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit. Nam Jovis epulo, ipse in lectulum, Juno, & Minerva in sellas ad cœnam invitabantur. Quod genus severitatis ætas nostra in capitolio, quam in suis domibus servant.* Priscam hanc consuetudinem expressisse Apulejum, aliqui credunt, ubi Milonis uxor (k), viro discumbente, *pedes assidebat.* Verum non antiqua consuetudo auctoris animo obversata, sed hospitis avaritia, & paupertas, siquidem cum in uxoris locum jubetur Lucius ipse assidere, hanc reddit causam Milo: *Adside istic, nam præ metu latronum nec sufficientem supellectilem parare nobis licet.*

A Pompei autem ætate, putat Hieronymus Mercurialis (l), cœpisse fœminas quoque cum viris discumbere, quod verum fortasse esse po-

(a) *Sull.* (b) *August. c. 44.* (c) *Lips. de Ambit. c. 11.* (d) *Lips. ibid. c. 14.*
(e) *l. 4. eleg. 8. v. 77.* (f) *præf.* (g) *ibid.* (h) *pro Cælio c. 20.* (i) *l. 2. c. 1.* (k) *Metamorph. l. 1.* (l) *Art. gymn. l. 1. c. 11.*

poteſt de matronis, nam multo ante Pompei ætatem, ſcilicet Catonis Majoris tempore ſaltem amicas accubaſſe dicendum eſt, ſi vera narrat Livius ex Antiate (a): *illam* [famoſam mulierem Placentiam] *infra eum* (L. Quintium) *accubantem negaſſe*, ac paulo poſt: *ad ſpectaculum ſcorti procacis in ſinu conſulis recubantis*. Quin ante bellum punicum ſecundum accumbebant fœminæ ſaltem hujus ordinis, ut ex Plauti Aſinaria, Bacchidibus, Moſtellaria, Perſa, Sticho liquido apparet. Sed quocumque id cœperit tempore, ad ſiniſtram ejus, qui in medio cubabat, accumbebant mulieres, qui locus inferior, infra eum propterea dictæ diſcumbere, cum loco ſuperiore, aut ſummo, ſeu ſupra accumbere diceretur, qui dexter erat. Sic Livius (b): *infra eum accubantem*, ſic Cicero (c), *Cytheridem*, ait, *infra Eutrapelum* accubuiſſe. Plutarchus (d) credere videtur, ideo inferiorem locum uxoris, aut liberorum fuiſſe, quod is, qui ſupra, ut par erat, tribui debebat convivarum honoratiſſimo. Sed facilius crediderim, hanc ideo inductam conſuetudinem, quod quæ ſupino ſiniſtra erat, eadem in ventrem prono, qua ratione diſcumbebant (e) pulvinis innixi cœnæ initio Romani, dextera erat, ac propterea patebat ſive viri, ſive amatoris amplexibus. Cicero (f): *accubantes in conviviis amplexi mulieres impudicas, vino languidi*. Propterea infra recumbere idem eſt, ac in ſinu recumbere. Livius (g): *illam infra eum accubantem*, mox, *ad ſpectaculum ſcorti procacis in ſinu conſulis recubantis*. Vide quid arguerit inferior locus ſororibus, ſummus uxori a Caligula adſignatus. Svetonius (h): *cum omnibus ſororibus ſuis ſtupri conſuetudinem fecit, plenoque convivio ſingulas infra ſe viciſſim collocabat, uxore ſupra cubante*. Quare quod ait Mercurialis (i), certa quadam figura a viris aliquo pacto diverſa, quaſique ſedentes, & nulli alteri rei cubitis innixas mulieres diſcubuiſſe, libenter de illis matronis accipio, quibus major honeſtatis, & dignitatis cura. Cæteras, quas in ſinum virorum recipi non pudebat, eadem, ac viri, ratione diſcubuiſſe, dubitari non poteſt.

Quod ad rem convivalem ſpectat, *fœminas bibere ſolitas Romæ, atque in Latio loram, paſſum, murrhinam, & quæ id genus ſapiant, potu dulcia*, aſſerit A. Gellius (k). Vinum certe, vel ab initio urbis fœminis interdictum, præter alios teſtatur luculenter Plinius: (l) *Non licebat id fœminis Romæ bibere. Invenimus inter exempla Egnatii Mecenii uxorem, quod vinum bibiſſet ex dolio, interfectam fuſti a marito, eumque a Romulo abſolutum. Fabius Pictor in annalibus ſuis ſcripſit, matronam,* quod

(a) *l.* 39. *c.* 43. (b) *l. c.* (c) *famil. l.* 9. *epiſt.* 26. (d) *Quæſt. conviv.* 3. *l.* 1.
(e) *Mercurial. l. c.* (f) *Catilin.* 2. *c.* 10. (g) *l. c.* (h) *Calig. c.* 24. (i) *l. c.*
(k) *l.* 10. *c.* 32. (l) *l.* 14. *c.* 13.

quod loculos, in quibus erant claves vinariæ cellæ, resignavisset, a suis inedia mori coactam. Cato ideo *institutum ait, propinquos fœminis osculum dare, ut scirent, an temetum olerent.* Posterioribus etiam temporibus, cum exoleverat hæc tanta fæminarum sobrietas, turpe tamen fuisse fœminis vinosiores videri, conjici potest ex Martiale, ubi eas irridet, quæ ad animæ ex vini potu graveolentiam tollendam Cosmi pastillos [a], aut Lauri folia [b] mandebant. Consuetudinis autem cognatos osculo excipiendi etiam Plutarchus hanc rationem affert [c], ut nimirum deprehendi possent, quæ vinum bibissent. Moris hujus vestigia videmus apud Plautum, ubi adeuntem patrem statim filia ad osculum invitat [d].

Quando cœperit frequentius uti vino uterque sexus, non ausim divinare. Puto tamen antequam vulgari alia vitia cœpissent, mulieres vino jam assuevisse. Haud ita longe a Romulo urbis, atque legis conditore, fuere, quæ vino, eoque impune, minime abstinerent, nisi hujus legis ignarus dicendus sit Naso, qui de Tarquinii Superbi nuru cecinit: [e]

——— fusis per colla capillis
Inveniunt posito pervigilare mero.

Anus multibiba non una est apud Plautum. Sed ejusdem Ovidii ætate citra ullius admirationem existimo matronas plerasque vinum bibisse. Senecæ vero temporibus gulæ adeo deditæ aliquæ inveniebantur, ut non vino dumtaxat oblectatas dicat, sed in multam noctem cum viris cœnasse, cumque ipsis voracitate contendisse: [f] *non minus pervigilant, non minus potant, & oleo, & mero viros provocant: atque invitis ingesta visceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remetiuntur.* Hoc stomacho mulier esse debuit, quam describit Juvenalis (g):

——— tandem illa venit rubicundula totum
Œnophorum sitiens, plena quod tenditur urna
Admotum pedibus, de quo sextarius alter
Ducitur ante cibum rabidam facturus orexim.

CA-

[a] *l. 1. epigr.* 72. [b] *l. 5. epig.* 4 [c] *Quæst. Rom* 6. [d] *Stich. act. 1. sc. 2. v.* 34.
[e] *Fast. l. 2. v.* 739. [f] *Epist.* 95. (g) *Sat. 6. v.* 425.

CAPUT VII.

Balnea muliebria. Palæstra mulierum: Earum pugnæ in arena.

ANte cœnam balneorum usus non viris solum, sed etiam fœminis a priscis temporibus communis fuit. Initio autem cum aut nulla, aut angustissima publice extarent balnea, privatim quamque domi suæ lavisse, certum est. At unquam ne promiscue, & simul cum viris? Id plane nego, sive publice, sive privatim, manente adhuc cum republica Romanæ disciplinæ severitate, unquam factum, neque video, cur de hoc ambigat Mercurialis, qui ex Varronis, & Gracchi locis hanc sibi suboriri suspicionem fatetur (a). Primum enim quid ad hanc corruptelam significandam faciunt Gracchi verba? En illa apud A. Gellium (b). *Nuper Teanum Sidicinum consul venit: uxor edixit, se in balneis virilibus lavari velle: quæstori Sidicino a M. Mario negotium datum, ut balneis exigerentur, qui lavabantur.* Balneorum virilium cum fit mentio, apparet, balnea non fuisse promiscua. Quod vero consulis uxor in iis lavari voluerit, non probat promiscue lavari voluisse cum viris, imo contrarium manifestum est, si ii qui lavabantur, statim e balneis exacti. Quin ne maritus quidem consul interfuit, cum uxor lavaretur. Pergit enim narrare Gracchus: *uxor renunciat viro, parum cito balneas traditas esse, & parum lautas fuisse.* Ex his Gracchi verbis Marlianus in Romæ topographia (c) hoc solum infert, mulieres aliquando lavari solitas in balneis virilibus. Ipse ex Graccho potius inferendum dico, nunquam in balneis virilibus mulieres lavisse, sed tantum hoc sibi sumpsisse uxorem consulis, vel quod nulla Teani muliebria publice balnea, vel quod noluerit Sidicinis fœminis misceri matrona Romana, aut, cum omnes deberent ex balneis hac de causa exigi, *magno* voluerit *sudare tumultu* (d), qui semper gratissimus hujusmodi beatulis mulieribus. Certe videtur hoc singulare superbæ, & imperiosæ fœminæ fuisse.

Varro (e) autem tradit, *in balneo conjuncta fuisse ædificia bina, unum ubi viri, alterum ubi mulieres lavarentur.* Si bina ergo erant ædificia ex Varrone, quæ suspicio hinc Mercuriali? Mares ac fœminæ suo quique ædificio lavabantur; ideoque neque eodem lavacro, neque eadem cella, licet binis ædificiis muliebris cella virili conjuncta esset. Cum pudor itaque non pateretur, utrumque sexum simul la-

(a) *de Art. gymn. lib.* 1. *cap.* 10. (b) *lib.* 10. *cap.* 3. (c) *l.* 4. *cap.* 7. (d) *Juv. sat.* 6. *v.* 420. (e) *L. L. l.* 8.

vari, lavacra autem conjungi commoditas desideraret, nimirum ut idem hipocaustum, aquarium, vasarium utrisque inserviret; discretis, sed continentibus cellis, & pudori, & commoditati consultum. Utrumque respexisse puto, Vitruvium, cum præcipit (a), *uti caldaria* (caldaria hic cellæ sunt) *muliebria, viriliaque conjuncta, & in iisdem regionibus sint collocata, sic enim efficietur, ut in vasaria ex hypocausto communis sit usus eorum utrisque*. Ita in privatis balneis, de quibus hic Vitruvium scripsisse, puto, nihil mihi occurrit, quod illam dedeceat Romanorum gravitatem, apud quos, Valerio (b), & Cicerone (c) testibus, neque cum parentibus filii puberes, neque cum soceris generi lavari ausi sunt.

Cum autem publice ad octingenta extitisse Romæ balnea, memoriæ proditum sit, fuisse inter hæc aliqua, ita discretis lavacris, ad usum marium, ac fœminarum, neque affirmare audeo, neque negare. Peculiaria pro fœminis fuisse aliqua, haud temere suspicatur Mercurialis (d), & forte ea, quæ Agrippinæ dicebantur, ab Agrippina Neronis matre ædificata, nec non quæ Olympiadis vocabantur in suburra, & quæ Ampelidem, & Priscillam trans tiberim habuisse, forsan ad evitandum hominum conspectum, legimus. Ad publicas autem thermas, ac balnea virilia fœminas impudicas accedere solitas, videtur indicare Seneca, (e) ubi ait, juvenes voluptatem quærere *circa balnea, & sudatoria, & loca ædilem metuentia*.

Dilapsa tamen severitatis Romanæ disciplina, eo devenit muliebris impudentia, ut eodem labro mares, fœminæque lavarentur. Pessimum morem Adrianus sustulit, deinde & M. Aurelius. Helagabalus pro ingenio suo restituit, sustulitque iterum Alexander Severus, ac repudiandas, doteque mulctandas sanxit, quæ secus audeRent.

Cum hæc scriberem, incidi in quamdam Octavii Ferrarii dissertationem *de balneis* nuper editam a V. Cl. Joanne Fabricio (f), in qua eruditissimo auctori persuasum videri potest, usque ab Ovidii temporibus promiscuas balneas viris, ac fœminis fuisse. Probabile id mihi nequaquam est. Primo enim non adeo distat a Cicerone Ovidius, ut cum Ciceronis ætate neque filii cum patribus, neque cum soceris generi lavarentur; hac tanta verecundia subito in maximam impudentiam versa, Ovidii ætate fœminæ lavarentur cum viris. Deinde quis dicet, sub Augusto publice iisdem balneis utrumque sexum usum, cum ex Vitruvio ejus temporis scriptore appareat, etiam privatim virilia

(a) *l. 5. c. 10.* (b) *l. 2. c. 1.* (c) *Offic. 1. c. 129.* (d) *l. c.* (e) *de Vit. Beat. c. 7.*
(f) *Helmstadii 1720.*

rilia caldaria a fœmineis discreta? Demum hoc non evincunt Ovidii versus (a), quos Ferrarius citat:

Cum custode foris tunicam servante puellæ.
Celent furtivos balnea multa jocos,

seu melius *viros*, ut alii emendant. Hinc colligi quomodo potest promiscue fœminas cum viris lavisse, cum pateat in earum balnea ne ingressus quidem viros, nisi forte aliquis furtim irreperet? At ne Juvenalis quidem tempore pudicas, aut quas esse pudicas oportebat, fœminas unquam lavisse cum viris, certissimum puto. Quis enim sibi persuadeat, poetam tota contra fœminas satira id tacere voluisse? Virorum ministerio aliquas in balneis usas, neque unctorum, ac aliptarum oculos, manusque expavisse, ex illo discimus (b); pejus quid, atque obscenius ausas, cum id ille minime referat, non credam. Quare cum ex Martiale (c), qui Juvenalis æqualis fortasse fuit, vel saltem eo paulo inferior, constet, fœminas aliquas cum viris lavisse; id ab impudicis aliquibus solum ea ætate usitatum arbitror, quod tamen ne Senecæ quidem ævo rarum. Quamquam vero publicis tantum prostibulis id in usu esset, vetitum tamen a Trajano, cui *castitas ingenita*, *& innata*, si Plinio (d) fides, ideoque magnus verecundiæ amor, fœdissimum morem non dubito. Liquet enim ex Xiphilino in Adriano promiscuas balneas ab hoc Imperatore sublatas. Tantum vero abest, ut publicæ lupæ aut Trajani, aut successoris Adriani edictis a pessimo more cohiberentur, ut sensim etiam ad matronas eadem impudentia transierit; quin post ipsa etiam Alexandri Severi tempora inter Christianos quoque promiscuas fuisse balneas, Ferrarius planissime ostendit. Sanctus Cyprianus pessimum morem ita execratur (e): *Quid vero, quæ promiscuas balneas adeunt, quæ oculis ad libidinem curiosis, pudori, ac pudicitiæ corpora dicata prostituunt; quæ cum viros atque a viris nudæ vident turpiter, & videntur, nonne ipsæ illecebras vitiis præstant.*

Hoc cum aliquando non erubescerent fœminæ Romanæ, quis mirabitur *fœmineum ceroma* (f), ac in gymnasiis Spartanarum more ipsas viris immixtas, ac sese exercentes? Palæstræ, aliisque exercitationibus deditas describit Juvenalis (g), quamquam idem fatetur alibi paucarum hoc fuisse (h):

Luctantur paucæ, comedunt coliphia paucæ.

Magis adhuc contra mores illud, quod aliquando primates etiam matronæ in arenam descendere, & gladiatoriam pugnam vere pugnarunt.

(a) *de Art. 3. v. 640.* (b) *sat. 6.* (c) *l. 11. epigr. 76.* (d) *paneg. cap. 20.* (e) *de disc. & hab. virg.* (f) *Juven. sat. 6. v. 246.* (g) *l. c.* (h) *sat. 2. v. 53.*

runt. Tacitus: (a) *fœminarum illustrium, & senatorum plures per arenam fœdati sunt*. Svetonius (b): *venationes, gladiatoresque & noctibus ad lychnuchos dedit, nec virorum modo pugnas, sed & fœminarum*. Frequentius ex iis temporibus esse hoc cœpit, cum, Severo Principe, S. C. cavendum fuerit, ne fœminæ ad gladium depugnarent. Vide de his Lipsium (c).

C A P U T VIII.

Matronæ carpento vectæ. Lectica. Sella.

PRriscis, & primis temporibus Romanas matronas pedibus incessisse, asserendum est, cum eo, quod Valerius Maximus (d) refert, ob Coriolanum exoratum, sanxisse in honorem matronarum Senatum, ut *fœminis semita viri cederent*, cum eo maxime, quod clare historici referunt, quo tempore, & qua de causa illis indultum sit, ut carpento veherentur. Post Vejos enim captos, cum auri copia Romæ non esset, quo voti a Camillo facti religione se populus solveret; *matronæ*, inquit Livius (e), *cœtibus ad eam rem consultandam habitis, & communi decreto pollicitæ tribunis militum, aurum, & omnia ornamenta sua in ærarium detulerunt. Grata ea res, ut quæ maxime Senatui unquam fuit: honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra, ludosque, carpentis festo, profestoque uterentur*. Amisere ex eo tempore usum pedum locupletiores quidem, & honestiores, vehiculisque junctis usæ sunt, artificio etiam, & materie insignibus, quæque magno empta, oportuit. Indicat Plautus: (f):

——— *eburata vehicula, pallas, purpuram*
Nihil moror, quæ in servitutem sumptibus redigunt viros.

Aureæ carrucæ meminit etiam temporibus suis Martialis (g). Subigebant autem non equos ad currum, sed mulos, mulasque, quod nullo tempore non usitatum. Idem Plautus (h):

Ancillas, mulos, muliones, pedisequos,
Salutigerulos pueros, vehicula, qui vehar.

Varro etiam (i) memorat, rhedarias mulas, ac de mulis hæc alibi (k) habet: *hisce enim binis conjunctis omnia vehicula in viis ducuntur*. Quamquam ex iis, quæ sequuntur, apparet nonnullos etiam usos

(a) *ann. l.* 15. *c.* 32. (b) *Domit c.* 4. (c) *Saturn. l.* 2. *c.* 4. (d) *l.* 5. *c.* 2. (e) *l.* 5. *c.* 25. (f) *Aulul. act.* 2. *sc.* 1. *v.* 46. (g) *l.* 3. *epigra.* 62. (h) *Aulul. act.* 3. *sc.* 5. *v.* 27. (i) *de R. R. l.* 3. *c.* 17. (k) *ibid. l.* 2. *c.* 8.

ufos equis ad vecturam. Adde tamen & Martialem, qui longo est posterior tempore (a):

Aurea quod fundi pretio carruca paratur,

Quod pluris mula est, quam domus empta tibi.

Neque uno nobiliores matronæ contentæ erant vehiculo. Namque vel alia aliis pretiosiora, vel cum plura inventa essent vehiculorum genera, quæ aut numero rotarum differrent, aut varie essent figurata, & conformata, *carpenta, rhedæ, carrucæ, esseda, petorita*, & alia id genus, fieri potuit, ut singula saltem singulorum generum sibi parari vellent. Plautus, qui sub initium belli secundi punici floruit (b):

Nunc quoquo venias, plus plaustrorum in ædibus

Videas, quam ruri, quando ad villam veneris.

In medio ardore ejusdem belli punici C. Oppius tribunus plebis legem tulit, qua matronarum luxus coercitus, atque inter cætera vetitum (c), *neu juncto vehiculo in urbe, oppidove, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum causa veherentur*. In melius tamen verso reipublicæ tempore viginti post annos lex Oppia magnis contentionibus abrogata est, redditusque mulieribus prior ornatus, iterumque vehi per urbem permissum. *Enim vero universis dolor, & indignatio erat*, inquit Livius (d), *cum sociorum Latini nominis uxores viderent vehi per urbem, se pedibus sequi*. Unde colligitur, in Latio quoque eumdem fuisse vehiculorum usum.

Haud ita multo post, Asia devicta, ut autumat Lipsius (e), cœpit usus lecticarum, quæ nihil aliud, quam modicus lectus, ubi jacentes in pulvino singulæ mulieres (ita etiam in lecticis suis viri) servorum humeris ferebantur. Positus hic corporis clare deprehenditur ex Ovidio (f):

Interea sive illa toro resupina feretur,

Lecticam dominæ dissimulanter adi.

Lecticis extra urbem primum gestabantur omnium ordinum viri, ac fœminæ, deinde sub tempora Julii Cæsaris etiam per urbem. Hic tamen rerum potitus vetuit lecticis uti, quæ nec viros, nec liberos haberent, minoresque essent annis quadraginta. Verum regnante Augusto ita frequentari cœpit lecticarum usus, ut tandem sub Tiberio nulla mulier carpento veheretur, nisi forte sacrorum causa, quod & per Oppiam legem olim licuit. Idcirco Agrippina altius visa suum fastigium extollere, quod carpento capitolium ingrediebatur, more

(a) *l. c.* (b) *l. c. v.* 31. (c) *Liv. l.* 34. *c.* 1. (d) *l.* 34. *c.* 7. (e) *Elect. l.* 1. *c.* 19.
(f) *de Art. l.* 1. *v.* 486.

more sacerdotibus, & sacris antiquitus concesso. Ita Tacitus (a): *suum quoque fastigium Agrippina extollere altius, carpento capitolium ingredi, qui mos sacerdotibus, & sacris antiquitus concessus, venerationem augebat foeminae.*

Lecticas autem tectas, cum & apertae aliquae essent, potissimum in usu matronis pudicioribus, credo, quae contra aspectum hominum clausae, undique munitae erant pelle, & velo, opere arcuato, cum finestris ad prospectum, quae velo, sive linteo tegebantur, ut Lipsius (b) descripsit. Viros etiam lecticis tectis usos monstrat ille dives, cui (c)

—— *facit somnum clausa lectica finestra.*

Servos ad lecticam matronae locupletiores quaerebant proceros, & boni habitus, quibus succollantibus altiores supra vulgus, coeterasque extollerentur.

—— *longorum vehitur cervice Syrorum* (d).

Hi enim potissimum ex Syria, Cappadocia, Germania, Liburnia etiam, Liburnus enim apud Juvenalem est lecticarius (e):

———— *tarde venisse Liburnus*

Dicitur ————————————

Tenuiores foeminae angustiori lectica a duobus tantum, vel quatuor servis gestabantur, summates vero & hexaphoro, & octophoro, quo viri, nisi desides, & molles, vehi numquam solebant. Itaque Svetonius de Caligula (f): *interdum adeo segniter, & delicate incessit, ut octophoro veheretur.*

Sed & aliud erat gestatorii genus tum viris, tum mulieribus, *Sella*, quae alia certe a lectica, cum Martialis utramque distinguat (g):

Lecticam, sellamque sequar, nec ferre recuso.

Diversam tamen aliquo pacto fuisse muliebrem sellam a virili, indicat satis Tranquillus, qui de Othone ait (h): *tunc abditus propere muliebri sella.* Laxioribus certe, & ornatioribus sellis oblectatas matronas locupletiores, liquet ex Seneca, & quam quaterni, ac seni gestarent homines, cum viri, & tenuiores foeminae arcta, & minutula contentae essent, quam duo tantum ferrent. Ita Seneca (i): *quam refert, quantum habeat, quot lecticarios, quam laxam sellam.* A lectica sella differebat, quod sella ita erat compacta, ut sedentes gestarentur, ideoque in sella nullus pulvinus, sed capiti reclinando tantum cervical.

Ut

(a) *ann. l. 12. cap. 9.* (b) *l. c.* (c) *Juven. sat. 3. v. 242.* (d) *Id. sat. 6. v. 351.* (e) *Juv. sat. 6. v. 477* (f) *Caj. cap. 43.* (g) *l. 10. epigr. 10.* (h) *Oth. cap. 6.* (i) *de Tranq. Vit. l. 2. c. 16.*

Ut ſpectet ludos, conducit Ogulnia veſtem,
Conducit comites, ſellam, cervical (a).

Cœterum & ſellæ aliæ apertæ, aliæ clauſæ erant, clauſiſque mulieres, ſaltem verecundiores utebantur.

Oſtendit vacuam, & clauſam pro conjuge ſellam (b).

Tertullianus propterea lecticis, ac ſellis ait (c), *in publico quoque domeſticas, ac ſecretas habitas*. Integrum locum dabo infra.

Deferebantur in theatrum, ac circum matronæ ſella minutula, atque in ea ſedentes ſpectabant. Calphurnius (d)

Venimus ad ſedes, ubi pulla ſordida veſte
Inter fœmineas ſpectabat turba cathedras.

Cathedræ enim appellatæ etiam ſunt hujuſmodi ſellæ muliebres. Ita Martialis (e):

Inter fœmineas tota qui luce cathedras.

His etiam in ludum delatas puellas, ac in iis ſedentes doctorem audiiſſe, credi poteſt ex illo Horatii (f):

Diſcipularum inter jubeo plorare cathedras.

Sic etiam ſervi ad ſellam cathedralicii dicti ſunt. Martialis (g).

Cum cathedralicios portet tibi rheda miniſtros,

quod tamen alii aliter interpretantur. Digniorem fuiſſe ſellam lectica, Lipſius (h), a quo exſcripſimus, quæ de lectica, ac ſella allata ſunt, arbitratur, eique libenter aſſentior ea potiſſimum de cauſa, quod magis decuiſſe matronalem gravitatem mihi videtur, ſedentes, quam jacentes, ſupinaſque geſtari. Ideo poſt inventas ſellas, paulatim lecticarum uſum deſiiſſe puto. Sellas autem non in collum attollebant ſervi, ſed manibus geſtabant, qui ex eunuchis erant, poſt quam frequentiores hi eſſe in matronarum familia cœpere. Utrumque probant Divi Hieronymi verba (i): *fœmina nobilis, quæ prius eunuchorum manibus portabatur.*

Probroſas fœminas uſu pedum a matronis ſemper diſtinctas, affirmare non dubito, quamquam dicturus minime ſum, ita matronis vetitum ambulare, quemadmodum vehi meretriculis. Ovidius utrumque uſitatum matronis, videtur ſignificare cum ait (k).

Interea ſive illa toro reſupina feretur;
Lecticam dominæ diſſimulanter adi:
Sive vagis illi pedibus ſpatioſa teretur
Porticus; hic ſocias tu quoque junge moras.

Plautus etiam matronarum eſſe inquit (l):

ut

(a) *Juv. ſat. 6. v.* 352. (b) *id. ſat.* 1. *v.* 124. (c) *de pall. c.* 4. (d) *eclog.* 7. *v.* 26. (e) *l.* 3. *epigr.* 63. (f) *l.* 1. *ſat.* 10. *v* 91. (g) *l.* 10. *epigr.* 13. (h) *l. c.* (i) *Epiſt.* 86. *alias* 27. (k) *l.* 1. *de Art. v.* 486. (l) *Stich. act.* 1. *ſc.* 2. *v.* 56.

— ut per urbem eum ambulent,
Omnibus os obturent.

Ex satirico autem satis liquido apparet, minus locupletes matronas pedibus incessisse, cum locupletiores vehi lectica solerent (a):

Jamque eadem summis minimisque libido est,
Nec melior, pedibus silicem quæ conterit atrum,
Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum.

Sed meretricibus assero, perpetuum fuisse pedibus ingredi, neque aliter permissum, cum clare senatusconsultum matronis tantum, ut supra innuimus ex Livii auctoritate (b), carpentum indulserit. Sed præterea constare id puto ex Plauto, qui cum tot sæpe enumeret, quibus quærendis amatores suos hujusmodi harpyiæ despoliabant, nullum unquam verbum de aliquo vehiculi genere facit, contra vero vehicula inter matronarum supellectilem recenset.

Post inventas lecticas pariter inter ea, quæ ad matronas aditum furtivis amatoribus intercluderent, meminit Horatius lecticæ (c):

Custodes, lectica, ciniflones, parasitæ,
Ad talos stola demissa, & circumdata palla.

Idem sentit Tertullianus loco statim laudando, unde ego tam propriam matronarum lecticam puto, quam stolam, & pallam. Neque te moveat, quod scortillum quoddam sibi ad lecticam homines commodari postulat a Catullo (d):

Quæso, inquit, mihi, mi catulle, paulum
Istos commodita; volo ad Serapin
Ferri mane. ————————

Etenim si utendos ab aliis petit, illi neque lecticarii erant, neque lectica. Præterea serapidis templum extra urbem erat, ut Lipsius (e) admonet, neque extra urbem diffitebitur ullus, nullo discrimine omnium ordinum fœminis lecticas in usu. Concursante etiam M. Antonio Italiæ municipia, *aperta lectica (f) mima ejus amica portabatur*, quam tamen impudentiam in urbe ostentare ausam, minime legimus. Verum inclinata in dies magis disciplina, tardius aliquanto, at consuevere tamen & hujusmodi pestes per urbem lecticis ferri, ideoque, Svetonio teste (g), Domitianus usum lecticarum probrosis fœminis ademit. Sed suis temporibus queritur Tertullianus (h), cum cœteris matronalis dignitatis insignibus usum quoque lecticæ, ac sellæ a matronis dimissum, ut facilius ab amatoribus possent adiri. *Indices, & custodes dignitatis habitus, ut lenocinii factitandi*

(a) *Juven. sat. 6. v. 349.* (b) *l. 5. c. 25.* (c) *l. 1. sat. 2. v. 98.* (d) *car. 10. v. 25.* (e) *l. c.* (f) *Cic. Philipp. 2. c. 58.* (g) *Domit. c. 8.* (h) *de pall. c. 4.*

di impedimenta, sedulo quædam desuefecerant. At nunc in semetipsas lenocinando, quo planitus adeantur, & stolam, & supparum, & crepidulum, & caliendrum, ipsas quoque jam lecticas & sellas, queis in publico quoque domesticæ, ac secretæ habebantur, ejuravere.

Ubi vero de meretricibus est sermo, cum sellam audis, gestatoriam sellam, cavesis, intelligas. Meretricum enim sella ea est, cui insidebant diobolares, ac vilissimæ ante fornices, quæ sicut prostibulæ dictæ sunt, quod ante stabulum starent, ita etiam *sellariæ, aut prosedæ* a Plauto, quod ibi etiam sedere solerent (a),

Quæ tibi oleant stabulum, statumque, sellam, & sessibulum merum.

C A P U T IX.

Pedisequæ. Amicæ in matronarum comitatu. Servi, & ancillæ fœminis ad varia officia. Favea.

HOC Romæ fœminarum omnium proprium, nec matronarum, & virginum tantum, sed meretricularum etiam fuit, ut nunquam sine pedisequis in publicum prodirent. Terentianus senex (b):

——— accedo ad pedisequas,

Glicerii nempe. Anus Plautina de novo amatore (c):

Volt placere sese amicæ, volt mihi, volt pedisequæ.

Quæ infami mercimonio ditiores, eæ servulos, & ancillas plures domi alebant:

——— quot ancillæ sunt jam?
Quine etiam super adducas, quæ mihi comedint cibum? (d)

& cum plurium comitatu foras prodibant:

Minime mirum: adeo impeditæ sunt: ancillarum gregem
Ducunt secum. (e)

Quæ pauperiores unam alebant ancillam. Antiphilæ illi (f)

——— una ancillula
Erat: ea texebat una pannis obsita.

Unam etiam contentæ pedisequa domo exibant, qualem se simulabat meretrix illa Augusta (g)

—— comite ancilla non amplius una.

Una etiam mediocres matronæ pedisequa contentæ, quæ tamen non adeo eleganti forma, quamque ipso oris, corporisque habitu facile

S a pro-

(a) *Plaut. Pœn. act. 1 sc. 2. v. 56.* (b) *Andr. act. 1. sc. 1. v. 96.* (c) *Asin. act. 1. sc. 3. v. 31.* (d) *Plaut Trucul. act. 2 sc. 6. v. 52.* (e) *Terent. Heautonim. act. 2. sc. 3. v. 4.* (f) *Terent. ibid. v. 52.* (g) *Juv. sat. 6. v. 119.*

a procacibus procacis heræ ancillulis dignosceres. Ita Domipho apud Plautum de ancilla, quæ nimis eleganti forma (a):

De: *Neque illa matrem satis honeste tuam sequi poterit comes,*
Neque sinam. Ch: *qui vero?* De: *quia illa forma matrem familias*
Flagitium sit, si sequatur,

ac paulo post: (b)

—— ego emero matri tuæ
Ancillam viraginem aliquam non malam forma mala,
Ut matrem addecet familias, aut Syram, aut Ægyptiam.

De hoc multo magis insequentibus temporibus sollicitæ fuere Christianæ fœminæ, ideoque Demetriadi suæ divus Hieronymus: (c) *eunuchorum tibi, & puellarum, ac servulorum mores magis eligantur, quam vultuum elegantia*. Etenim ut idem alibi ait: (d) *animus dominarum ex ancillarum habitu judicatur*. Id certum est, nullam unquam sine comite prodire solitam, idque cujusque ordinis matronis ita religiosum fuisse, ut Ulpianus testetur, non levem injuriam matronis fieri ab iis, qui comites earum abducunt. Propterea Alcmena apud Comicum (e):

Jubere mi ire comites. —— si non jubes,
Ibo egomet, comitem Pudicitiam duxero.

Verum illæ, quæ divitias, fortunasque suas ostentare vellent, servorum, ancillarumque agmen secum trahebant, ut quoties prodirent, castra (f) *moveri* vere crederes, adeo *magno tumultu* ingrediebantur. Sanctus Hieronymus etiam hujusmodi comitatum exercitum appellat (g): *noli in publicum procedere spadonum exercitu præeunte*. Singularis itaque Plotinæ Augustæ laus fuit, quod *parca comitatu* (h) *cum silentio incederet*.

Nec servi solum & servæ prodeuntes locupletiores fœminas sequebantur, sed etiam *amicæ*, quas tenuiores e plebe matronas fuisse, puto. Ideo Juvenalis (i):

Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, sellam, cervical, amicas

Item Martialis (k):

Omnes aut vetulas habes amicas,
Aut turpes, vetulisque fœdiores:
Has ducis comites, trahisque tecum
Per convivia, porticus, theatra.

Cum

(a) *Merc. act.2 sc. 3. v.96.* (b) *v.79.* (c) *epist. 97. alias* 8. (d) *epist. 47. alias* 10. (e) *Amphit act.3. sc.2. v.48.* (f) *Juv. sat.6. v.419.* (g) *epist.47. alias* 10. (h) *Plin. pan. c.83.* (i) *sat.6. v.352.* (k) *l.8. epigr. 79.*

Cum autem Horatius in matronarum comitatu, & *parasitas* videatur enumerare (a):

Custodes, lectica, ciniflones, parasitæ,

has ego crediderim non alias esse, quam quas alii vocant amicas. Sicut enim clientuli principes viros, ita e plebe matronas honestas quidem, sed tenuiores fuisse puto, quæ principes fœminas in publicum deducerent, domumque reducerent, idque cibariorum spe, ideoque *parasitæ* dictæ a poeta, quibus non sportula, sed recta cœna forsan dabatur. Eunuchi qui posterioribus temporibus frequentissimi in familia, ac comitatu matronarum, ut ex multis Sancti Hieronymi locis colligitur (b), rariores aliquando fuere, ac non nisi opulentissimarum. Terentius (c):

—— *eunuchum porro dixti velle te,*
Quia solæ utuntur his reginæ: repperi.

Cum autem tantus esset Romanis divitibus servorum numerus, ut Pedanio Secundo quadringentos, Tacitus (d), Plinius (e) C. Cæcilio Claudio Isidoro servorum quatuor millia centum sedecim, alicui ad viginti millia aliqui tribuant, quot servos, quot ancillas uni dominæ operam impendisse credis? Singulis singulos servos, aut ancillas muneribus, vel potius deliciis, & ineptiis præpositas, disces ex inscriptionibus, ubi sæpe servæ *ornatricis*, *sarcinatricis*, *a mundo muliebri*, *a catella* etiam occurrit mentio. Sed cui rei non peculiaris servus, aut ancilla ob heræ delicias destinata? Omitto rudiores, & deformiores, quæ ad textrinam, quæ ad totius familiæ bonum procurandum, ædes verrendo, cibum coquendo, ligna cædendo, ceteraque laboriosa opera edendo adigebantur, earum, eorumque, qui luxui, ac deliciis unius dominæ inserviebant, accipe aliquorum nomina ex Plauto (f):

Vestipicæ, unctor, auricustos, flabelliferæ, sandaligerulæ,
Cantrices, cistellatrices, nuncii, renuncii.

Quin etiam hominum monstra aliquibus in deliciis: (g)

Non ne, ubi mihi dixti, cupere te ex Æthiopia
Ancillulam.

Inter tot ancillas semper etiam aliqua fuit, quæ honestius a domina habita, mentis, & consiliorum ejus, ac, si opus esset, flagitiorum, conscia erat. Hujusmodi ancillam volebat videri habere se Ogulnia illa, ideoque eleganti forma, & rutilis capillis conduxerat

(a) *lib. 1. sat. 2. v. 98* (b) *ep. 97. alias* 8. 47. *al.* 10. 18. *al.* 22. 86. *al.* 27. (c) *Eunuch. act* 1. *sc.* 2. *v.* 87. (d) *l.* 14. *ann. c.* 43. (e) *l.* 33. *c.* 10. (f) *Trinum. act.* 2. *sc.* 1. *v.* 21, (g) *Terent. Eunuch. act.* 1. *sc.* 2. *v.* 60.

— *flavam, cui dei mandata, puellam* (a).

Nisi hic mavis cum aliquibus legere *Faveam*, namque ajunt hujusmodi elegantes ancillulas *Fabias*, alii *Faveas* appellatas, credo, quia eis præ cæteris heræ favebant. Glofs. *Favea* παιδίσκα: Faveus παῖς. Ideo Scaliger Plauti locum dubiæ sanitatis ita legit (b):

Quasique hunc annulum Faveæ suæ dederit,

quæ tamen lectio omnibus nequaquam arrisit.

CAPUT X.

Mulierum munditiæ. Fœminarum luxui fræna nequidquam sæpius injecta.

Venio nunc ad munditias, cultumque muliebrem, cujus omni ætate magna curiositas, sequioribus sæculis modum omnem, & fidem excessit. Mulierum ingenio, & maritorum indulgentiæ id ascribendum. Illæ rebus omnibus cum privatis, tum publicis agendis parum idoneæ cæteris omnibus ornatum corporis prævertere. *Non magistratus*, ait Livius (c), *nec sacerdotia, nec dona, aut spolia bellica his contingere possunt. Munditiæ, & ornatus, & cultus hæc fœminarum insignia sunt: his gaudent, & gloriantur, hunc mundum muliebrem appellarunt majores nostri*. Mariti, ut quid esset, quod imputare iis possent, ac ad cætera morigeras, dicto audientes, præsertim vero fidei servantissimas haberent, obsequentes se his uxorum studiis præstare maluerunt. *Ut non tristis*, Valerius Maximus inquit (d), *earum, & horrida pudicitia, sed honesto comitatis genere temperata esset, indulgentibus maritis, & auro abundanti, & multa purpura usæ sunt, & quo formam concinniorem efficerent, summa cum diligentia capillos cinere rutilarunt*. Amænioris cultus curiositas cæpit itaque cum Romanarum fœminarum pudicitia, ut non dubitem, omnium primas, hoc est ipsas Sabinas, initio urbis ad propagandam sobolem raptas, prout ea ætas tulit, in sese ornandis diligentia aliqua usas, & mundiusculas suo more extitisse. Imo cum alia multa raptis illis primos Romanos, ad patriæ, parentumque desiderium levandum, injuriæque dolorem minuendum, indulsisse certum sit, hoc quoque statim permisisse puto, ut quam scite possent colerentur. Ad Coriolani tamen tempora majoris luxuriæ originem refer. Tunc enim, teste Valerio Maximo (e), *Senatus matronarum ordinem benignissimis decretis ador-*

(a) *Juven. sat.* 6. *v.* 354. (b) *Mil. act.* 3. *sc.* 1. *v.* 202. (c) *lib.* 34. *cap.* 7. (d) *l.* 2. *c.* 1.
(e) *l.* 5. *c.* 2.

adornavit. *Namque vetustis aurium* (ciinium emendat Lipsius, ut infra dicemus) *insignibus novum vittæ discrimen adjecit : permisit quoque bis purpurea veste, & aureis uti segmentis*. Hinc paulatim crevit licentia. Captis a Camillo Veiis plurimo matronæ auro abundasse dicendæ sunt, cum tantum in publicum ærarium detulerint (a), quanto urbis, agrique Vejentani decima pars æstimata erat. Neque totum exhaustum credas. Paulo etiam post redempturi sese a Gallis Romani, *cum in publico deesset aurum* (b) *quo summa pactæ mercedis Gallis conferet, a matronis collatum acceperunt, ut sacro auro abstineretur?* Sub bellum punicum secundum, quam excrevisset mulierum luxus, cum ex multis Plauti locis colligi potest, tum præcipue ex eo, ubi artificum recensio fit, qui aut concinnandis, aut inficiendis vario colore earum vestibus, ac mundo muliebri instruendo operam locabant. (c)

Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius,
Caupones, petagiarii, indusiarii,
Flammearii, violarii, carinarii,
Aut manulearii, aut murrhobathrarii,
Propolæ, linteones, calceolarii,
Sedentarii sutores, diabathrarii,
Solearii astant, astant molochinarii,
Petunt fullones, sarcinatores petunt.
Trecenti cum stant phylacistæ in atriis
Textores, limbolarii, arcularii ducuntur: datur
Æs. jam hosce absolutos censeas,
Cum incedunt infectores crocotarii;
Aut aliqua mala crux semper est, quæ aliquid petat.

Quænam fuerit singulorum ars, pete a Plauti interpretibus, quorum alii aliter divinant. Id in plano est, poetam his sumptus, & rei familiaris dispendia significare, quibus matronarum ornatus stabat.

Neque nullo inter se singularum certamine coli solebant matronæ Romanæ, quin ne meretriculæ quidem. Plautus (d):

Satis nunc lepide ornatam credo, soror, te tibi viderier:
Sed ubi exempla conferrentur meretricum aliarum, ibi tibi
Erit cordolium, siquam ornatam melius fore conspexeris.

Hanc fœminis naturalem æmulationem significavit etiam Cato, cum pro Oppia lege diceret (e). Ideo, quæ ob egestatem ornamenta sibi

(a) *Liv. l.5. c.25.* (b) *Id. l.5. c.50.* (c) *Aulul. act.3. sc.5. v.34.* (d) *Pan. act.1. sc.2. v.84.* (e) *Liv. l.34. c.4.*

bi parare non poterant, ne minus quam aliæ spectarentur, aut minoris essent, ea illæ certo pretio in singulos, vel plures dies conducebant. Matronas etiam loquor, qualis Ogulnia (a), de qua alibi mentio fuit. Mulieres autem illas, quæ mundum muliebrem accepto pretio locabant, dictas *Lavinias*, aliqui putant, ducti quodam Plautino versu (b), qui tamen aliis desperatæ sanitatis videtur, unde tamen illis hoc nomen inditum, non satis explicant.

Ut ad tributa omnes promptiores essent, cum modus supervacuis sumptibus imponendus videretur, ardente bello punico, C. Oppius Tribunus plebis, Q. Fabio, Tib. Sempronio Coss. legem tulit (c), *ne qua mulier plus semuncia auri haberet: neu vestimento versicolore uteretur*. Anno post vicesimo, annitentibus summa animi contentione matronis, & populi suffragia eblandientibus, abrogata lex fuit. Post Philippum regem Macedoniæ devictum, ac præcipue post Manlii triumphum de Gallis, qui Asiam incolebant, *ab exercitu asiatico peregrinæ luxuriæ origine in urbem invecta* (d), sine lege, & sine modo vires sumpsit insita hæc mulieribus curiositas, *quas & imbecillitas mentis*, ut inquit Valerius Maximus (e), *& graviorum operum negata affectatio omne studium ad curiosorem sui cultum hortatur conferre*. Prudenti itaque consilio Cato, cum censuram gereret, cohibere mulierum, totiusque civitatis luxum conatus est. *Ornamenta enim* (f), *& vestem muliebrem, & vehicula, quæ pluris quam quindecim millium æris essent, in censum referre viatores jussit*, proque iis omnibus *ternos in millia æris attribuit*, hoc est tributi nomine pendi jussit. Aliquando etiam huic tanto malo, tantisque virorum dispendiis de frænis injiciendis & sub Imperatoribus (g) actum est. Sed frustra semper fuit licentiam, quæ immensum proruperat, velle revocare.

Quoniam vero hunc ludum ludimus, atque in iis inaniis laboramus, singulas mulierum arculas, & pixides, quantum fieri poterit, perscrutemur, ac universum mundum muliebrem excutiamus. Primo de vestibus, tum de auro, & gemmis, deinde de ornatu capitis, denique de fingendæ venustatis arte differemus.

CA-

(a) *Juven. sat* 6. *v.* 302. (b) *Truc. act.* 2. *sc* 2. *v.* 20. (c) *Liv. l.* 34. *c.* 1. (d) *Liv. l.* 39. *c.* 6. (e) *l.* 9. *c.* 3. (f) *Liv.* l. 39. *c.* 44. (g) *Tac. ann. l.* 3. *c.* 21.

CAPUT XI.

De vestibus mulierum. Prætexta puellarum, matronarum stola, & palla, toga meretricum.

ANtiquissimis temporibus toga communiter usos Romæ mares, ac fœminas, nemo jam negat. Tunc vero honestiores matronas in prætexta incessisse, Ferrarius (a) probabile putat, videturque affirmare Festus: *togam, qua mulieres utebantur, prætextam clavo aureo*. Quamquam autem deinde marium propria facta est toga; utriusque tamen sexus puerilem ætatem prætexta honestari, & sacram velut esse, voluerunt. Pueros in prætexta incessisse, non est cur probem, puellas autem quoque prætextatas fuisse, probat locus ille Ciceronis (b): *eripies igitur pupillæ togam prætextam?* Luculentius etiam illud Propertii (c):

Mox ubi jam facibus cessit prætexta maritis.

Prætexta itaque vestis erat innuptarum tantummodo, cum nuptæ, toga deposita, *stolam* sumerent, ac *pallam*, quæ matronales vestes fuere.

Principio quidem unam tantum tunicam gestarunt mares, fœminæque, mox duas habere cœperunt. Interior altera brevior, & corpori propius adhærens, quæ ideo minime cingebatur, *subucula* appellata est, quæ marium erat, *intusium*, aliis *indusium*, quæ fœminarum. Subuculæ tunicam mares, intusio fœminæ stolam superinducebant. Stolæ autem jus nulli prorsus, nisi matronis, ut proinde stolæ nomine, tamquam proprio insigni, matrona, & matronarum ordo significetur. Valerius Maximus (d): *confessus plus salutis reipublicæ in stola, quam in armis fuisse*, nec non alibi (e): *te custode* (Pudicitia) *matronalis stola censetur*.

Erat stola tunica longior, quæ ad plantas flueret, Horatius ideo (f):

Ad talos stola demissa,

atque ultra humerum per bracchia tota ad manus manicis pertineret. Effœminatos hinc Cicero (g) significat asseclas Catilinæ, quod *manicatis, ac talaribus tunicis essent*. Credo, ut ad opus expeditos sese ostenderent, brevibus tunicis, & citra humerum desinentibus initio uti viros cœpisse, fœminas autem, ut pote inertes, manuleatis tu-

(a) *de Re Vest. p. p. l. 1. c. 25.* (b) *in Verr. l. 1. c. 113.* (c) *l. 4. eleg. 11. v. 33.* (d) *l. 5. c. 2.* (e) *l. 6. c. 1.* (f) *l. 1. sat. 2. v. 99.* (g) *Catilin. 2. c. 22.*

tunicis, ac talaribus impediri, pro nihilo habuisse. A. Gellius pudori, ac pudicitiæ inventum hoc tribuit (a): *fœminis solis vestem longe, lateque diffusam decorum existimaverunt, ad ulnas, cruraque adversus oculos protegenda*. Hoc certe præstitit stola, ut a facie ad imos pedes indutæ matronæ, ac tectæ essent, ac propterea Horatius (b):

Matronæ præter faciem nil cernere possis.

Quamquam aliquando aliqua non defuit, quæ breviusculo vestitu impudentius uteretur, cujusmodi Catia illa, quæ Horatii tempore una videtur id sibi licentiæ sumpsisse.

Matronæ præter faciem nil cernere possis,
Cætera, ni Catia est, demissa veste tegentis.

Stolæ manicæ consui ab humeris ad manus solebant, ad luxum vero aliquæ, ut ex Æliano doctissimus Ferrarius refert (c), fibulis aureis potius, aut argenteis nectebant, & constringebant.

Ad extremam stolæ oram adsuta erat instita, seu limbus, aut fascia, quæ stolam ipsam honestabat, & fortasse ne plicis implicaretur pedibus, impediebat. Horatius (d):

— *talos subsuta tegit instita veste.*

Unde apparet, stolam subsutam institæ, non institam stolæ, ut putarunt aliqui.

De stolæ colore, ac segmentis aureis mox, nunc de *palla*, quam præcinctæ zona stolæ superne injiciebant matronæ, sicut tunicæ viri togam. Hinc liquet, falsum esse Anselmum Solerium tractatu de Pileo (e), cum ait, Romanas fœminas stola caput operuisse. Neque enim vestis ad medium præcincta, aliisque subjecta revocari in caput poterat. Deceptus autem Solerius fuit ab Isidoro, quem patet, cum stolam definit (f), *matronale operimentem, quod cooperto capite, & scapula a dextro latere in lævum humerum mittitur*, patet, inquam, stolam a palla minime distinxisse. Sed de capitis operimentis suo loco. Palla autem erat pallium muliebre, cujus partem in humerum sinistrum rejiciebant, alteram sinistro bracchio subducebant.

Aliquando vero non pallam stolæ superimponebant, sed *amiculum*. Certum est autem amiculum genus fuisse pallii, siquidem Cicero, quod prius amiculum dixerat, pallium deinde vocat (g): *Alcibiades paulo ante interitum visus est in somnis amicæ esse amictus amiculo. Is cum esset projectus inhumatus, ab omnibusque desertus jaceret: amica corpus ejus texit suo pallio*. Ideo & virorum amiculum fuit apud Græ-

(a) *l.7. c.12* (b) *l.1. sat 3. v.94.* (c) *p.p. l.3 c.17.* (d) *ibid. v.29.* (e) *c.6.* (f) *Or. l.19. c.24.* (g) *de divin. l.2. c.143.*

Græcos, ſiquidem Nepos de Cimone (a): *cum aliquem offenſum fortuna, videret minus bene veſtitum, ſuum amiculum dedit*. Flammeum etiam quo nova nupta velabatur, quod Feſtus modo veſtem (b), modo veſtimentum (c) generice vocat, amiculi nomine alibi ſignificat (d): *Corollam nova nupta de floribus, verbenis, herbiſque a ſe lectis ſub amiculo ferebat*. Præterea amiculum pallium quoddam fuiſſe, liquet, eo quod niſi ſuſtineretur, fluebat, ac trahebatur. Plautus (e):

Gy: *Amiculum hoc ſuſtolle ſaltem:* Si: *ſine trahi, cum egomet trahor*, atque alibi (f):

——— *age ſuſtolle hoc amiculum*.

Aut igitur palla, aut amiculo pro libito induebantur. Neque aliud fuiſſe puto inter pallam, & amiculum diſcrimen, quam quod fatetur etiam Ferrarius (g), nempe quod amiculum palla brevius, ſeu pallium erat breve. Iſidorus (h) *amiculum* dicit, eſſe *meretricium pallium lineum*. Falſiſſime. Namque conſtat ex Livio, cujus loca infra adducam, non ſolum matronas Romanas (i), ſed & reginas (k) amiculum geſtaſſe.

Hæc matronarum indumenta, neque alia novimus. Sic enim cum ſtola, & palla, ſive amiculo honeſtæ omnes mulieres incedebant, nam de meretriculis nondum ſermo, quæ quidem pauperrimæ non erant. Sicut enim homines ingenui fuere Romæ, qui quod togæ emendæ non erant, tunicati tantum incedebant; ita etiam e fœminis ingenuis, & honeſtis, quæ pallam ſibi parare non poterant, ſtolatæ incedebant, cum tunica ſcilicet tantum matronali, hoc eſt talari, & manicata. Dubium tamen aliquod Ferrarius injecerat de paupercularum ſtola. Cum enim ille quemdam Plinii locum interpretaretur, ſtolam minime conceſſiſſe honeſtis e plebe mulierculis, mihi videtur. Ita Plinius (l): *Etiam ne pedibus induitur* (aurum) *atque inter ſtolam, plebemque, hunc medium fœminarum equeſtrem ordinem facit*. Ad hæc Ferrarius (m): *quemadmodum in viris aurum in annulis diſtinguebat a Curia, & a plebejo ordine equites, atque medium ordinem faciebat; ita in mulieribus aurum periſcelio, compedeque geſtatum diſtinguebat libertinas a ſtola, id eſt matronis honeſtis, & a plebe inope, ſicque veluti medium quemdam equeſtrem fœminarum ordinem faciebat*. Hinc poteſt colligi, putare Ferrarium aut in plebe inope nullam honeſtam, aut honeſtam aliquam ſine ſtola. Neutrum autem dicendum videtur. Honeſtatis enim curam & pauperibus fuiſſe, probat ſatis Phanium Terentiana (n). Quid ergo hæ inducæ?

T. Togam?

(a) *in Cim.* (b) *l.* 3. (c) *l.* 6. (d) *l.* 3. (e) *Ciſtell act* 1. *ſc.* 1. *v* 117 (f) *Pæn. act* 1. *ſc.* 2. *v.* 136. (g) *ibid l.* 3 *c.* 19. (h) *l. c.* (i) *l.* 34. *cap.* 7. (k) *l.* 27. *cap.* 4. (l) *l.* 33 *c.* 3. (m) *pp l.* 3. *c.* 17. (n) *Phorm. act.* 1. *ſc.* 2. *v.* 63.

Togam? tunicam virilem? ancillarem? Quod perisceliis carerent, hoc solo a meretricibus discernebantur? Nequaquam, si honestæ erant. Quare probo quidem satis acutam, quaque meliorem nemo attulit, Ferranii interpretationem, sed puto Plinio, dum frigidiuscule hic argutatur, plebem, quam stolæ opponit, inopes, & diobolares meretriculas esse, ideoque optime dictum, stolam primum mulierum ordinem, ac velut senatorium, nuptarum scilicet, & matronarum constituere, periscelia divitum libertinarum alterum ordinem, ac velut equestrem, cum in tertium plebejo similem scortilla, atque id genus mendicabula rejecta essent. Sicut enim viri in Senatum & populum discreti, populus in equites, & plebem; ita fœminæ in stolatas divisæ, ac libertinas, libertinæ in duplicem iterum ordinem, divitum scilicet, quæ aurum pedibus induebant, & pauperum, quibus horum ornamentorum nullum erat.

Quæres nunc, quomodo stolam, & pallam dicamus, fuisse solummodo mulierum vestimenta, cum senex Plautinus tot vestium genera enumeret [a]?

Quid erat induta? an regillam induculam, an mendiculam,
Impluviatam? ut istæ faciunt vestimentis nomina.

deinde: [b]

Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum cæsicium
Indusiatam, patagiatam, caltulam, aut crocotulam,
Supparum, aut subminiam, ricam, basilicum, aut exoticum,
Cumatile, aut plumatile, cerinum, aut melinum. gerræ maxumæ.
Cani quoque etiam ademptum est nomen. Ep: *qui?* Pe: *vocant Laconicum.*

Singularum vocum interpretationem invenies apud Nonium: id scias nunc, non hæc esse nova vestium genera, sed nova nomina, quod idem senex etiam indicat [c]:

—vesti quotannis nomina inveniunt nova.

Ajo itaque, singulis his nominibus sive tunicam, sive pallam semper significari, variam tamen alteram ab altera, seu colore, seu materia, seu texturæ artificio, seu forma etiam, & figura, quæ tamen omnes, cum ex tunicarum genere erant, manicas haberent, & ad talos demitterentur, quod solum muliebres tunicas a virilibus, & matronales a meretriciis, & ancillaribus distinguebat; ac ad pallii muliebris genus referrentur, si vestes erant exteriores. Idem judicium esto de *cois*, *tyriis*, *sericis*, *byssinis*, aliisque, quæ non genus aliud vestium, sed harum, quas memoravimus, aliam materiam, alium colorem significant.

Sed

[a] *Epid. act. 2. sc. 2. v. 39.* [b] *v. 46.* [c] *v. 45.*

Sed jam de stolæ, ac pallæ colore dicendum est. Putat Ferrarius (a), stolas tyrias fuisse, hoc est purpureas, ac auro segmentatas. Certum est, matronas Romanas purpura usas, ac vel tum ab exorato Coriolano, ut supra vidimus, senatus Consulto, matronis indultum, ut purpureis vestibus, aureisque segmentis uterentur. Sed si licet, quod sentio, in medium proferre, cum purpura ipsis indulta dicitur, cum vetita, cum in tyriis incessisse matronæ dicuntut, crediderim potius, purpuream fuisse pallam, quam stolam, idemque de segmentis ajo, pallæ potius ea fuisse, quam stolæ. Quoad purpuram primum, quæ me movent, hæc sunt. Romæ præcipue usos purpura viros legimus in veste exteriore, toga scilicet prætexta, toga picta, trabea, deinde etiam, crescente luxu, lacernis, & abollis. Martialis (b)

Ut lutulenta linat tyrias mihi mula lacernas.

Seneca (c): *lacernas improbi coloris*, purpurei scilicet, ut interpretantur. De abolla Svetonius (d): *convertisse hominum oculos fulgore purpureæ abollæ.* Toga etiam tota ex purpura regum fuit. Masanissæ enim refert Livius (e) *togam purpuream, & palmatam tunicam*, ac Ptolomæo (f) *togam, & tunicam purpuream* a Senatu missa. Ferrarius ipse civium Romanorum tunicas ex purpura non fuisse, ostendit (g) contra Manutium. Quis credat igitur fœminas beatiores pretiosius interius, quam exterius ornari voluisse, cum secus viri facerent? Ne ipse credam facit etiam, quod in comœdiis, ex quibus privatæ vitæ consuetudines præcipue elucent, video a fœminis magni factam pallam, tunicæ vero, quocumque nomine, & cujuscumque generis sit, vix mentionem fieri. Pallam uxoribus præbendo mariti, amicis amatores commendantur. Sed aliquid, quod non tantum conjectura sit, videtur mihi posse colligi ex Valerii verbis, matronarum causam contra legem Oppiam tuentis (h): *matrem familiæ tuam purpureum amiculum habere non sines?* Ubi apparet, amiculi potius, quam pallæ, vel utriusque simul, nam utraque exterior vestis, ut supra vidimus, mentionem usurpatam oratorio artificio, ut cum brevius sit palla amiculum, ipsa rei diminutione major confletur in adversarios invidia. Sed alibi etiam Livius, *amiculum purpureum* (i) Cleopatra Senatu dono missum, refert. Quid aliud autem objicit Cicero Verri, quam mores effœminatos vestitumque muliebrem? (k) *Stetit soleatus Prætor P. R. cum pallio purpureo, tunicaque talari.* Sed sit multorum testium instar Tibullus (l):

(a) *ibid. c.* 17. (b) *l.* 9. *epigr.* 23 (c) *Epist.* 114. (d) *Cajo c.* 35. (e) *l.* 31. *c.* 11. (f) *l.* 24 *c.* 4. (g) *Ibid. c.* 10. (h) *Liv. l.* 34. *c.* 7. (i) *l.* 27. *cap.* 4. (k) *in Verr. l.* 5. *c* 86. (l) *l.* 4. *carm.* 2. *v.* 11.

Urit, seu tyria voluit procedere palla.

Ergo in tyria palla Romanæ matronæ, eaque aureis *segmentis* ornata:

——— pallam signis, auroque rigentem (a).

Cum enim purpuræ ornamenta addenda essent, ex quo alio adderentur, quam auro? segmenta, & purpuram conjungit Ovidius (b):

——— Non vos, segmenta, requiro,

Nec quæ bis tyrio murice, lana, rubes.

Hæc autem segmenta particulæ erant ac limbi ex auro, quibus aut opere Phrygio insutis, aut opere Alexandrino intextis purpura vermiculatim variegabatur. Hinc palla picta, cujusmodi erat, quæ cum amiculo purpureo Cleopatræ (c) missa fuit. Vide, Phrygionis esse concinnare pallam (d):

Pallam illam, quam dudum dederas, ad Phrigionem ut deferas,

Ut reconcinnetur, atque ut opera addantur, quæ volo.

Stola autem, cujus coloris erat? Ejus, qui singulis gratior esset. Neque cum dixi, pallam purpuream fuisse, excludo stolam itidem purpuream, nam & viris cum purpurea toga purpurea etiam tunica aliquando in usu, regibus præcipue ac triumphantibus, ut mirum non sit, quod eodem ornatu de maritorum patientia vellent etiam fœminæ triumphare. Clavi etiam tunicarum sive lati, sive angusti ex purpura maribus erant. Dubium ideo mihi nullum, quin aliquæ pallam purpuream, & segmentatam nonnumquam stolæ itidem purpureæ, aureisque segmentis præter institam variegatæ superinduxerint. Verum hoc stare volo, cum purpura dicitur fœminis concessa, cum vetita, id de palla potius intelligendum esse, quam de stola. Interdixit autem usum purpuræ primum lex Oppia, qua abrogata nullum ejus gestandæ modum fuisse, puto, donec Cæsar a certis tantum, ac per certos dies gestandam statuit. In desuetudinem tamen hoc etiam abierat, cum Nero eamdem fœminis omnibus interdixit. Nulla ex eo tempore in tyriis fœmina, donec iterum Aurelianus huic sexui usum purpuræ indulsit. Cum vero purpura uti permissum sit semper, nunquam imperatum, omnibus fuisse temporibus aliquas, quæ ab ea gestanda abstinuerint, arbitror, vel quod gestare paupertas prohibebat, vel quod formam, cui præcipue consultum fœminæ volunt, dedecere videbatur, vel quod aliis etiam coloribus uti volebant ad copiam ostentandam. Tibullus loco laudato:

Urit,

(a) *Virg. Æn.* 1. v. 652. (b) *de Art. l.* 3. v. 169. (c) *Liv. l. c.* (d) *Plaut. Men. act.* 2. *sc.* 3. v. 72.

Urit, seu tyria voluit procedere palla,
Urit, seu nivea candida veste venit.
Talis in æterno felix Vertumnus Olympo
Mille habet ornatus, mille decenter habet.

Ovidius (a):

Quot nova terra parit flores, ———
Lana tot, aut plures succos bibit: elige certos,
Nam non conveniens omnibus unus erit.

Meretricibus purpuræ usum interdictum semper, utique in toga, crediderim. Nam Meretrices nec stolam, nec pallam ferebant. De stola dubium erit nemini cum ea matronarum præcipuum insigne fuerit. Pro stola igitur tunica breviori, sine instita, sine manicis, quales virorum erat, utebantur. De palla, & amiculo injiciat nemini suspicionem Plautus. Cum enim ille palliatas doceret, quamvis in cœteris Romanos mores depinxerit, aliter tamen non potuit mulieres suas, sive honestas, sive probrosas ornare, quam palla. Quæ igitur apud Ædiles professæ erant, toga induebantur.

——————————— *quid inter* ——
Est in matrona, ancilla, peccesve togata (b).

Hinc matronæ stupri damnatæ, cum dignitate matronali exciderent, insignia etiam matronalia ponentes, togam sumebant.

——————————— *Corfinia talem*
Non sumet damnata togam (c).

Togis matronas etiam usas in sacrificiis, Ferratius (d) advertit, sed in hoc non immoror.

Alia etiam a toga fuisse meretricum vestis videbatur interpreti cuidam Martialis, nimirum *palliolum*. Ad illud enim poetæ: (e)

Hanc volo, quæ facilis, quæ palliolata vagetur,

non togata, ait, *non stolata, sed ancillari habitu vestita*. Sciendum est tamen, quæ *palliolatæ* incedebant, non minus togatas fuisse, quam cœteræ. *Palliolum* namque erat tantummodo capitis tegmen, ideoque cum toga etiam sumebatur, sicut simul cum prætexta valetudinis causa sumptum a Claudio, Ferrarius ostendit (f). Dicendum itaque, aliquas in toga quidem, sed capite cooperto incessisse, cooperuisse autem caput, vel ne agnoscerentur, vel alia de causa, vilissimas, quod ex allato epigrammate satis patet. Ad hoc vero aliæ palliolo, aliæ cucullo utebantur.

Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos (g).

An-

(a) *de. Art. l. 3. v. 185.* (b) *Hor. l. 1. sat. 2. v. 62.* (c) *Juv. sat. 2. v. 69.* (d) *p. p. l. 1. c 25.* (e) *l. 9. epigr. 33.* (f) *p. p. l. 1. c. 11.* (g) *Juv. sat. 6. v. 118.*

Ancillares vestes, suspicatur sæpe laudatus Ferrarius (a), fuisse tunicas breviores ad medium crus pertinentes, cui nulla instita adsuta, qualis etiam erat meretricum. Inter eas autem discrimen erat, quod meretrices togatæ, ancillæ tunicatæ tantum erant. Contra ipse minime pugno. Adverto tamen, has ancillares tunicas adeo breviculas non fuisse, siquidem Chrysis illa (b) *conlegit altius tunicas, flexitque se in eum daphnona, qui ambulationi hærebat*.

Addenda aliqua adhuc restant de pedum indumentis. Primum dico, non omnino insolitum fuisse fœminis calceos gestare, qui nescio tamen, an ad medium crus pertinerent, ut calcei viriles, ac potius puto, fuisse sandalia superne tecta, quæ aliquando in usu fuisse, refert Balduinus *de calceo* (c). Ovidius (d):

Pes malus in nivea semper celetur aluta.

Alutam autem pro calceo sumit etiam Juvenalis (e), sicut pro eodem Horatius *pellem* (f). Verum est tamen, constatque etiam hoc Ovidii ad eas, quibus pes malus, consilio, vulgo fœminas eo pedum indumento usas, quod superne apertum, ac fenestratum erat, cujusmodi erant *soleæ*, *sandalia*, *phæcasia*, *crepidæ*, & his similia, nomine magis, quam re diversa. Adde etiam *cothurnos*, qui e solearum genere erant, sed altiores, & alto subere sufferti: Nam & cothurnis usas fœminas docet satyricus (g):

——— *breviorque videtur*

Virgine Pygmæa, nullis adiuta cothurnis.

Inter alia vero ea, quæ *sandalia* vocabantur, videntur fuisse majori elegantia, & pretio, cum & diligentius certis repositoriis servarentur, & eorum cura ancillis *sandaligerulis* mandaretur. Hujusmodi muliebria calceamenta, cum superne perforata, & aperta essent, & pedum tantum plantas infime tegerent, vinculis quibusdam, seu teretibus habenis, & obstragulis superiori pedis parti obstringebantur.

Sed præter id genus calceos *soccos* pedibus induisse fœminas, probat Balduinus (h), hisque cum pedes contexissent, tum soleas induxisse. Erant autem socci, ait ipse, *tenues, & humiles, ut non multum pedes impedirent, etiamsi essent superne contecti*, ideoque aliis omnibus calceorum speciebus inseri poterant. Neque ii calceorum virilium instar medio crure tenus extendebantur, sed tantum ad eam partem, qua tibiæ pes conjungitur. Gestasse mulieres soccos, confirmat clarissimus auctor verbis Svetonii (i): *A Messalina petiit, ut sibi præberet*

(a) *ibid. l. 3. v. 23.* (b) *Petron. satir.* (c) *cap. 12.* (d) *lib. 3. de Art. v. 271.* (e) *sat. 7. v. 192.* (f) *lib. 1. sat. 6. v. 28.* (g) *Juv. sat. 6. v. 505.* (h) *c. 16.* (i) *Vitell. c. 2.*

ret pedes excalceandos, detractumque focculum dextrum inter togam, & tunicam gestavit assidue. Insertos autem fuisse eosdem soleis, ideoque sub ipsis pene totos latentes, colligit ex Plinio (a), qui uniones indignatur non solum obstragulis, sed soccusis etiam a mulieribus addi, non alia sane de causa, quam quod socci sub obstragulis laterent. Avorum ætate cum hic Venetiis summates matronæ cothurnos gestabant, sive illos miræ altitudinis, qui trium pedum altitudinem superabant, sine humiliores alios, quos descendentes paulatim ex pegmate illo deinde sumpsere; induebant prius quoddam soccu-lorum genus, commutatis tamen nominibus cothurnos ipsos *zoccoli*, soccos autem, *scarpe alla Romana* vocabant, utrum quod illius temporis Romanæ matronæ, an quod antiquiores illis uterentur, quis divinet? Verum nunc tandem ex cothurnis omnino descendere, quamvis adhuc calcei muliebres paullo altiores sint, quam viriles.

CAPUT XII.

De auro fœminarum. Utrum meretricibus aurum interdictum. Varia ex auro, & gemmis fœminarum ornamenta.

ANtiquissimum Romæ fuit in mundo muliebri aurum, quo etiam in ærarium collato, honores a Senatu matronas meritas, supra vidimus. Quæsiti deinde sunt etiam uniones ad inaures, & monilia, smaragdosque pariter, sardonychas, beryllos, aliasque gemmas ad annulos, ac alia ornamenta. Auri plus semuncia habere lex Oppia aliquando vetuit, sed cito abrogata fuit: pretiosi lapides, *quorum causa*, ajebat ille (b), *pecuniæ nostræ ad externas, aut hostiles gentes transferuntur*, ut prohiberentur, contendere aliqui, Tiberio regnante, sed frustra. Divi Hieronymi ævo præcipuum fuisse gemmis locum in mundo muliebri, apparet ex ejus verbis: (c) *Ut taceam de inaurium pretiis, candore margaritarum rubri maris profunda testantium, smaragdorum virore, cerauniorum flammis, hiacynthorum pelago, ad quæ ardent, & insaniunt studia matronarum.*

Quærit Ferrarius (d), utrum æque togatis ac stolatis auri, ac gemmarum usus esset, & jus. Rem incertam reddunt auctores. Apulejus (e) ex hujusmodi ornamentis matronam agnoscit: *aurum in gemmis, & in tunicis, ibi inflexum hic intextum matronam profecto confite-*

(a) *l. 9. c. 35.* (b) *Tac. ann. lib. 3. cap. 22.* (c) *epist. 97. alias 8.* (d) *p. p. l. 3. c. 24.* (e) *Metam. l. 2.*

fitebantur. Horatius (a) smaragdos, & uniones solis matronis tribuit:

Nec magis huic (matronæ *) inter niveos, viridesque lapillos.*

Juvenalis etiam (b) tamquam earum propria hæc videtur significare, de nuptis enim loquitur, cum ait:

Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extentis magnos commisit elenchos.

Contra Ovidius dum puellas hortatur, ne cum gemmis, & auro prodeant, eas hæc habuisse, significat (c):

Vos quoque non caris aures onerate lapillis,
Quos legit in viridi decolor Indus aqua.
Nec prodite graves insuto vestibus auro.

Cloe itidem quædam apud Martialem (d):

Indos sardonychas, Scythas smaragdos

habebat, cum hos Luperco donaret. Gellia etiam apud eumdem (e) uniones habet, siquidem

——— jurat per uniones
Hos amplectitur, hos deosculatur.

Quare conciliandi inter se ita auctores videntur, ut dicamus, ideo ex auro, gemmisque matronas sæpius significari, quod ex libertinis haud ita multæ essent, quæ id genus ornamenta gestarent. Cum enim is erat ipsis quæstus, unde ea parare sibi possent, gestasse illas quoque, minime dubium est. Ex Plauto, cum nondum lapilli pretiosi in usu essent Romæ, libertinas auro usas, clarissime patet. Philematium illa (f):

Agedum contempla aurum, & pallam, satin' hæc me deceat, Scapha?

Paullo post Scapha (g):

Nam amator meretricis mores sibi emit auro, & purpura.

Martialis gemmis etiam oblectatas indicat (h):

——— me poscat amica
Aut virides gemmas, sardonychasque pares.

Sequioribus sane sæculis sublatum omne inter matronalia, ac meretricia ornamenta discrimen, queritur Tertullianus (i): *Quæ minus habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ, quas si quæ leges a matronis, & matronalibus decoramentis coercebant, jam certe sæculi im-*

(a) *l.* 1. *sat.* 2. *v.* 80. (b) *sat.* 6 *v.* 457. (c) *de Art. l.* 3. *v.* 129. (d) *l.* 4. *epigr* 28. (e) *l* 8. *epigr.* 81. (f) *Mostell. act.*1. *sc.* 3 *v.*125. (g) *v.* 128. (h) *l.* 11. *epigr.* 28. (i) *de cult. fæm. c.*12.

improbitas honestissimis quibusque fœminis usque ad errorem dinoscendi coæquavit. Itemque alibi (a): *aspice lupas, publicarum libidinum nundinas, aspice vel sublimis, jam matronas videbis*. Sed singillatim in manus quædam ex hujusmodi ornamentis sumenda sunt, ut appareat verissime scripsisse Isidorum (b): *Nunc præ auro nullum fœminis leve est, atque immune membrum*.

Margaritis caput coluisse, iisque discrevisse crines primi fastigii matronas, ex nummis Augustarum discimus, quam autem sine modo, disce ex Plinio (c): *Lolliam Paulinam, quæ fuit Caii Principis matrona, nec serio quidem, aut solemni ceremoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cœna, vidi smaragdis, margaritisque opertam, alterno textu, fulgentibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitisque*. Inter capitis ornamenta recenset citatus Isidorus (d) *diadema*, hoc autem definit *ornamentum capitis matronarum ex auro, & gemmis contextum*. Recenset, & *reticulum*. Reticuli autem aurati meminit Juvenalis (e), suum vero ex obrusso dicebat esse Fortunata illa apud satiricum (f).

Inaures bacca pendula, raræ aliquando magnitudinis, neque una tantum aliquando, quas ideo poeta (g) vocat *magnos elenchos*, fenestratis leviter auribus suspendebant. Senecam audiamus (h): *Video uniones non singulos, singulis auribus comparatos (jam enim exercitæ aures oneri ferendo sunt) junguntur inter se, & insuper alii bini supponuntur. Non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina, ac terna patrimonia singulis auribus pependissent*. Morem hunc stomachatus inquiebat ille (i): *plane, si filiam haberem, auriculas illi præciderem*. Inaures velut matronarum proprium insigne suspicari possumus ex Valerii Maximi auctoritate, ubi refert (k): *Senatum ad matronarum honorem vetustis aurium insignibus novum vittæ discrimen adjecisse*. Sed locus iste varie torqueri solet, cum alii *aurium*, alii *inaurium*, Lipsius satis acuta conjectura *crinium* legat. Quare non satis ad movendum hoc puto, ut inaures meretriculis negemus, cum præcipue & earum ancillæ gestarent, teste illa apud Comicum (l):

——— *inaures da mihi*

Faciundas pondo duum nummum stalagmia.

Sunt autem *Stalagmia* inaures oblongæ ex bacca pendula, ut interpretes ajunt.

V Mo-

(a) *de pall. cap.* 4. (b) *Orig. lib* 19. *cap.* 32. (c) *lib.* 9. *cap.* 35. (d) *ibid. cap.* 31. (e) *sat.* 2. *vers.* 96. (f) *Petron. in fragm. Trag.* (g) *Juven. sat.* 6. *v.* 459. (h) *de Benef. lib.* 7. *cap.* 9. (i) *Petr. in frag. Trag.* (k) *l.* 5. *c.* 2. (l) *Menach. act.* 3. *sc.* 3. *v.* 17.

Monilia collo ornando sive ex auro tantum erant, sive auro insertis margaritis (a):

——— *colloque monile*

Baccatum, ———

aut smaragdis (b):

— *virides gemmas collo circumdedit*.

Nullam fuisse fœminarum puto, quæ non gestaret. Quin ne cubitum quidem ituras pretiosissima monilia exuisse aliquas, testatur luculunte Plinius (c): *in secreto margaritarum sacculi e collo dominarum auro pendeant, ut in somno quoque unionum conscientia adsit*. Huc forsan spectat illud Martialis (d):

Credit cui Postumilla dives

Gemmas, aurea, vina, concubinos,

ut *concubini* hi sint uniones, in quos jocatur poeta, tam cari Postumillæ, ut cum iis dormiret. Alii hoc sensu legunt *concubinas*, & ad gemmas, quod præcessit, referre malunt.

Sed ubi non aurum, ubi non gemmæ?

— *Viridique angustat jaspide pectus*,

ait Claudianus (e): Plinius vero (f): *discurrant catenæ* (ex auro scilicet) *circa latera*. Spinther armillæ genus, auctore Festo (g), *mulieres antiquæ gerere solebant bracchio summo sinistro*, at utroque bracchio armillas, sic proprie dictas. Plautus spintheris meminit (h):

Menæchme, amare ait te multum Erotium,

Ut hoc nunc una opera ad aurificem deferas,

Atque huic ut addas auri pondo unciam,

Jubeasque spinther novum reconcinnarier.

Erotio tamen præter spinther, & armillæ erant, siquidem Menæchmus (i):

— *ubi illæ armillæ sunt, quas una dedi?*

Annulos in omnium digitis invenies. Præter nuptas enim puellulas annulum gestasse, constat ex Plauto, ubi Epidicus in comedia cognomine eum virgini attulisse, refert (k)?

Non meministi me auream ad te afferre natali die

Lunulam, atque anellum aureolum in digitum?

Gestarunt etiam publicæ lupæ nam de hujusmodi fœminis (l):

Spectandum ne cui anulum det.

Et

(a) *Virg. æn. 1. v. 658.* (b) *Juv sat. 6. v 458.* (c) *lib. 33. cap. 3.* (d) *l. 12. epigr. 49.* (e) *de sext. cons. Hon. vers. 526.* (f) *lib. 33. cap. 3.* (g) *lib. 17.* (h) *Menæch. act. 3. sc. 3. v. 1.* (i) *ibid. v. 13.* (k) *act. 9. sc. 1. v. 33.* (l) *Plaut. Asin. act. 4. sc. 1. v. 33.*

Et virgines, & meretrices gestare confirmat etiam Bacchis apud Terentium (a):

Dicitque se se illi (virgini) *annulum detraxisse,*
Eum hæc cognovit Myrrbina in digito modo me habentem.

Cruribus etiam, & pedibus aurum induebatur. *Perisceliis* enim, quæ & compedes aliquando dicuntur, hoc est circulis aureis crura circumligabant: soleas, ac sandalia ligulis, ac vinculis aureis vinciebant. Clarum est ex Tertulliano (b), aurum pedibus etiam indutum: *pedes domi figite, & plusquam in auro placebunt*. Addebant etiam uniones, nec crepidarum tantum obstragulis, teste Plinio (c), sed socculis totis, quos auro ornatos discimus etiam ex Divo Hieronymo (d): *candidæ vestis, & aurati socci depositione*.

Periscelia alio loco Ferrarius videtur solis togatis concedere, alio & stolatis. Alicubi enim (e), *eas aureas compedes*, ait, *non a matronis, sed alibertinis gestatas, illud argumento est, quod matronæ fluente stola velatæ non crura modo, sed & pedes veste contectos habebant*. Alibi vero (f): *aurea matronarum* (matronæ ipsi sunt tantum mulieres nobiles) *argentea plebejarum periscelia erant*. Sed pretiosa periscelia & a matronis gestata, certissimum ipse puto. Neque enim me movet, quod illæ longiori tunica usæ eadem ostentare non possent. Verissime enim Divus Hieronymus (g): *φιλόκοσμον genus fœmineum est, multasque etiam insignis pudicitiæ, quamvis nulli virorum, tamen sibi scimus libenter ornari*. Cum ideo ornamentorum suorum sola conscientia satis gauderent, ut in secreto etiam gestarent, ac cum gemmis cubitum irent, ut ex Plinio supra monuimus, ac Scintillæ illi (h) tantumdem esset crotalia auribus appendere, ac capsellæ inclusa e collo pendentia gestare; non dubito, quin & pretiosarum periscelidum, quamquam videri a nemine poterant, conscientia vellent oblectari. Legimus gestatas a Fortunata (i) Trimalchionis uxore, quæ licet libertina genere, erat tamen justa mater familias. Vide sis etiam, quam sibi in iis placeret, cum *periscelides resolveret*, ut miranti amicæ ostenderet. Accidit autem huic, aliique etiam matronæ accidere poterat, ut periscelides etiam apparerent, non modo phæcasia: *Venit ergo galbino succincta cingillo, ita ut infra cerasina adpareret tunica, & periscelides tortæ, phæcasiaque inaurata*. Ne credas vero, hanc ornatam meretricum more, ideoque indutam periscelia, existimes. Hæc enim cum domi suæ esset in tunica tantummodo,

V 2 ac

(a) *Hec. act. 3. sc. 3. v. 31.* (b) *de cult. fæm. c. 13.* (c) *l. 9. c. 35.* (d) *ep. 85. alias 9.* (e) *de R. V. p. p. l. 3. c. 17.* (f) *Analect. c. 21.* (g) *epist. 98. alias 12.* (h) *Petron. in fragm. Trag.* (i) *ibid.*

ac diligentis matris familias, curiosius etiam, quam par erat, officio fungi videri vellet, ut huc illuc discurrendo, familiam, eaque, quæ ad convivium a marito adornatum necessaria erant, procuraret, tunicam altius succinxerat. Hinc apparebant periscelides, quas tamen, & cum non apparerent, gestasse minime dubium est. Sed & Tertullianus periscelii meminit, cum de honestis certe fœminis verba facit [a]: *nescio an crus de periscelio in nervum se patiatur arctari.*

CAPUT XIII.

De capitis ornatu. Vittæ virginum, ac nuptarum. Cirri, cincinni, crines. Matronæ capite detecto. Crines flavi etiam matronarum.

CApitis ornatus præcipue cordi Romanis fœminis fuit. Eo patet, quod tanta laus erat peritæ Cosmetæ, seu ornatricis, nam *Ornatrix* nulla alia proprie est, quam ea, cujus erat dominæ capillos comere, & ornare, ut clarum ex Festo [b]: *Acus dicitur, qua sarcinatrix, vel etiam ornatrix utitur;* Hinc *ornatus* non raro apud auctores per excellentiam habitum capillorum significat, quemadmodum apud Virgilium [c]:

Visa (nefas) longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum *flamma crepitante cremari,*
Regalesque accensa comas, accensa coronam
Insignem gemmis. ———————

Sed accipe ornatricum elogia. Ovidius de Nape [d]:

Colligere incertos, & in ordine ponere crines
Docta, nec ancillas inter habenda Nape.

Idem de Cipasside [e]:

Ponendis in mille modis perfecta capillis,
Comere sed solas digna, Cipassi, Deas.

Quod autem primum fœminei capitis ornatum intuentibus occurrit, vittæ sunt. Vittas definit Isidorus [f], *quæ crinibus innectuntur, quibus fluentes religantur capilli, & vittæ dictæ, quod vinciunt. Tænia autem est vittarum extremitas dependens diversorum colorum.* Gestabant vittas, nam Sacerdotum vittæ extra rem nostram sunt, virgines, & nuptæ, verum non sine discrimine. *Aliæ*, inquit Turnebus [g], *erant nu-*

[a] *de cult. Fam. cap.* 13. [b] *l.* 1. [c] *Æn.* 7. *v.* 73. [d] *Am. lib.* 1. *eleg.* 11. *v.* 7. [e] *Am. lib.* 2. *eleg.* 8. *vers.* 1. [f] *Orig. lib.* 79. *cap.* 31. [g] *Advers. lib.* 29. *cap.* 4.

nuptarum, aliæ virginum vittæ sed utræque tamen ingenuarum. De virginali vitta Flaccus Argonaut [a]:

Ultima virgineis cum flens dedit oscula vittis:

de maritali Propertius [b]:

Vinxit & acceptas altera vitta comas,

Hinc collige discrimen inter virginalem vittam, & maritalem. Vitta enim virginum una erat, una & altera nuptarum. Per *alteram* enim vittam nihil aliud intelligi hic a Propertio, quam *secundam*, interpretatur Bernartius ad quemdam Statii locum [c], ubi ex adducto Propertii versu, virgines habuisse quidem vittam, probat, sed simplicem, matronas duplicem, quæ Bernartii sententia probatur etiam Theophilo Raynaudo [d]. *Vittam rectam* nuptarum fuisse, notat vir eruditissimus in suo ad poetarum amatoriorum trigam satis cæteroqui accurato indice [e], per inde ac virginum vitta obliqua fuisset. Sed non oscitanter Propertium legentibus patet, non rectam *vittam datam* apud ipsum significare tantummodo, ominosum aliquid in nuptiis accidisse, quo appareret nuptias iratis Diis celebratas. En Propertii versus [f]:

Quæ mihi deductæ fax omen prætulit; illa
Traxit ab everso lumina nigra rogo,
Et stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
Vitta data est: nupsi non comitante Deo.

Vittæ igitur inter nuptas, & innuptas discrimen, quod attulimus, sed aliud etiam ab habitu capillorum.

Ita enim vitta simplici capillos virgines religabant, ut adhuc *cirros* deferrent, quemadmodum pueri, ideoque ut Persio [g] *cirrati* sunt pueri:

— *Ten' cirratorum centum dictata fuisse,*

ita Ammiano [h] *cirratæ* puellæ sunt: *& licet quocumque oculos flexeris, affatim multas spectare cirratas, quæ si nupsissent, per ætatem ter jam nixus poterat suppetere liberorum.* Cirrorum in virginum cultu Lipsius [i] admonuit, cui tamen minime assentior *cirros* cum *cincinnis* confundenti, quorum inter se non leve discrimen, cum multis arbitror, fuisse, quum *cirri* nulla arte crispati, & compositi, secus *cincinni*. Cirratæ igitur virgines, quæ nulla arte capillos comebant, non acu discernebant, non curiose torquebant, & componebant. Favet Tertulliani locus a Lipsio etiam laudatus, unde liquere puto, hoc

---

[a] *l.* 8. *v* 6. [b] *l.*4. *eleg* 11. *v* 34. [c] *Thebaid. l.*5 *v.*668. [d] *de pileo sect* 6. [e] *Catullus &c. ex recens. J. Ant.Vulpii. Patavii* 1710. [f] *l.*4 *eleg.*3.*v.*13. [g] *sat.*1. *v.* 29. [h] *l.* 14. [i] *ad Tac. l.*3. *ann. c.*20.

hoc virginum proprium fuisse, ut curiosius studium capillis figurandis non adhiberent [a]: *simulque se mulieres intellexerunt, vertunt capillum, & in acu lasciviore comam sibi inferunt, crinibus a fronte divisis, apertam professæ mulieritatem.*

Contra meretricibus *cincinni* tribuuntur, qui nimirum arte crispi, & contorti, & industrie compositi.

Hinc Stratilax Astaphio [b].

Jam ego istos fictos, compositos, crispos cincinnos tuos
Unguentatos usque ex cerebro expellam.

Maxima igitur meretricibus capillorum cura, quare illa [c]:

Suo quisque loco viden' capillus satis compositu'st commode?

Ita autem componebant, ut quamquam in vertice in corimbion extollerent, aut aliter disponerent; inferne tamen per collum adhuc effunderent, & fluere finerent: *crines ingenio suo flexi*, ait ille [d], *per totos se se humeros effuderunt*. Hinc discimus, facile fuisse Magdalenæ Christi Domini pedes capillis tergere. Etenim cum post Pompei tempora in Judeam etiam Romanorum mores invecti essent; hæc, quæ peccatrix erat, crines fluentes gerebat, iisque facile ad hoc officium uti poterat. Neque mirum propterea est, quod adpositivum harum fœminarum capillamentum & maribus aptari potuerit, quemadmodum Gitonis, & Eumolpi capiti Triphenæ corimbion aptatum [e] legimus. Quamquam vero vitta nulla uterentur libertinæ; non dubito, quin & ipsæ nodo aliquo, si luberet, capillitii licentiam coercerent. Horatius [f]:

Dic & argutæ properet Neeræ
Myrrheum nodo cohibere crinem.

Alibi etiam [g]:

Quis devium scortum eliciet domo
Lyden? eburna dic, age cum lira
Maturet in comptum Lacenæ
More comam religata nodum.

Religabant igitur & mulieres probrosæ capillos, sed in morem mulieris Laconicæ, ita nimirum puto, ut nequaquam colligerent; & in sertas complicarent, sed post cervicem simpliciter constrictos, ut commodum, demitterent. Hunc comarum positum Ovidius comparat comis Diane [h]:

Altera succinctæ religetur more Dianæ,
Ut solet, attonitas cum petit illa feras.

Alius

[a] *de vel. virg. c.12.* [b] *Plaut. Trucul. act. 2. sc.2. v.32* [c] *Plaut. Metell. act. 1. sc.3. v.97.* [d] *Petron.* [e] *Petron.* [f] *l.3. od.14. v.21.* [g] *l.2. od.11. v.21.* [h] *de Art l.3 v.143.*

Alius ideo matronis comarum habitus, quo ab innuptis, togatisque satis discernebantur. Nuptarum enim erat non solum vittam duplicem gerere, sed & crines. *Dicti autem crines* inquit Isidorus (a) *quod vittis discernantur*. Hoc a Festo videtur accepisse, qui pariter: (b) *crines a discretione, dicti, quam Græci κρίσιν* (Aldus edidit διακρίσιν) *appellant. Nam iidem eos κρίνιδας vocant*, seu melius, ut emendat Scaliger: *ideo eos crines vocant*. Ita vero comam crinibus discernebant, ut e crinibus, & vittis velut sertas efficerent, eosque non fluentes, sed collectos in cervicem, aut verticem gererent, ut ex statuis, & nummis clarum. Hoc modo crines figurare dicebatur *capere crines*, aut *habere crines*, qua utraque locutione *nubere*, & *nuptam esse* significatur.

Soli gerumdum morem censeo, & capiundos crines (c),

hoc est, nubendum, ex consequenti antecedens, seu ex signo rem signatam significando, nam quæ nubunt, crines capiunt. Eadem ratione: (d)

Utique eam huc ornatam adducas matronarum modo.
Capite compto, crines, vittasque habeat, assimuletque se
Tuam esse uxorem.

Nam justæ uxores crines, & vittas habebant. *Senis autem crinibus*, ait Festus, (e) *nubentes ornantur, quod is ornatus vetustissimus fuit: quidam quod eo Vestales Virgines ornentur*. Ad quæ Scaliger: *seni crines dicuntur in capite matronæ Romanæ sex sertæ crinium, vitta, & crinibus ipsis implexæ, quas vulgo trecias vocat*. Ad hunc morem post Scaligerum alii (f) etiam retulere illud Martialis (g):

Portabat uxor rufa crinibus septem.

Verum ego malim cum eruditissimo Dacerio credere (h), his irrideri fœminæ calvitiem, quam additum septimum capillorum fasciculum significari.

In fingendis vero, & figurandis crinibus, eorumque habitu componendo a nostræ ætatis mulieribus minime victas antiquas, crediderim. Nullæ curæ parcebant iis crispandis, adeo ut *cinerarios*, qui & *ciniflones*, haberent, quorum erat calefactis calamistris crinem torquere, & vibrare. Ornatrices vero, quæ in ordinem capillos digerere, & variare debebant, sæpe pœnas cum sibi domina minus placeret, dedisse, ab Ovidio, Juvenale, Martiale accepimus. Cæterum si varios capillorum positus, quibus ornatum variarunt matronæ Romanæ, vellemus afferre, nimium operæ in re nihili insumendum esset.

Non

(a) *l.* 11. *orig. c.* 1. (b) *l.* 3. (c) *Plaut. Mostell. act.* 1. *sc.* 3. *v.* 69. (d) *id. Mil. act.* 3 *sc.* 1. *v.* 196. (e) *l.* 17. (f) *Cerd. in Tertull. de vel. virg. c.* 12. (g) *l.* 12. *epigr.* 32. (h) *ad Fest. l. c.*

Non si de togatis solum, sed & de stolatis si agatur, verissime poeta inquit (a):

Sed neque ramosa numerabis in ilice glandes,
Nec quot apes Hible, nec quot in alpe feræ;
Nec mihi tot positus numero comprendere fas est,
Adjicit ornatus proxima quæque dies.

Statuas, & nummos inspicientibus occurrunt aliæ multis ordinibus, & compagibus *capite ædificato*, ut ille ait (b), aliæ capillis complanatis, ut ita dicam: nonnullæ circum cervicem, ac tempora collectis crinibus, nonnullæ secus aures longioribus cincinnis demissis, quos *ancias* Isidorus (c) ait vocari: solis quædam digestis, & inspiras circumactis crinibus, quædam adscitis seu *mitra*, seu *reticulo*, aut *diademate*, aliisque id genus ornamentis, quæ inter se distinguere, & singula suis nominibus appellare, nisi digito aliquis monstret, ignorare me, fateor.

Quod ad mitram singillatim attinet, eam *inter capitis muliebris tegmina recensitam* voluit Solerius (d), *non inter nuda ornamenta*. Inter capitis operimenta recenset mitram & Theophilus Raynaudus (e). Caput mulieres mitra texisse eo modo, quo nostris temporibus impediunt potius, quam tegunt nostræ mulieres illis suis seu lineis, seu sericis ornamentis, idemque fuisse illis mitram, ac nostris *la cuffia*, *la scuffia*, cujus exemplar a veterum cultu desumptum patet, ego quoque arbitror, nec plus mitræ concedo, idemque sentiendum puto de diademate, reticulo, crepidulo, caliendro, si hæc quoque ornando capiti adhibebantur, aliisque id genus ornamentis. Favet Tertullianus loco mox afferendo.

Quod vero iidem clarissimi viri Solerius, (f) ac Raynaudus (g) ajunt, omnes Romanas mulieres velato capite in publicum processisse, nescio, an omnibus probaverint. Haud ita pronum mihi est credere, numquam aliter factum in ea urbe, ubi viri capite nudo incedebant. Non ita enim omnia pudicitiæ danda arbitror, ut nihil fœmineæ levitati demus. Sed certa ab incertis primum distinguenda sunt.

Cum quærimus, utrum Romanæ fœminæ capite tecto in publicum prodirent, nobis sermo nequaquam est de mitra, seu alio ex supra recensitis capitis ornamentis. Ipsa enim mitra tegenda est, cum caput dicimus tegi, cujus si appareat ornatus, illud nemo tectum dicet. Ridet Tertullianus (h) eas, quæ mitra, & linteolis se satis velatas

(a) *Ovid de Art. l. 3. v. 149.* (b) *Juven sat. 6. v. 502* (c) *Orig. l 19. c. 31.* (d) *de pil. cap. 6.* (e) *de pil. sect. 6.* (f) *c. 5.* (g) *sect. 5.* (h) *de Virg. Vel. cap. 17.*

latas putant. *Mitris & lanis quædam non velant caput, sed c onligant, a fronte quidem protectæ: qua proprie autem caput est, nudæ. Aliæ modice linteolis, credo ne caput premant, nec ad aures usque demissis, cerebro tenus operiuntur.* Velari itaque caput est ipsum caput cum toto ejus ornatu, quin & cervicem ipsam velari .. Subdit Tertullianus (a): *Quantum resoluti crines occupare possunt, tanta est velaminis regio, ut cervices quoque ambiantur.* Ita Venetiis aperto capite esse dicimus nobiles mulieres, quæ linteolis tantum, suisque illis tæniis caput tegunt, cooperto autem cæteras, quæ linteolis ornato capiti superinjectum sericum velamen nigri coloris a fronte per verticem ad totos humeros demittunt. Hac ratione velantur apud nos puellæ quoque nubiles omnium ordinum, inter quas, quæ nobiles sunt, ita utrimque a vertice velamen illud demittunt, ut totum fere pectus etiam tegant, ac nisi hinc leviter manibus idem submoveant, qua ingrediuntur, videre minime queant. Hoc quidem a Romanis fœminis flagitet nemo, nisi forte Flaminicæ Diales sint. Flaminicas enim nisi velatas nefas erat conspici. Assidue propterea gerebant illæ amiculum illud suum, flameum scilicet, quo quia caput cingebant, *cinctas* appellatas, ait Festus (b): *Cincta Flaminica veste velata*. Ad Flàminicæ morem caput nubebant, hoc est velabant, etiam quæ viro tradebantur, nubere ideo dictæ. Idem Festus (c): *Flameo amicitur nubens ominis boni causa, quod eo assidue utebatur Flaminica.* Novis enim nuptis, quemadmodum Martiæ illi,

Lutea demissos velarunt flamea vultus (d).

Velabantur igitur Flaminicæ, velabantur novæ nuptæ ipso tamen dumtaxat nuptialium ceremoniarum tempore, quæ earum propriam *corollam*, eodem auctore Festo (e). *sub amiculo ferebant*: detecto capite cœteras Romanas fœminas vulgo prodiisse dicendum est.

Clarissimis verbis Plutarchus (f): *mulieribus omnino non licebat caput obnubere*, qui etiam refert, Sulpitium Gallum alterum a primo fuisse, qui uxori nuncium remiserit, *quod eam vidisset veste attracta caput tegere*. Quare non est, cur ejusdem auctoritate fulciri sententiam suam, Solerius credat. Primo enim Plutarchus dumtaxat dixerat (g), *usitatius fuisse fœminis obvelatis capitibus progredi*, quibus verbis certe non affirmatur, id universis, semperque usitatum. Secundo id ipsum dixisse statim illum pœnituit, contraque morem, & decorum id a fœminis usitatum asseruit: *mulieribus omnino non licebat caput obnubere*.

(a) *ibid.* (b) *l.* 3. (c) *l.* 6. (d) *Lucan. l.* 2. *v.* 361. (e) *l.* 3. (f) *Quæst. R.* 14 ταῖς δὲ γυναιξὶν οὐδὲ ὅλως ἐξῆν ἐπικαλύπτεσθαι τὴν κεφαλήν (g) *ibid.* συνηθέστερον δὲ ταῖς μὲν γυναιξὶν ἐγκεκαλυμμέναις.

Scio, Valerium Maximum, quem pariter Solerius citat, contrarium sentire, ac id fuisse causæ Sulpitio Gallo repudiandæ uxoris dicere, (a) *quod eam capite aperto foris versatam cognoverat*. Sed Plutarcho major habenda hic fides, quam Valerio Maximo mihi videtur, quod ille Sulpitii factum refert, ubi de hac mulierum incedentium consuetudine, data opera, verba facit, Valerius autem, ubi de maritorum severitate, quæ eadem certe est, seu aperto, seu tecto capite incedentem uxorem Sulpitius repudiaverit. Sed quæ præ Plutarcho fides Valerio Maximo, qui utrum Valerius Maximus sit, nescimus? Qui forte Valerium Maximum in epitomen redegit eodem longe inferior auctor, priscorum temporum mores ex suis æstimavit. Cur autem non liceret honestis fœminis antiquitus caput tegere, multæ possunt esse rationes, quæ mihi investigandæ non sunt. Inter meretriculas etiam, supra vidimus, viliores & faciliores (b) habitas, quæ palliolo, aut cucullo operiebantur. Poppæam *velata parte oris* in publicum progredi solitam, refert quidem Tacitus (c), sed ne hic quidem Solerio suffragatur, cum hujus moris, qui illi singularis, caussam dicat fuisse, *ne satiaret aspectum, vel quia sic decebat*. Decebat autem, interpretor, formam, neque enim sexus verecundiæ, & matronalis dignitatis sic servantem Poppæam fuisse existimo, ut aliquo loco matronale decorum haberet, quæ potius creditur voluisse hoc habitu lenocinium amatoribus adhibere. *Decere* sæpius vel in una Mostellariæ scena (d) usurpatur a Plauto, ut significet formæ convenire, & venustiorem reddere, ne addam cum aliis Tibullum (e):

Mille habet ornatus, mille decenter habet.

Sed Poppæa non caput solum, verum & partem oris velasse dicitur. Hoc autem, quod tamquam aliquid Poppææ proprium, & singulare Historicus refert, frustra est, qui universis fœminis accommodat. Verum probe fallitur vir eruditissimus, si nummos sibi favere opinatur. Rei nummariæ scientissimi docent, quæ numismata velato capite Augustarum capita repræsentant, earum apotheosim significare: quotquot in Augustarum adhuc inter vivos degentium honorem nummi excusi sunt, eos harum capita detecta referre, crinibus varie positis, varioque ornatu: inter Divas jam relatas detecto capite aliquas inspici quidem, tecto capite nullam prorsus, quæ, cum nummus excusus, viveret. Quare ut me Solerio conciliem, id certum putare me dicam, sicut viri aliquando caput operiebant, ita operuisse

(a) *l. 6. c. 3.* (b) *Martial. l. 9. epigr. 33.* (c) *ann. l. 13. c. 45.* (d) *act. 1. sc. 3.* (e) *l. 4. carm. 2. v. 14.*

ruiſſe caput aliquando & fœminas: cæterum quamlibet prout illi placebat, ſeu potius aliis placiturum exiſtimabat, pro ingenio, & ſtudio, aut tecto, aut detecto capite inceſſiſſe.

Quæ vero caput tegebant, palliolo, aut cucullo id feciſſe ne dicas; ſi honeſtæ erant, cum uſas his proſtibulas ſupra viderimus, ſed parte pallæ ſuperiori in caput revocata. *Attrahentem ſuper caput veſtem*, nimirum ut caput tegeret, viſam a Sulpicio uxorem, Plutarchus ait (a). Hæc autem veſtis non alia eſſe potuit quam palla. Stola quidem caput operuiſſe mulieres Solerius dixerat, ſed tamen & (b) pallio id deinde tribuit. Stolam ipſe alibi dixi in caput numquam revocatam, atque hoc pallæ ſemper fuiſſe, modo ajo. Id ut afferam, ſuadet primum virorum mos, qui non aliter caput operiebant (c), quam togæ ſuperiorem partem in caput revocando: deinde Iſidori auctoritas, quem in hoc ſolum, cum ſtola cooperuiſſe caput fœminas ait (d), erraſſe arbitror, quod pallam cum ſtola confuderit, ſtolæ tribuendo, quod pallæ erat: demum & nummi, in quibus cum Pudicitia, aut alicujus ſedentis, aut ſtantis fœminæ effigies integra capite velato inſpicitur in averſa parte, apparet exteriorem veſtem in caput eſſe ſublatam. Marmora itidem id loquuntur. Sertorius Urſatus quodam fœminæ adoleſcentis ſigno, ſub quo *Bretiæ* epitaphium, de quo illi ſermo (e), inſcriptum erat, ait, fœminam matronali ſtola cooperientem caput repræſentari. Sed ſtola proculdubio ſumpta illi pro palla, cum ſtola, iterum dico, in caput minime revocari potuerit, quippe quæ interior, & ad medium præcincta. Novis etiam nuptis corollas *ſub amiculo* geſtatas, ſupra didicimus ex Feſto (f).

Quid ni modo aliqua dicamus de capillorum colore? Servius ad Virgilium ait (g): *Matronis numquam flava coma dabatur, ſed nigra. Didoni ergo* (Maro) *dat, ut turpi*. Adducit etiam Juvenalis verſum (h):

Et nigrum flavo crinem abſcondente galero,

ubi videtur Meſſalina nigrum crinem abſcondiſſe, factitio galericulo e crinibus flavis, ut matronam diſſimularet. Ridet tamen hæc doctiſſimus Ferrarius (i). Sane omnes matronas nigrum crinem geſſiſſe, ridiculum eſt arbitrari. Neque ſolum de poſterioribus temporibus loquor, quibus ſatis liquet flavum capillornm colorem omni arte a fœminis affectatum. Tertullianus (k), *capillum croco vertunt: pu-*

(a) *l. c.* ἐφελκυσαμένην ἰδὼν κατὰ κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον. (b) *c.* 6. (c) *Ferr. p.p. l.* 1. *c.* 10. (d) *l.* 19. *c.* 25. *Orig.* (e) *Epiſt. Italicæ. Patavii* 1719 *epiſt.* 4. (f) *l.* 3. (g) *Æn.* 4. *v.* 598. (h) *ſat.* 6. *v.* 120. (i) *p.* 2. *l.* 1. *c.* 20. (k) *de cult. fœm. c.* 6.

det eas etiam nationis suæ, quod non Germanæ, aut Gallæ procreatæ sunt: ita patriam capillo transferunt. Germanis enim vulgo semper fuit rutilus, seu flavus crinis. Sed & Ovidii temporibus, ut facile ex ejus carminibus colligi potest, uterque color, niger scilicet & flavus in pretio fuit, nam utrumque cum laude memorat (a):

Seu pendent nivea pulli cervice capilli;
Leda fuit nigra conspicienda coma.
Seu flavent; placuit croceis aurora capillis.

alibi (b) idem:

Nec tamen ater erat, nec erat tamen aureus illis,
Sed quamvis neuter, mixtus uterque color.

Amasse tamen præ aliis omnibus flavum colorem, id argumento est, quod arte utebantur, ut flavos capillos redderent, quemadmodum testatur Cato apud Charisium (c): *Mulieres nostræ capillos ungitabant, ut rutilus esset crinis*. Tradit autem Valerius Maximus, qua ratione rutilum colorem crinibus inducerent (d): *quo formam suam concinniorem efficerent, summa cum diligentia capillos cinere rutilabant*. Verum quid est cinere rutilare? Vel cineris frictionem adhibebant capillis rutilandis. Id enim ad res eluendas, & nitidandas in usu fuisse colligo ex Arnobio (e): *Sordescunt divi, & ad sordes eluendas lavantibus aquis opus, atque adjuncta habent cineris frictione*. Vel cinis hic sumitur pro sapone, qui ex sebo, & cinere id temporis conficiebatur, atque in usu erat, teste Plinio (f) ad hanc rem: *Prodest & sapo. Galliarum hoc inventum rutilandis capillis. Fit ex sebo, & cinere*. Vel cinis lixivium significat. Nam lixivio macerasse saponem, donec in spumam, bullasque abiret, eoque crines unxisse, credo. Martialis (g):

Et mutat latias spuma batava comas.

Hæc autem spuma *caustica* non alia de causa dici posse mihi videtur, quam quod lixivia quamdam velut urendi vim habet (h).

Caustica Teutonicos accendit spuma capillos.

Ex his autem cum appareat, a Germanis hoc Romanos sumpsisse, ut crines arte rutilarent, non potuit hoc frequentari apud ipsos nisi tempore Julii Cæsaris post Galliam devictam.

Venetas matronas ad rutilandos crines sulphur medicatum adhibuisse, auctor est Hieronymus Mercurialis *tractatu de Decoratione* (i). Quomodo hoc medicamine uterentur, æque ignoro, ac quomo-

(a) *l. 2. Am. el. 9. v. 41.* (b) *l. 1. Am. el. 14. v. 9.* (c) *lib 1.* (d) *lib. 2 cap. 1.*
(e) *lib. 7.* (f) (g) *lib. 8. epigr. 33.* (h) *Mart. lib. 14. epigr. 26.*
(i) *cap. 11.*

modo Romanæ antiquitus croco uterentur, quo tamen usas citatus Tertullianus testatur (a): *capillum croco vertunt*. Id scio, cum Venetiis mulieres flavos crines efficere vellent, quo colore usque ad avorum ætatem capillos maxime amasse constat, solitas fuisse, sapone lixivia macerato eos in sole lavare, exsiccatosque eodem saponato iterum, sæpiusque saturare. Sed obsolevit jam tanta hæc in re tam levi diligentia, præcipue postquam candido illo factitio pulvere, quem cyprium dicimus, crines inspergere cæpere, mentirique canitiem, cum nondum habent, quam tantum dolent, cum habent. Cæterum id illis dandum, siquidem si flavum colorem diutius affectassent, periculum fuit, ne quando auri ramentis, quod de Vero Imperatore traditur, crines vellent inspergere.

C A P U T XIV.

De fingendæ venustatis artificio. Varia ad id medicaminum genera. Unguenta.

QUÆ ars inducendæ ex medicinæ præscriptis veræ pulchritudini operam dat, *Cosmeticam* appellari vult Mercurialis (b), *Comoticam* vero, quæ fucatæ tantum, & ementitæ pulchritudini studet. Priorem, eodem teste (c), dixit etiam Galenus *exornatoriam*, alteram *comptoriam*. Sed hæc medicis relinquamus, nullumque nobis discrimen inter eas sit. Certe Latini quoscumque servos, & ancillas, qui domini, aut dominæ ornatum procurabant, *Cosmetas* dixere. *Ponunt Cosmetæ tunicas* (d). Cosmeticam itaque nunquam non exercuisse Romanas mulieres dicam, quæ totæ semper fuerunt in pulchritudine aut acquirenda, aut mentienda, nullique pepercerunt diligentiæ, ut corporis mendas aut corrigerent, aut occulerent.

——————— *Ita est ingenium muliebre,*
Bene cum lauta est, tersa, ornata, ficta est: infecta est tamen (e).

Cosmeticæ artis, nulli dubium, quin fuerit etiam cum capillos componere, tum maxime colorare. Sed de his vidimus, neque id unum fuit muliebris curiositatis opus. Præterea aut totum corpus pingebant, aut partem aliquam interpolabant, dictæ propterea a Plauto (f) mulieres *interpoles*. Primo autem eam amabant corporis habitudi-

(a) *l. c.* (b) *de decor. c.*1. (c) *ibid. c.*10. (d) *Juv. sat.*6. *v.*476. (e) *Plaut. stich. act.*5. *sc.*5. *v.*3. (f) *Mostell. act.*1. *sc.*3. *v.*117.

dinem, quæ gracilis esset, subductoque cibo obesitatem quam maxime cavebant.

Haud similis virgo est virginum nostrarum: quas matres student
Demissis humeris esse, vincto pectore, ut gracilæ sient.
Si qua est habitior paulo, pugilem esse ajunt, deducunt cibum:
Tametsi bona est natura, reddunt curatura junceas (a):

Maxima deinde cura impendebatur sordibus eluendis, gravi odori depellendo, toti corpori defæcando, cuti extendendæ, ac dealbandæ. Testis illa apud Plautum (b):

Nam nos usque ab aurora ad hoc quod diei est
Ex industria ambæ nunquam concessavimus
Lavari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari,
Poliri, expoliri, pingi, fingi: & una
Binæ singulis quæ datæ nobis ancillæ,
Eæ nos lavando, eluendo operam dederunt,
Aggerundaque aqua sunt viri duo defessi.

Lacte asinino aliquando erugare cutem, & candidam reddere, aut conservare pleræque omnes studebant. Hoc medicamine usa præcipue Poppæa, quæ in exilium missa quingentas asinas ad hunc usum duxit. Ex ejus itaque invento, cum totum corpus hoc lacte perfundebant, lavabantque, tum præsertim panem eodem maceratum *digitis pressum in faciem extendebant* (c), quod genus medicaminis ideo dicitur a poeta *Poppæanum* (d), eoque incrustatam faciem tandiu ferebant, ut ex eodem patet (e), donec se alicui spectandas præberent. Faciei enim major omnibus, quam cæteri corporis cura.

Cerussa etiam & ad totum corpus, & ad faciem præsertim dealbandam utebantur:

Cedo cerussam, qui malas oblinam (f).

Ceram pariter ad eumdem usum adhibitam, apud Plautum invenio (g):

—— cera omne corpus intixti tibi,

nec non apud Ovidium (h):

Scitis & inducta candorem quærere cera.

Ceræ mentio nulla apud Mercurialem, apud quem ne *melini* quidem, cujus tamen meminit ancilla Plautina (i):

Ne-

(a) *Terent. Eunuc. act. 2. sc. 3. vers. 21.* (b) *Pœn. act. 1. sc. 2. vers. 8.*
(c) *Juven. sat. 2 v. 107.* (d) *Id. sat. 6. v 462.* (e) *Ib.* (f) *Mostell. act. 1. sc. 3. v. 101.* (g) *Trucul. act. 2. sc. 2. v. 39.* (h) *de art. l. 3. v. 199.* (i) *Mostell. act. 1. sc. 3. v. 107.*

Neque cerussam, neque melinum, neque aliam offuciam.

Melinum autem ex Plinio (a) genus est fossilis colore candido, ita dictum a Melo insula, ubi optimum effoditur, dictum etiam terra Melia. Candido colori inducendo in usu fuit etiam *crocodilæa*, hoc est crocodili terrestris fimus, eodem Plinio teste (b), quin & Horatio (c):

——————— *neque illi*
Jam manet humida creta, colorque
Stercore fucatus crocodili.

Hujusmodi tectoria non solum hic Horatius, sed etiam Martialis generaliter *cretam* appellat (d):

Crassior in facie vetulæ stat creta Fabullæ.

Ovidius vocat alutam, quasi mollem pellem quandam (e):

Parvaque sinceras velat aluta genas.

Sed præterea fœmina Romana,

Sanguine quæ vero non rubet, arte rubet (f).

Genas enim, & labia colorare, & antiquis mos fuit, & præsentibus mos est, Romæ adhuc præsertim, ac Januæ. At ab omni istiusmodi fuco mirum, quam abhorreant mulieres Venetæ cum honestæ, tum etiam probrosæ. Purpurisso ad hoc veteres utebantur.

Tum tu igitur cedo purpurissum (g).

Videtur autem Mercuriali (h) purpurissum dici genus omne medicaminis, quod purpureum colorem induceret, ad quod in usu erat etiam *rubrica*.

Itane erubuisti? quasi vero corpori reliqueris
Tuo potestatem coloris ulli capiendi, mala.
Buccas rubrica; cera omne corpus intinxti tibi (i).

Mitto alia multa, quæ cum alibi, tum maxime carmine *de medicamine faciei* Ovidius tradit.

Ad hæc vero quanta unguentorum copia, & varietate utebantur?

Istæc veteres, quæ se unguentis unctitant, interpoles (k)?

Sua erant unguenta comis, & ciliis, sua genis, & collo, sua manibus, ac pedibus ungendis. Advertit autem eruditissimus Mercurialis (l), nomen unguenti, quod μύρον Græci vocant, fuisse apud ve-

(a) *lib. 35. cap. 6.* (b) *lib. 28. cap. 8.* (c) *epod. 12. v. 9* (d) *lib. 8. epigr.* (e) *lib. 3. de art. v. 202.* (f) *Ibid. v. 200.* (g) *Plaut. Mostell. act. 1. sc. 3. v. 104.* (h) *de Decor. c. 12.* (i) *Plaut. Mostell. act. 2. sc. 2. v. 37.* (k) *Plaut. Mostell. act. 1. sc. 3. v. 117.* (l) *l. c. 129.*

veteres potius olei genus, quam unguenti, & *si licet*, inquit ille, *equiparare alicui, fuere unguenta veterum, quemadmodum nunc sunt olea odorata, quæ a myropolis venduntur*. Quamquam autem unctores numerantur inter servos mulieribus attributos, & plure extabant in urbe myropolia; tanta nihilominus erat unguentorum pretiositas, ut ex Galeno referat auctor laudatus (a), temperari, ac confici etiam per nobilissimas Romanas matronas consuevisse. Magno emptum aliquod unguentorum genus ostendit monstrum illud hominis Judas, cui prodige perdi visum est illud, quod in caput Christi Domini versabatur.

Unde autem Judæis mos unguenta etiam pedibus adhibendi? A Græcis ne, an a Romanis? Accepimus ab Athenæo (b) id vulgo in Græcia usitatum; Romæ vero tardius, ac sub Nerone tantum morem hunc usurpatum, videtur docere Plinius, ubi ait (c): *vidimus etiam vestigia pedum tingi, quod M. Othonem monstrasse Neroni Principi ferebant*. Nihilominus Romæ antiquis etiam temporibus saltem fæminis in usu positum pedes ungere haud difficile est credere, cum Plautus *murrhobrathbarii*, seu *myrobrathbarii* (d) meminerit, cujus omnes affirmant fuisse muliebria calceamenta variis odoramentis, & unguentis imbuere. Id tamquam novum Plinius refert fortasse, quod non pedes, sed ima pedum pars, *vestigia*, ac solum unguentis tingebatur, ideoque statim subjicit: *Quæso, ut qualiter sentiretur, juvaretque ab ea parte corporis?* Quidquid tamen de hoc sit, certe mulieri illi evangelicæ scimus unguenta alabastro servata, quo ad ea servanda Romani pariter usi, eodem teste Plinio (e): *Hunc aliqui lapidem alabastritem vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optime servare incorrupta dicitur*.

CA-

(a) *l. c.* (b) *lib.* 15. (c) *lib.* 13. *cap.* 3. (d) *Aul. act.* 3. *sc.* 5. *v.* 37. (e) *lib.* 36. *cap.* 8.

C A P U T XV.

Descriptio pulchritudinis mulieris Romanæ. Nonnulla alia ad cosmeticen spectantia.

Diutius quidem munditiis muliebribus considerandis immorati sumus, omnem tamen mundum muliebrem excussisse, totamque antiquorum cosmeticen examinasse nondum me, scio. Aliqua propterea addam, postquam matronæ Crotoniatis, seu potius mulieris Romanæ pulchritudinem *omnibus simulacris emendatiorem*, ut ille ait, qui eam descripsit (a), oculis vestris subjecero. Nam ad cætera nugamenta & hoc placet adjicere. En illa: *Crines ingenio suo flexi per totos se se humeros effuderant: frons minima, & quæ radices capillorum retroflexerat: supercilia usque ad malarum stricturam currentia, & & rursus confinio luminum pene permixta: oculi clariores stellis extra lunam fulgentibus: nares paululum inflexæ, & osculum, quale Prasciteles habere Dianam credidit. Jam mentum, jam cervix, jam manus, jam pedum candor intra auri gracile vinculum positus parium marmor extinxerat.*

Adverte hoc primum, ad elegantissimæ formæ commendationem, qua diligentia satiricus omnem fuci, omnem artis suspicionem tollat. Quamquam enim vidimus, nihil omisisse ad honestandam formam Romanas fœminas, attamen dubitari non potest, quin pluris fieret, quæ natura formosa erat, quamque constabat (b),

Nulla mala re esse expolitam muliebri.

Hinc Ovidius etiam (c):

Non tamen expositas mensa deprendat amator
Pixidas: ars faciem dissimulata juvet.

Propterea primo statim intuitu animadvertit, capillos minime fuisse calamistro, aut alia arte crispatos, sed ipsius naturæ beneficio flexos, ac ne quis posset dubitare adscitiine essent, eorum radices in fronte apparere dicuntur.

Verum quidem est, præsertim postquam flavos crines adeo amare mulieres cæperunt, quam plurimas fictitiis comis usas fuisse, quæ potissimum a Germanis mittebantur.

Nunc tibi captivos mittet Germania crines.
Culta triumphatæ munere gentis eris (d).

Y Adeo

(a) *Petron.* (b) *Terent. Heautontim. act. 2. sc. 3. v. 48.* (c) *de art. l. 3. v. 219.* (d) *Ovid. Am. l. 1. eleg. 14. v. 45.*

Adeo autem non pudebat ullam hoc fateri, ut publice emptum mitterent.

Fœmina procedit densissima crinibus emptis;
Proque suis alios efficit ipsa suos.
Nec pudor est emisse palam; venire videmus
Herculis ante oculos, virgineumque chorum [a].

Adscititium capillamentum *galerum*, seu *galericulum* vocatum, ait Ferrarius [b]. Nihilominus certum est, pluris æstimatas, quæ proprios crines haberent, ideoque Ovidius amicam, cui comæ deciderant, satis tristem describit, & consolatur, fateturque pudori ipsi futurum fictitiam comam gestare [c]:

O quam sæpe, comas aliquo mirante, rubebis;
Et dices, empta nunc ego merce probor.
Nescio quam pro me laudat nunc iste Sycambram

Sed retroflexæ radices capillorum illud etiam probabant frontem brevem natura esse, non arte. Cum enim pauxilla, & angusta fronte olim commendarentur Romæ mulieres, quod adhuc in Gallia, & Hispania, extremis hisce temporibus hic etiam apud nos probari ajunt, quæ latiori fronte erant, eam *nimbis imminuere*, Arnobio teste [d], consueverant. *Nimbus* dicitur Isidoro [e] *fasciola transversa ex auro assuta in linteo, quod est in fronte fœminarum*. Ex auro forte fuere nimbi illis, quæ flavos crines haberent, debuerunt enim ejusdem coloris esse, ac crines, cum maxima diligentia ita fronti aptarentur, ut tamen possent dissimulari. Hinc Milphio ille Plautinus, non nisi sæpius Adelphasium attente inspiciendo, nimbos cognoscit [f]:

Quam magis aspecto, tam magis est nimbata, & nugæ meræ.

Ad quem locum Meursius nimbos, eas fuisse fascias sentit, quæ imbui possent colore eodem, qui esset capillorum. Non omnes tamen Romanas fœminas inter faciei mendas latam frontem habuisse, ideoque ad eam imminuendam non omnes usas nimbis, visum est Bernartio, qui Violantillam a fronte quam latissime diducta laudari putavit a Statio, cum hic cecinit [g]:

— *Celsæ procul aspice frontis honores.*

Sed frontem *celsam* quisnam latissime diductam interpretabitur? Celsam ego dici credo, quod totius corporis sublimissimo loco eminet, celsissima partium hominis, quem *Deus humo excitatum* [h] *celsum*, *& ere-*

[a] *id. de art. l. 3. v. 165.* [b] *de R. V. p. 2. l. 1. c. 20.* [c] *Am. l. 1. eleg. 14. v. 47.*
[d] *l. 2.* [e] *Orig. l. 19. c. 31.* [f] *Pan. act. 1. sc. 2. v. 135.* [g] *Syl. l. 1. syl. 2. v. 113.*
[h] *Cic. de nat. Deor. l. 2. c. 56.*

& erectum constituit. Celsa propterea frons erat & Circe Petronianæ, cui *minima*, & Lycoridi illi, quam Horatius dicit (a)

Insignem tenui fronte,

& cæteris omnibus, quæ breviuscula sive ex naturæ munere, sive ex artis inventis, gaudebant.

Supercilia etiam descriptæ Circes nativa fuisse, arbitror, non adscita. Supercilia enim non solum fuligine denigrabant, nisi fatis nigra essent, sed, si defluxerant, integra fingebant *prolata e pixide*, ut ille ait (b), qualia Gallæ cujusdam erant apud Martialem (c). Fuligo autem hæc ad denigranda supercilia videtur Mercuriali (d), fuisse calliblepharum, cujus meminit Plinius, *quod medicamentum ex floribus rosarum combustis, ex terra ampelitia vocata, & ex medulla bubula.* Tertullianus *nigrum pulverem* vocat (e), modo *nigrorem*, modo *nigrum pulverem* etiam Sanctus Cyprianus (f). Ad hoc usas etiam matronas stibio, testis est Sanctus Hieronymus: *oculos stibio linit* (g): *orbes stibio fuliginatos* (h).

Sive vera, sive picta commendabantur supercilia, ut hic vides, *in confinio luminum pene permixta*, hoc est, quæ brevi intercapedine, dubioque divortio sejungerentur. Hinc Juvenalis ait, producta, quæ nimirum invicem distarent (i):

Ille supercilium madida fuligine tinctum
Obliqua producit acu.

Tertullianus modo laudatus similiter ait, nigro illo pulvere *oculorum exordia produci*, (k), ubi exordia oculorum quæ dicuntur, cilia sunt proculdubio, & supercilia. Hoc idem pariter significat Ovidius (l):

Arte surpercilii confinia nuda repletis,

nam confinia supercilii ea sunt, ubi alterum alteri conjungitur, quæ si arte replebantur, patet falli Mercurialem, qui, quod forte nostris temporibus fit, putat (m), antiquitus fœminas supercilia *ex longis angusta* fecisse. Fallitur etiam idem auctor, dum ait (n), id temporis etiam, quæ flava erant supercilia, arte denigrari solita, namque ex Ovidio clarum alias nigra, alias flava eadem arte finxisse (o):

Nec pudor est oculos tenui signare favilla,
Vel prope te nato, lucide cydne, croco.

Aut igitur favilla, quam hic puto idem esse, ac ea, quæ aliis fuligo, cinere scilicet ex rosis combustis, superciliorum, ac palpebra-

rum

(a) *l.* 1. *od* 33. *v.* 5. (b) *Petron.* (c) *l.* 9. *epigr.* 38. (d) *de decorat. cap.* 12. (e) *de hab. muliebr. c.* 2. (f) *de disc. & hab. virg.* (g) *epist.* 89. *alias* 47. (h) *epist.* 47. *al.* 15. (i) *sat.* 2. *v.* 93. (k) *l. c.* (l) *de Art. l.* 3. *v.* 201. (m) *l. c.* (n) *l. c.* (o) *de Art. l.* 3. *v.* 203.

rum pilis nigrum colorem, aut flavum croco inducebant, ut falsum sit, omnibus fœminis nigra placuisse supercilia etiam iis, quæ flava eadem haberent. Nemo enim putet, ipsa lumina, ipsos oculorum orbes infectos adulterino colore indicari a poeta. Primum enim quis dicat, oculos croceos unquam inter pulchritudinis notas? Deinde quomodo ipsi oculi, *quos lubricos natura fecit, ac mobiles*, ut ait Tullius (a), *ut declinarent, si quid noceret*, & tenuissimæ illæ membranæ, ac pupula manum pati potuissent, ac pingi? Oculos dixit poeta ipsa oculorum tegmenta, & sepimenta, palpebras, ac supercilia. De superciliis itaque optime etiam intelligitur Tertullianus (b), ubi ait: *fœminas oculos fuligine conlinere*, ac Arnobius (c), qui eas *oculos fuligine obumbrare*, ac Divus Cyprianus, qui (d) *oculos circumducto nigrore fucare* dixit. De palpebris etiam & superciliis capiendus Plautus, ubi frictione manus venustari sibi oculos, sordesque ex iis detergi, poscit quædam (e):

Viden' tu, pleni oculi sordium qui erant, jam splendent mibi.
An: *Imo etiam in medio oculo paullum sordet*. Ad: *cedo sis dexteram*.
An: *Ut tu quidem bujus oculos illotis manibus tractes, ac teras!*

Ad ea quæ de naso, ore, mento, cervice, manibus dicuntur, nihil habeo, quod addam. Quod vero ait Petronius: *jam pedum candor intra auri gracile vinculum positus*, id eruditissimus Ferrarius (f) de periscelidis vult esse intelligendum, probavitque aliquibus Petronii interpretibus. Mihi tamen, quod tanti viri pace dictum sit, placet accipere de ansis, & crepidarum obstragulis. Cum enim satiricus alibi (g) periscelides Fortunatœ commendaverit, quod pondo, & selibram haberent, non video cur periscelides Circes ex gracilitate commendatos velit. Quare aliud est, quod Seneca (h):

Crura distincto religavit auro;

aliud, quod Arbiter: *pes intra auri gracile vinculum*. Præterea ansas illas & obstragula satis proprie vincula nemo non dixit. Tibullus (i)

Vinclaque de niveo detrabet ipse pede.

Ovidius (k):

Stringebant magnos vincula parva pedes,

Idem (l):

Vincla duæ pedibus demunt.

Quare hinc colligo, meretrices Romanas, quæ certe sub Circes persona describuntur, soccos vulgo minime induisse, qui propterea matro-

(a) *de nat. Deor. l. 2. c. 142.* (b) *de cult. fœm. c. 5.* (c) *l. 2.* (d) *de disc. & bab. virg.* (e) *Pœn. act. 1. sc. 2. v. 101.* (f) *Analect. c. 21.* (g) *in fragm. Trig.* (h) *Hyppol. act. 1. v. 321.* (i) *l. 1. el. 6. v. 30.* (k) *Fast. 2. v. 324.* (l) *Metam. 3. v. 168.*

tronarum propriores erant, ſed nudis pedibus ſoleas, & crepidas induxiſſe. Hæ autem cum obſtragulis, vinculiſque aureis arctius obſtringerentur ſuperiori parte: Tibullus (a)

Anſaque compreſſos colligat arcta pedes;

facile auro interceptus nudi pedis candor lenocinium quoddam ſpectantibus factitabat. Qui mos luparum hujuſmodi aurum hac ratione pedibus induendi fortaſſe Plinii oculis obverſatus, cum ait, (b) auro pedibus induto *inter ſtolam, & plebem medium libertinarum equeſtrem ordinem*, factum, nec de periſceliis tum ipſe cogitavit. Quod non adeo perperam arbitratos quoſdam, puto, quos Ferrarius ſugillat (c).

Antequam officina ornatoria egrediamur, juvat Circe iſti Crotoniati caſtigatiſſimum Chriſtianæ fœminæ exemplar opponere. Hunc Chriſtianis fœminis cultum præſcribit Tertullianus (d): *Prodite vos jam medicamentis, & ornamentis extructæ Apoſtolorum, ſumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, & ſpiritus taciturnitate, inſerentes in aures ſermonem Dei, annectentes cervicibus jugum Chriſti. Caput maritis ſubjicite, & ſatis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, & pluſquam in auro placebunt. Veſtite vos ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem.* Locum hunc Tertulliani eo libentius attuli, non ſolum quod hinc diſcimus, quale eſſe debeat earum ſtudium, quæ ſancte potius, quam ſcite & coli, & ornari volunt, verum etiam quod ex eo facile iterum colligimus, qualis cæterarum cura, imo curioſitas eſſet. Novo enim hoc teſtimonio, quod hactenus dictorum velut compendii loco mihi eſt, ſatis confirmatur, quidquid de candefacienda, ac rubefacienda facie, de pingendis ſuperciliis, de inauribus, de monilibus, de ornando capite, de armillis, de crepidarum auro, de veſtium varia materia, & colore fuſius per ſuperiora capita differuimus. Quæ ſi in Affrica apud Chriſtianas etiam mulieres Tertulliani ævo nondum exoleverant, multo magis Romæ longe ante viguiſſe neceſſe eſt, unde in provincias urbis dominæ virtutes ac vitia propagata ſunt. Sed Romanas fœminas ſeriis magis rebus intentas tandem aſpiciamus.

CA-

(a) *l. 1. eleg. 9. v. 14.* (b) *l. 33. c. 3.* (c) *l. c.* (d) *de cult. fœm. c. 13.*

CAPUT XVI.

Domus procuratio. Filiorum institutio.

TOtius domus procuratio penes matresfamilias ab antiquissimis temporibus semper fuit. Neque ulli mirum sit, quod matronæ quas tantopere munditiis deditas descripsimus, rei domesticæ cura gravari voluerint. Poeta enim uno, eodemque tempore ipsas sese ornantes, ac a servis operam exigentes repræsentat, idque ita severe, ut administrationem domus cum Siculorum tyrannide conferat (a):

Verberat, atque obiter faciem linit, audit amicas,
Aut latum pictæ vestis considerat aurum,
Et cædens longi repetit transacta diurni,
Et cædit, donec lassis cædentibus, exi,
Intonat horrendum, jam cognitione peracta,
Præfectura domus Sicula non mitior aula.

Minus tamen formæ studiosas, quæ magis industres erant, facile sibi quisque persuadebit. Cœterum si Columellæ fides, ætas fuit, cum *flagrabat* (b) *mulier pulcherrima diligentiæ æmulatione, studens negotia viri cura sua majora, ac meliora reddere. In commune conspirabatur ab utroque, ut cum forensibus negotiis matronalis sedulitas industriæ rationem parem faceret*. Parta igitur a marito non tueri solum, sed augere, si fieri poterat, quod probarum uxorum est, nitebantur, universamque rem familiarem, cum opus erat, administrabant. Hinc ille (c)

Nam ita me absente familiarem rem uxor curavit mea,
Omnium me exilem, atque inanem fecit ægritudinum.

Hoc autem maximum maritis adjumentum, magnumque solatium fuisse, quis dubitet, cum foris defatigari libentius vellent, omnia domi fartatecta uxoris diligentia inventuri. *Domesticus* (d) *labor matronalis fuit, tamquam ad requiem forensium exercitationum omni cura deposita patribus familias intra domesticos penates se recipientibus*. Neque in urbe solum, sed ruri etiam, quæ ad villam spectabant egregie curata aliquando a matronis, aperte testatur Columella (e), qui tamen *mos cum non solum exoleverit*, eodem teste, *sed etiam occiderit, necessario irrepsit villicæ cura, quæ tueretur officia matronæ*. Videntur autem

(a) *Juv. sat.* 6. v. 481. (b) *l.* 2. *præf.* (c) *Plaut. Stich. act.* 4. *sc.* 1. v. 20. (d) *Colum. l. c.* (e) *l. c.*

tem Columellæ tempore Romanæ matronæ non villicarum modo, sed & urbanarum rerum administrationem ita abdicasse, ut luxu tantum, & inertia difluerent. Hoc verissimum putabunt omnes, divitiis in immensum auctis, & mutato reipublicæ statu, lapsa jam veteri disciplina. Verum nullo tempore minus probas, minusque industres matres familias non inventas, fateor, inter locupletiores præcipue. Hinc, regnante Tarquinio, scimus, *regias nurus* (a) *in convivio, luxuque visas cum æqualibus tempus terentes*. Neque enim idem semper singulis mulieribus ingenium fuit, ideoque ille ab uxore ducenda abhorrebat, ne parum sedulam duceret, veritus (b):

Bona uxor si ea deducta est usquam gentium,
Ubi eam possem invenire? Verum egone eam ducam domum,
Quæ mihi numquam hoc dicat: eme mi vir lanam, unde tibi pallium
Malacum & calidum conficiatur, tunicæque hibernæ bonæ,
Ne algeas hac hyeme.

Sordidiora tamen negotia obire ne antiquissimis quidem temporibus solitæ unquam fuere Romanorum matres familias. Ipsis Sabinis arbitratur Plutarchus (c), id honoris habitum, ne patriæ desiderium illas incesseret, ut nec coquendo, nec molendo, aut similia ancillarum munia obeundo, viris famularentur. Obtinuit id itaque semper levi ad venalitias ex Syria, aut Ægypto servas impendio. Cum uxorem itaque ducturum Phormionem, Geta simularet, tenuem quamvis, & pauperrimum hominem, ait nihilominus (d):

Uxori emunda ancillula.

En autem laboriosa ministeria, quæ ancillarum propria erant: (e)

Nihil nobis opus ancilla, nisi, quæ texat, quæ molat,
Lignum cædat, pensum faciat, ædes verrat, vapulet,
Quæque habeat cotidianum familiæ coctum cibum.

In iis, quæ ad rectam familiæ institutionem, ac gubernationem spectabant, servi, servæque, quamvis in ære domini, heræ imperio subjecti erant. Patet hinc, quod Juvenalis graviter servos plectentem quamdam describit (f):

——— *hic frangit ferulas, rubet ille flagellis,*
Hic scutica; sunt quæ tortoribus annua præstent.

Ancillarum tamen cura specialiter ad dominam pertinebat, neque in illas maritus quidquam sibi sumebat. Id clare viro uxor ingerit in comœdia (g):

Cl.

(a) *Liv. lib. 1. cap.* 57. (b) *Plaut. Mil. act.* 3. *sc.* 1. *v.* 91 (c) *Quæst. Rom.* 85.
(d) *Terent. Phorm. act.* 4. *sc.* 3. *v.* 60. (e) *Plaut. Merc. act.* 2. *sc.* 3. *v.* 62.
(f) *sat.* 6. *v.* 479. (g) *Plaut. Cas. act.* 2. *sc.* 3. *v.* 41.

Cl: Mirum, ecastor, te senecta aetate officium tuum
Non meminisse? St. *quid jam?* Cl: *quia si facias recte, aut commode,*
Me sinas curare ancillas, quae mea est curatio.

In commune tamen consulebant vir, & uxor, ut liberos probe, ac liberaliter educerent, eisque consulerent, ubi opus esset. Quae uxor propterea dixerat, suam esse curationem ancillarum, eadem & sibi, & viro Filii voluntati consulendum ait: (a)

——————— *quia enim filio*
Nos oportet opitulari unico ———

Liberos tamen propriis uberibus alere infantes nimis grave, atque adeo servile visum semper Romanis matronis. Planum hoc ex oratione Phavorini Philosophi apud A. Gellium (b), in qua nobilis matronae recens enixae matri graviter conatur suadere, ut velit, eam proprio lacte filium alere, cum mater contra, puellae parcendum, diceret, ne ad dolores, quos in enitendo tulisset, munus quoque nutricationis grave, ac difficille accederet. Hoc autem numquam non fuit in usu, ut externae nutrices infantibus adhiberentur, quod Comicus in Menaechmis significat (c):

Ita forma simili pueri, uti mater sua
Non internosse posset, quae mammam dabat,
Nec adeo mater ipsa, quae illos pepererat.

Unde intelligis, nutricem quoque matris nomine donari. Discimus autem ex verbis Phavorini laudati, quam sors obtulisset id temporis lactentem, eam, cum alia non esset, necessitate adigente, adhiberi solitam, ideoque accidere potuisse, ut ignobili genere, & pessimis moribus, non sine parvuli periculo, & damno, nutrix offenderetur, quod utinam nostris etiam temporibus nunquam accideret. *Si ista*, inquit Philosophus (d) *quam ad praebendum lactem adhibebitis, aut serva, aut servilis sit, & ut plerumque solet externae, atque barbarae nationis, si improba, si informis, si impudica, si temulenta est. Nam plerumque sine discrimini, quaecumque id temporis lactens est, adhiberi solet.* Quapropter si ulla unquam mater inventa est, quae ipsa suo lacte liberos enutrire vellet, haec ob tantam in filios caritatem commendari omni jure debuit. Sed rarum hoc exemplum fuisse colligimus, cum dignum sciamus habitum, quod sepulchri titulis inscriberetur. Vide inscriptionem apud Gruterum, ubi viri libertini uxor, libertino & ipsa genere, ut ex ejus nominibus conjectare facile possumus, ex hac in filios cura laudatur. (e)

GRA-

(a) *Plaut. ibid. v.* 44. (b) *lib.* 12. *cap.* 1. (c) *prol. v.* 19. (d) *A. Gell. l. c.*
(e) *DCXVII.* 6.

GRATIAE. ALEXANDRIAE. COJUGI. DULCIS
INSIGNIS. PUDICITIAE. ET. RARI. EXEMPLI
QUAE. FIL. SUOS. PROPIS. UBERIB. EDUCAVIT
PUDENS. AUG. LIB. MARITUS. INFEL
B. M. VIX. AN. XVI. M. II. D. XVI

Quod insuper spectat ad liberos procurandos, certum est, cum in matrimonium collocandæ filiæ essent, matrem a marito in consilium adhibitam, neque ea invita quidquam transactum. Celebris est historia de matre, sive ea Æmilia Scipionis, ut Livio placet (a), sive Antistia Claudii fuerit, ut Plutarcho (b), quæ cum marito conquesta est, quod cammunem filiam, se imprudente, despondisset. Poeta etiam ab utroque parente filiam nuptui dari significat (c):

Non æquum est pugnare, pater cui tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.

Hinc Amata apud Virgilium furiis acta ob Laviniæ nuptias, maternum jus læsum queritur, matresque omnes ad communem causam defendendam excitat: (d)

Clamat: Io matres audite ubi quæque Latinæ.
Si qua piis animis manet infelicis Amatæ
Gratia: si juris materni cura remordet.

Auditam etiam matrem, cum filius uxorem ducturus esset, luculentus testis pater terentianus: (e)

——— *nam vestrarum nulla est, quin gnatum velit*
Ducere uxorem; & quæ vobis placita conditio est, datur.

Nunquam tamen filii in manu matris erant, ne patre quidem mortuo. Itaque Helvidii filiæ, quod in nullius manu erat, parente altero extincto, ait Cornutus quidam apud Plinium Juniorem (f), datum se a consulibus *tutorem, petentibus matre eius, ac vitrico*. Nunquam propterea fœminæ poterant filios adoptare, cum adoptatus in manu ejus esset, qui adoptabat. Servos quidam, ac servas mancipii habebant, ideoque eos poterant manumittere, quod plusquam certum est ex infinitis lapidibus, ubi mulierum liberti hac nota significantur Ↄ. L. nam Ↄ. inversum Cajam, hoc est Dominam significare supra etiam diximus.

(a) *l.* 38. *c.* 57. (b) *Gracch.* (c) *Catull. carm.* 61. *v.* 67. (d) *Æn.* 7. (e) *Hec. act.* 2. *sc.* 1. *v.* 44. (f) *l.* 9. *epist.* 13.

CAPUT XVII.

Mulieres in manu, aut tutela alicujus. Lex Voconia. Maritus uxori judex. Fœminis nullam Reipublicæ partem attingere permissum. Earum amor in patriam.

MUlierum nulla apud Romanos sui pleni juris unquam fuit, quippe quæ aut in manu, aut in tutela alicujus esse debebant. Antequam nuberent, in patris, post nuptias in viri manu erant, si ex eorum uxorum genere erant, quæ in manum convenissent; sin autem ex alio, adhuc post nuptias sub patris erant potestate. *Nunquam salvis suis exuitur servitus muliebris, & ipsæ libertatem, quam viduitas, & orbitas facit, detestantur*, ajebat ille (a). Libertinæ vero erant in patroni manu, ideo Livius de Hispala Fecenia (b) *post patroni mortem, quia in nullius manu erat*. Orbis, & viduis jam libertatem adeptis, tutorem dari oportebat. *Mulieres omnes*, ait Cicero (c), *propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt: hi invenerunt genera tutorum, quæ potestate mulierum continerentur*. Ad quæ autem necessaria esset auctoritas tutoris mulieribus, explicat Ulpianus tit. 11. Inst. *Fœminis, quæ in manu parentum, aut virorum non essent, tutoris auctoritas necessaria erat in his rebus: si lege, aut judicio agerent, si re obligarent, si civile negotium gererent*. Nihil horum igitur ratum, si id fœmina sine tutoris auctoritate fecisset. Cicero (d): *Hoc non potest, quod mulier sine tutore auctore promiserit, deberi*. Ne dotem quidem poterat vir petere, si nuptura nullo auctore promisisset. Idem Cicero eadem oratione (e): *ipse nunquam auderet judicare, deberi viro dotem, quam mulier nullo auctore dixisset*.

Tutorem vero non ipsæ sibi sumebant, sed a magistratibus petebant. Livius (f): *tutore a Tribunis, & Prætore petito, quum testamentum faceret, unum Ebusium instituerat hæredem*. Potuisse autem a marito uxori testamento tutorem dari, negat Grupen (g). Neque enim major erat potestas mariti in uxorem, quæ in manu ejus esset, quam patris in liberos. Pater autem liberis tutorem minime da-

(a) *Liv. lib.* 34. *cap.* 7. (b) *lib.* 39. *cap.* 9. (c) *pro Mur. cap.* 27.
(d) *pro Cæcin. cap.* 72. (e) *ibid. cap.* 73. (f) *lib.* 39. *c.* 9. (g) *de Ux. Rom. cap.* 3. §. 19.

dabat teſtamento, niſi pupillis ſeu maribus, ſeu fœminis. Cum igitur fœminæ jam puberes, & pupillarem ætatem egreſſæ ſuæ eſſent poteſtatis patre, aut marito extincto, at nihilominus tamen ſub tutela pertua eſſe deberent; tutorem ſibi dari petebant a magiſtratibus. Viduæ tamen ſæpius tutorem ipſæ ſibi eligebant, ſi tutoris optionem, ut fieri a maritis ſolebat, illis vir teſtamento dediſſet, quod a juriſconſultis inventum ad eludendas leges, & tutelæ vim fuiſſe, videtur indicare Cicero pro Murena (a). His autem legibus minime tenebantur Virgines Veſtales ex Numæ inſtituto, ipſiſque, teſte Plutarcho (b), teſtamenta, vel ſuperſtite patre, nuncupandi jus erat, & ſine tutore, vel curatore liberum rerum ſuarum arbitrium. Nulli id præter ipſas fœminæ conceſſum, quibus nihil amplius indulgeri ſolitum fuit, quam ſi ob magnum aliquod in patriam meritum, legibus honorificentiſſimo privilegio ſolutæ, tutorem ſibi optare poſſent, quod Feceniæ Hiſpalæ contigiſſe, teſtis eſt Livius (c): *Utique Fecenia Hiſpalæ tutoris optio item eſſet, quaſi ei vir teſtamento dediſſet.*

Durius illud quod de exercendis mulierum hæreditatibus cautum fuerat lege Voconia, quam a Q. Voconio Trib. pl. latam Cæpione, & Philippo Coſs. ſuaſiſſe ſe annos quinque, & ſexaginta natum, luxus muliebris perpetuus hoſtis, Cato major memorat (d). Prohibitum hac lege, *ne qui cenſus eſſet, virginem, aut mulierem hæredem inſtitueret*. Complectebatur autem ea etiam utrumque parentem. Clarum ex Tullio (e): *P. Annius Aſellus, cum haberet unicam filiam, neque cenſus eſſet, quod eum natura hortabatur, lex nulla prohibebat, fecit, ut filiam bonis ſuis hæredem inſtitueret*. Idem paulo poſt (f): *Annia de multorum propinquorum ſententia, pecunioſa mulier, quod cenſa non erat, teſtamento fecit hæredem filiam*. Vides ideo nulla lege prohibitos Annium patrem, & Anniam matrem ſcribere hæredem filiam, quod neuter cenſus eſſet, cum lege Voconia ſolum qui *cenſus eſſet*, teneretur. Cenſum autem eſſe idem eſt, ut Pedianus (g) interpretatur, ac centum millia ſeſtertium poſſidere. *Nam more veterum cenſi dicebantur qui centum millia profeſſione detuliſſent, hujuſmodi adeo facultates cenſus vocabantur*. Scimus quidem a Servio Tullo (h), hujus ſummæ, majoriſve rationem habitam, ut in prima claſſe quis poſſet cenſeri. Si cui tamen hæc non arridet interpretatio, contra quam fa-

(a) *l. c.* (b) *Num.* (c) *lib.* 39. *cap.* 19. (d) *Cic. de ſenect. cap.* 14.
(e) *lib.* 1. *in Verr. cap.* 104. (f) *ibid. c.* 111. (g) *in orat. Cic. in Verr. de præt. urb.*
(h) *Liv. l.* 1. *c.* 43.

fateor & mihi scrupulum injectum, quod Annia a Cicerone dicitur *pecuniosa mulier, neque tamen censa*, aliam etiam affert Asconius (a): *Alii sic intelligunt: neque census esset, hoc est neque census ejus in quinquennium illud esset factus, quorum annorum spatio instaurari census solet apud Censores, quorum administratio per lustrum, hoc est quinquennium, extenditur*. Sed ut priori interpretationi stemus, quam video a clarissimis viris, qui notas in Asconium scripserunt, non improbari, tenues hæreditates, dicemus, quæque infra centum millium sestertium summam erant, lege Voconia minime comprehensas. Quin & illis, qui eam summam possiderent, ideoque censi essent, ex quadrante licuisse fœminas hæredes facere, colligit ex Dione Franciscus Hotomannus (b): *scribit enim Dio* ὑπὲρ εύο ἥμισυ μυριάδας: *idest* HS. XXV. *quæ pars quarta est bonorum ejus, qui Census auctore Pediano dicebatur*. Duo etiam alia legis Voconiæ capita ex eodem Hotomanno (c) addenda sunt: *Ne plus legatis, quam hæreditatibus auferretur*. Idest ne plus cuiquam fœminæ legare liceret, quam ad hæredem, hæredesve perveniret. Item, *Ne fœminæ ultra consanguineos ab intestato succederent*. Alii tamen ne consanguineis quidem potuisse fœminas ab intestato succedere affirmant. Augustum aliquas fœminas his tantis legis Voconiæ vinculis solvisse, idem Dio auctor est (d).

Maritus, dum uxorem in manu habuit, *mulieri judex pro censore fuit*, ut ex Oratione M. Catonis refert A. Gellius (e). Sed uxorem, sive ea convenisset in manum, sive secus, in adulterio deprehensam, aut vinum bibisse compertam, impune maritus occidere ex lege Romuli poterat. Hæc tamen tanta vitæ, necisque potestas placuit aliquando esse potius penes patrem, quam maritum per legem Juliam, quam Augustus tulit, de adulteriis. Pater itaque filiam adulteram in potestate constitutam patrio jure, filiam vero, quæ eo auctore in manum mariti convenisset, ex potestate legis Juliæ, si ad eam rem gener socerum adhibuisset, occidere potuit; imo sive in patris potestate, sive in mariti manu esset, occidere debuit, si impune adulterum domi suæ, generive prehensum vellet occidere. Hæc ex Grupen (f), qui legis hujus hanc afferri rationem ait a Papiniano: *Ideo patri, non marito, mulierem, & omnem adulterum permissum est occidere*,

(a) *ibid* (b) *not. ad Ascon. l. c.* (c) *ibid.* (d) *lib.* 56. (e) *l.* 10. *cap.* 2. (f) *de Ux. Rom. cap.* 3. §. 5.

re, quod plerumque pietas paterni nominis consilium pro liberis capit; cæterum mariti calor, & impetus facile decernentis fuit refrænandus.

Fœminas, quibus nec sua tueri, nec solis privatim quidquam agere permissum ob consilii imbecillitatem, ab omni publicarum rerum administratione exclusas apud Romanos, secus ac apud Lacedemonios, mirabitur nemo. *Non magistratus, nec sacerdotia, nec triumphi, nec insignia, nec dona, aut spolia bellica his contingere possunt*, ajebat ille (a). Mirari potius illud possumus, quod aliquæ hodie gentes in Europa sunt, ubi fœminæ rerum aliquando potiuntur, coguntурque viri jam non sub rege, sed sub regina degere. Ingressa quidem senatum est Semiamira Helagabali mater, regnante filio, atque inter senatores sententiam rogata; verum post ejus mortem severe cautum est, ne unquam mulier senatum ingrederetur, utque inferis ejus caput dicaretur, devoveretur que, per quem id esset factum. Melioribus autem reipublicæ temporibus non modo earum nullam sen.tum unquam ingressam, legimus, sed etiam quod in publicum prodierint eblandiendis virorum suffragiis pro legis Oppiæ abrogatione, vehementer a Catone castigatas (b). Plutarchus etiam refert (c), cum fœmina aliquando causam pro se in foro dixisset, Senatum Deos consuluisse, ecquid hoc exemplum urbi portenderet. Memorat tamen Valerius Maximus (d) aliquas, *quas conditio naturæ, & verecundiæ stola, ut in foro, & in judiciis tacerent, cohibere non potuit*. Neque plurium tamen, quam trium meminit, Amesiæ, Hortensiæ, & Cajæ Affraniæ, quarum ultima cæteris impudentior ad muliebris calumniæ notissimum exemplar, eodem teste, evasit, adeo ut *pro crimine improbis fœminarum moribus C. Affraniæ nomen objiceretur*.

Quamquam vero mulieres Romanæ nullam omnino civitatis partem attingerent, mirum, quo in rempublicam amore semper cum viris certarint. Non solum semel, atque iterum aurum in ærarium delatum, publicæque angustiæ suis ornamentis levatæ id testantur, sed studium etiam illud, quo toties legimus apud historicos Deorum delubra adiisse, aut gratias pro rebus bene gestis acturas, aut difficilibus temporibus eorum iram placaturas. *Matronæ* ait Li-

(a) *Liv lib. 34. cap. 7.* (b) *Liv. 34. cap. 2.* (c) *comp. Num.*
(d) *lib. 8. cap. 3.*

Livius (a), *quia nibil in ipsis opis erat, in preces, obtestationesque versæ per omnia delubra vagæ, suppliciis, votisque fatigare Deos*. Plura afferre hujusce rei testimonia, supervacuum arbitror. Supplicatum ire, amplexari simulacra, aras crinibus verrere, illis in publicis calamitatibus, nullo etiam jubente, usitatum. Accedit illud earum in patriam caritatis argumentum, quod optime de republica meritos cives publico luctu prosequebantur, quemadmodum annum luxisse L. Brutum (b), ac Valerium Poblicolam (c), Livius refert.

CAPUT XVIII.

Fœminæ Romanæ superstitiosæ. Matronarum funera.

PRopensum ad pietatem sexum, ac imbecillia fœminarum ingenia falsæ religionis error vix dici potest, quanta superstitione imbuerit. Verissime ajebat quædam (d),

— *Ut stulte, & misere omnes sumus*
Religiosæ ———

Meretrices ipsæ ludricos sibi Deos finxerant, quos irrisisse potius dicam, quam coluisse, sed nisi ita irriderent, ne turpis quæstus parum procederet, verebantur. Præcipue vero, cùm fœmina timidissimum animal natura sit, ostentis, & ominibus facile exanimabantur, ideoque hariolos, hariolatrices, idque genus impostores, & deliras anus in maximo habebant honore, adibantque frequenter, magnisque impendiis juvabant. Vide Juvenalem sub finem satiræ sextæ, ex quo nihil exscribo. Nullo autem tempore ad hæc non propensas Romanas fœminas, disce etiam ex Plauto, apud quem uxor dicitur hæc maritum rogare (e):

— *da, quod dem quinquatribus*
Præcantatrici, conjectrici, bariolæ, atque aruspicæ:
Flagitium est, si nibil mittetur, quo supercilio spicit!
Tum piatricem clementer non potest, quin munerem.

Locus hic esset agendi de sacris, quæ fœminæ Romanæ frequentabant, deque Diis, quos impensius colebant. Sed non ego id otii modo nactus sum, ut in hunc campum ingredi possim. Fortasse aliquan-

(a) *lib. 27. cap. 50.* (b) *lib. 2. cap. 7.* (c) *lib. 2. c. 16.* (d) *Terent. Heautont. act. 4. sc. 1. v. 36.* (e) *Milit. act. 3. sc. 1. v. 97.*

quando & id mantiffæ loco brevi huic tractatui adjungam. Modo coronidem imponere operi juvat, neque aliud insuper quærere, quam honores, qui post mortem fœminis habebantur.

Eodem funeris honore elatas fœminas, ac viros, puto, nihilque in exequiarum pompa nobilibus matronis invisum, quod principibus viris concederetur. Imagines majorum in matronarum funere prolatas, satis probat Cæsaris audacia (a), qui in Juliæ amitæ suæ funere Marii, cui nupta illa fuerat, imagines, quamvis hostis aliquando judicati, præferre non dubitavit. *Earum etiam sicut virorum post mortem solennis laudatio erat*, idque honoris a Senatu matronis additum, refert Livius (b), *quod cum in publico deesset aurum, quo summa pactæ mercedis Gallis confieret, a matronis collatum acceperat, ut sacro auro abstineretur*. Grandiores tamen natu fœminas duntaxat laudari solitas, narrat Plutarchus (c), novumque propterea fuisse, quod idem Cæsar uxorem suam adolescentiorem funebri oratione laudarit. Primus omnium fuit pariter Cæsar, qui in fœminarum funere gladiatores daret, ita enim Svetonius (d): *munus populo, epulumque in filiæ memoriam pronunciavit, quod ante eum nemo*. Vulgus tamen novum morem deinde imitatum, testatur Lipsius (e). Hæc matronarum funera. Verum & in meretricularum exequiis pompam, frequentiam, ploratum, atque omnia honoris plena videbis apud Terentium in Andria (f).

F I N I S.

(a) *Plutarch. Cæs.* (b) *lib. 5. cap.* 20. (c) *ibid.* (d) *Cæs. cap.* 26. (e) *Saturn. lib.* 1. *cap.* 8. (f) *art.* 1. *sc.* 1.

ORATIONES

DE

SANCTISSIMA TRINITATE

HABITÆ IN SACELLO PONTIFICIO

A

CONVICTORIBUS COLLEGII CLEMENTINI.

DE
SANCTISSIMA TRINITATE
ORATIO PRIMA.



Uguftiffimum TRINITATIS Myfterium, de quo apud te jubeor dicere, BEATISSIME PATER, omnis fentio vim orationis excedere, cum omnis vim fugiat intelligentiæ. Attonito adorandum filentio, quod ideo cognofcimus, non quod claram de Deo notionem, fed quod Deo nulla ratione labefactandam fidem habemus. Audaciæ eft id velle dicendo affequi, quod Deo revelante didicimus. Hoc enim tantum Myfterium ut clare nobis aliquando aperiret (a), nequaquam per Prophetarum oracula Deus ad nos defcendit, ut plura alia detecturus, ad quæ mentis acies evadere nulla poterat; fed ipfe inter nos verfatus ore fuo prodidit æternus Filius. Quod cum nobis innotuerit, gaudere quidem bono noftro debemus, fed magis adhuc, quod ita Dei ipfius gloria cumulatiffime aucta fit. Quæ enim præclarior laus excogitari unquam poteft ipfi deferenda, quam fi HOMOUSION TRINITATEM confitemur? Tunc de Deo digna fentimus, cum ea prædicamus, quæ inacceffa menti noftræ intelligimus. Mundi conditorem, ac gubernatorem cum dicimus, ea celebramus, quæ vel muta ejus opera diferte fatis enarrant; cum vero divinam illam Verbi generationem, Amorifque fpirationem colimus, ea prædicamus, quæ Deus unus teftari poterat, qui unus nofcit. Quis autem dubitet, majorifne gloriæ fit, has Cœlorum femper vertentium fphæras, hunc terrarum ftantem globum ab ipfo effe fabrefactum, an Parenti æqualem Filium, fpiranti æqualem Spiritum ante fæculorum exortum in ipfo extitiffe? Sapienter Cyrillus (b): *In Deo majus eft effe Patrem, quam Dominum, quia ut Pater genuit Filium fibi æqualem, ut Dominus creavit creaturas, quæ in infinitum minores funt Filio*. Eo præclarior itaque, Deoque dignior laus eft TRINITATEM fimplici animo fateri, quam ipfam Omnipotentiam ornare verbis, quo magis fuis ipfe Deus operibus præftat. Magna enim gloria ipfius eft quod ea poffit, quæ non intelligimus; longe tamen

(a) *D. Thom. c. gent. lib. 4. c. 1.* (b) *Lib. 1. Thef. c. 6.*

major, quod is sit, quem possit nemo intelligere. Fæcundum nobis fuisse, grandis est amoris significatio; at sibi fæcundum esse, ineffabilis naturæ argumentum. Omnipotentem ideo & Ethnici Deum fassi sunt, in una vero natura Trinum Orthodoxa tantum fides fatetur. Sicut enim æquum erat, ne totus omnes lateret, ita etiam, ne totus pateret omnibus. Si nulli passus fuisset ulla ratione cognosci, conditos a se homines contemnere visus esset; omnibus vero æque cognitus, amicos negligere dictus fuisset, quibus plura danda erant caritatis argumenta. TRINITATEM itaque tunc hominibus innotescere voluit, cum impensius cœpit homines diligere, quod inter ipsos & Filius censebatur. Tunc primum prodita hæc divina fœcunditas, non quæ in creaturas, tanquam exundantis fluminis exigua stilla derivatur, sed quæ alii Personæ, non alii Deo totam impertitur Deitatem. Auctam vero, ut par erat, Dei gloriam testatus est & Dominus Christus (a), cum ipso docente in manifesto cæpit esse nomen Patris, non illud, ut inquit Augustinus (b), quo vocabatur Deus, sed quo ejus Pater vocabatur. Quod quidem nomen cum nobis significasset, tunc opus suum absolvisse professus est (c). Adeo hanc Paternitatem declarari ipsius divinæ gloriæ intererat, ut mitti inter homines æternum Filium decuerit, vel ut hoc unum ignorare per ipsum liceret nemini. Hoc enim magnum est illud consilium, teste Chrysostomo (d), ad quod aperiendum legatus est ad homines Filius Dei. *Magni consilii Angelus*, ait ille, *dicitur Filius Dei, & aliorum quæ docuit gratia, & principaliter quod Patrem hominibus annunciavit*. Ita etiam sub nostra latitans humanitate, TRINITATIS gloriam amplificavit Filius. Cujus quidem imitatus exemplum, qui vicarias in terris ejus vices geris, eamdem gloriam non tueri modo, sed cumulare si fieri potest, niteris, cum TRINITATIS festum diem tua præsentia ornans, iterum omnibus testari videris, quod ipse testatus fuerat. Si quis autem ita esset audax, ut dubitaret, an Christi Vicarium geras Petro successor datus; hoc ejus audaciæ refellendæ satis videretur argumentum, quod TRINITATEM, quam Christus nobis prior prodidit, non profiteris modo, sed publica pompa celebrans, Christi maximum opus, aut instauras, aut persequeris.

ORA-

(a) *Evang. Joa. c. 17* (b) *Aug. in Jo. tract. 106.* (c) *Evang. Joa. c. 27.* (d) *Homil. 80. ex 17. Joan.*

ORATIO II.

SUpremo, BEATISSIME PATER, illius Sapientiæ consilio, *sine quo factum est nihil* (a), ita comparatum est, ut præcipua divinæ largitatis beneficia menti nostræ obversari nunquam possent, quin illa etiam ineffabilis, quæ Dei est aliquid supra Deum, TRINITAS personarum occurreret. Totum se, quantus est, Deus nobis tum maxime prodidit, cum dignum se opus hominis muneribus augendi suscepit, ut devinctus tanta beneficentia homo, eum, quem collatis donis optimum fatebatur, maximum satis ipsi soli comprehensa, & percepta natura religiosius coleret. Clarius itaque numquam unam tribus Personis communem naturam declaravit, quam cum & primo hominem condidit, & eumdem rursus per *lavacrum regenerationis* (b) reparavit. Ultimo enim, ideoque nobilissimo intentus operi, *faciamus*, ait (c), *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. Solitudinem, cæteris, quæ nusquam erant, jussis existere, ut ita dicam, simulavit; hominem vero ex luto excitaturus *loquitur ad coopificem Filium, & sanctum Spiritum* (d), & Trinum se profitetur. *Ita* (e) *non solum jubentis sermone, sed consilio Sanctissimæ Trinitis, & opere majestatis divinæ creatus homo* quadam etiam TRINITATIS Imagine honestatus est, ut assiduus in oculis author vel seipsum respicienti esset. Anima enim præditus, *quæ licet unius naturæ* (f), *tres tamen in se dignitates habet, idest intellectum, voluntatem, & memoriam*, quantum fieri potest, refert ipsam conditoris sui naturam, quæ una cum sit, una tamen hypostasi non circumscribitur. *Hoc si* (g) *cernimus, cernimus* TRINITATEM, *nondum quidem Deum, sed Imaginem Dei. Attende, & audi, o homo* (h), & qui ita conditus es, ut se tibi totum opifex tuus detegeret, tibi clarissimam sui Imaginem inscriberet, *honorem* (i) *similitudini divinæ nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum habere contende*. Verum quoniam, *ubi lapsus est homo* (k), *deposuit Imaginem Cælestis, sumpsit terrestris effigiem*, non minori usus est caritate Deus, ut tantam jacturam repararet, & qui illum *ad similitudinem suam* (l) *in primo Adam mirabiliter condidit, mirabilius in secundo reformavit*. Ecce iterum

(a) *Joan.* 1. (b) *Ad Tit.* 13. (c) *Genes.* 1. (d) *Chrys. serm. de Trinit.* (e) *Amb. de dign. cond. hum. cap.* 2. (f) *Ambros. ibid. cap.* 2. (g) *August.* 14. *de Trinit.* (h) *Deuter.* 27 (i) *Amb. de dign. cond. hum. cap.* 3. (k) *Id. Hexam. lib.* 6. *cap.* 7 (l) *Idem de dig. cond. hum. cap.* 3.

rum *Spiritus Domini super aquas* (a). Ecce iterum clarissimo testimonio TRINITATIS nobis mysterium aperitur, dum abluendus Christus *aquas sanctificat* (b), *& purificatione sui purificat fluenta illa, quæ tangit, ut secuturis postmodum populis lavacri gratia ministretur. Ergo* (c) *descendit in aquam Christus, & Spiritus Sanctus, sicut columba descendit. Pater quoque e Cœlo locutus est: Habes præsentiam* TRINITATIS. Sicut itaque, cum primum e luto fingeret, ita etiam Trinum se planissime significavit, cum iterum *non de terra componens* (d), *sed alio nos elemento, idest per aquarum naturam progenerat.* Non alio ideo nomine oportebat nos ad aquas illas admitti, quam *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* (e), ut tandem sentiremus, ejusdem esse opus, quod e peccatis possemus emergere, cujus fuerat, quod, qui non eramus, aliquando extiterimus. Sicuti vero, cum primum inter ea, quæ erant, censeri incepimus, præclarissima TRINITATIS imagine ornati sumus; ita cum Cœlestibus aquis abluimur, mirabili illo triplici Virtutum dono *conformamur* (f) TRINITATI. Sic *ad eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem sicut a Domini spiritu* (g). Per Fidem enim, Spem, & Caritatem ultimo fini assequendo optime constituti, quem per Fidem agnoscimus, speramus; agnoscentes, & sperantes diligimus. Triplex itaque virtutum nodus eodem simul una tendentium novam quandam TRINITATIS imaginem in nobis iterum adumbrat. Tantorum igitur beneficiorum memor ea, qua par est, reverentia Augustissimum TRINITATIS Mysterium homo colat, & ab ipsa conditus, ab ipsa reparatus, ejusdem imagine bis donatus, sentiat etiam se triplici nomine illi devinctum. Hujus admonemur in Evangelio, ubi dicitur (h): *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, idest ex toto intellectu, & ex tota voluntate, & ex tota memoria, ut in quantum intelligitur, diligatur, & quantum diligitur, semper in memoria habeatur.*

ORA-

(a) *Genes.* 1. (b) *Ambr. serm. de Bapt. Domini.* (c) *Id. de Sacr. lib.* 1. *cap.* 5. (d) *Chrys. hom. ad Baptiz.* (e) *Matth.* 28. (f) *De Thom.* 3. *dist.* 13. *qu.* 1. *art.* 5. (g) 2. *Cor.* 3. (h) *Amb. de dign. cond. hum. c.* 2.

ORATIO III.

INani deterremur metu, BEATISSIME PATER, ne ad divinorum Mysteriorum abditissimos contendamus recessus ineffabile scrutaturi Sanctissimæ TRINITATIS arcanum, cum omne genus hominum Deus fecerit, inhabitare super universam faciem terræ, quærere Deum, si forte attrectent eum [a], & inveniant. Plenus quidem periculi modus est; ipsa vero supremæ veritatis investigatio necessaria: & qui vetamur plus sapere, quam oportet, sapere ad sobrietatem [b] jubemur. Ideo se nobis Deus videndum nunc dedit per speculum in ænigmate [c], ut spe excitati eo facilius aspiremus, ubi illum tandem facie ad faciem intueamur. Ipsi autem, super quos signatum est lumen [d] vultus divini, ad Dei imaginem, & similitudinem [e] facti, & speculum sumus, unde imago elucet, & enigma [f], obscura sane, aliqua tamen cum eo, quem referimus, similitudine intercedente. Non una enim ratione TRINITAS increata indidit [g] creaturæ suæ TRINITATIS qualiacunque vestigia, ut per cognitionem nostrum valeamus pervenire [h] ad cognitionem Dei. Quantum namque in cognitione nostrum proficimus, tantum ad cognitionem Dei accedimus. Facti sumus ad TRINITATIS imaginem, qui ab ea facti sumus in animam, iterumque ad similitudinem, qui facti sumus in animam viventem. Illud est sublimissimum naturæ donum, hoc vero sanctissimum præclaræ naturæ opus: veteris illud hominis, hoc novi, qui renovatur in agnitionem [i] secundum imaginem ejus, qui creavit illum. *Quod facti sumus ad imaginem*, ait Damascenus [k], *intellectuale ostendit, & liberæ voluntatis, arbitriique potestatem: quod autem ad similitudinem, ostendit per virtutem (quantum homini possibile est) assimilationem*. Quid TRINITATIS imaginem alibi quæris, qui eam, quam ipse præfers, ignoras? Audi Bernardum [l]: *Mens imago Dei est, in qua sunt tria, idest memoria, intelligentia, & voluntas. Per memoriam* [m] *Patri similes sumus, per intelligentiam Filio, per voluntatem Spiritui Sancto*. Disce tamen, qui ad imaginem TRINITATIS creatus es, jussum quoque te, ei per virtutem, operumque fæcunditatem similem fieri. *Si enim*, inquit Leo [n], *creationis nostræ intelligamus exordium*,

[a] *Act. Apost. 17.* [b] *Ad Rom. 13.* [c] *1. Corinth. 13.* [d] *Psal. 4.* [e] *Gen. 1.* [f] *Ex Aug. l. 15. de Trin. c. 8 & 9.* [g] *Ex Fulg. de Trin. c. 7.* [h] *Ex Bern. in medit. c. p.* [i] *Ad Col. 3.* [k] *Jo: Damasc. Orth. Fid. l. 2. c. 12.* [l] *Bern. in medit. c. 1.* [m] *Ibidem.* [n] *Leo serm. p. de jeju. dec. mens.*

dium, inveniemus hominem ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset authoris. Qui igitur facti sumus in animam viventem, secundum interioris hominis trinitatem [a] vivamus, & præclarissimæ naturæ dono ne abutamur, quæ si minus suas [b] exequitur partes, quod reliquum habet natura in nobis totum turbabitur, totum quasi quadam vetustatis operietur rubigine. *Hæc enim trinitas mentis*, Patrum testimonio [c], *non propterea Dei imago est, quia sui meminit mens, & intelligit, ac diligit se, sed quia potest etiam meminisse, & intelligere, & amare, a quo facta est*. Una hæc ratio carissimis filiis, qua Dei possint esse imitatores, si ambulent in dilectione [d]. In hac enim & illa duo [e] consequenter intelliguntur, quia nemo diligit, cujus non meminit, & quod penitus nescit. Proh quam facile est, cum in his omnibus certissimas videamus trinitates [f], quia in nobis fiunt, vel in nobis sunt, instructos caritate, & omnibus divitiis [g] plenitudinis intellectus ascendere in agnitionem mysterii Dei Patris, & Christi Jesu. Quisquis ejus meminit [h], eumque intelligit, ac diligit, cum illo est. Nostræ adscribamus cæcitati, quod videntes [i] non videamus, & audientes non intelligamus TRINITATEM, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum [k]. In Patre enim sumus [l], in Filio vivimus, in Spiritu Sancto movemur, & proficimus. Recordemur itaque Patris, in cujus ditione sumus: vivamus in Filio, in Fide viventes [m] Filii Dei, qui dilexit nos, & tradidit semetipsum [n] pro nobis: moveamur in Spiritu Sancto, operante Fide per caritatem [o], quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Ita, quod testatur Apostolus, non solum [p] imago Dei erimus, sed & gloria: imago, mente præditi tam sublimi; gloria [q] vero, ei, qua licet, imitatione similes effecti, & de gloria creationis in gloriam justificationis per eandem imaginem (r) transformabimur. Ante omnia autem [s] in nobismetipsis caritatem continuam habeamus. Si enim amor in nobis desideretur [t], totius imaginis notæ mutatæ scilicet erunt.

ORA-

---

[a] *Ex Aug. de Trin. l.13. c.20.* [b] *Ex Bern. serm.83. sup. Cant.* [c] *Aug. de Trin. l.14. c.12. Et Ber. in medit. c.p.* [d] *Ad Ephes.5.* [e] *Ex Aug. de Trin. lib. 14. cap.14.* [f] *Ex Aug. de Trin. l.15 c.6.* [g] *Ad Colos. 2.* [h] *Ber. medit. c.p.* [i] *Lucæ 8.* [k] *Act. Apost. c.17.* [l] *De Bapt. Christi inter opusc. Cypriano adscripta.* [m] *Ad Gal. 2.* [n] *Ad Gal. 5.* [o] *Ad Rom. 5.* [p] *1. ad Corinth. 11.* [q] *Ex Aug. de Trin l.15. c.8.* [r] *2 Corint. 3.* [s] *p. Petri 4.* [t] *Ex Greg. Nyss. de hom. opific. c.5.*

ORATIO IV.

CElebratis reparationis humanæ, insidentisque discipulorum vertici Spiritus Sancti mysteriis, non alio, quam eo, quod desuper immittitur, illustrata sapientiæ lumine Ecclesia Mater ineffabilia TRIADIS arcana continenti sacrorum serie colenda proposuit. Cum enim tot extiterint sacrilega Hæreticorum capita, quibus dum sapere plus optant, quam oportet, crux Christi, & Sancti Spiritus missio impiorum fuit errorum occasio; æquum erat, ut postquam & Filium sublatum in crucem, & delapsum in discipulos Spiritum venerati sumus, ejusdem cum Patre naturæ Personas omnes continuo profiteremur. Quod augustius nequaquam fieri poterat, quam si, instituto universæ TRINITATIS cultu, distinctionem Personarum singulis recurrentibus mysteriis confessi, individuam earum solemnibus ceremoniis celebraremus naturam, & qui in cœlo apud se unum sunt (a), inoffensa regula veritatis, a nobis tandem non separarentur in terris. Id vero quod fidem firmat, mirum etiam, quam caritatem nostram inflammat. Usurpata enim singulorum beneficiorum memoria, simul universa iterum menti subjiciuntur, ut tantum pietas nostra augeatur, quantum cæteris juncta singula acquirunt magnitudinis. PATREM, FILIUM, & SPIRITUM SANCTUM submisse vocantibus facile quidem occurrit, quot nominibus obnoxii Deo simus, cum Patris omnipotentia conditos nos, cum non essemus, forma accepta servi vindicatos a Filio in libertatem captivos, diffusa per Spiritum Sanctum caritate in cordibus nostris impios sanctitate donatos meminimus. Quæ quamquam non fatetur nemo, Ecclesiæ tamen fuit sollicitæ de filiorum erga tantam largitatem animo parentis, rursus velut compendio quodam per unius celebrationem mysterii universa recolenda proponere. Ex quo & illud simul factum est, ut intelligamus, quæ a singulis divinis Personis homini collata sunt, ea nos toti debere Sanctissimæ TRINITATI (b): quæ inseparabiliter operatur. Quis enim ita audax, ut nos dicat soli Patri debere, quod creati simus? Ipsius quidem, qui principium (c), & origo est substantiæ universorum, asserimus omnipotentiam; sed cum cœlos ejus Verbo firmatos (d), & Spiritu oris ejus omnem eo-

(a) *Max. hom. de exp. Symb.* (b) *Fulg. cont. ser. Fastid. c. 2.* (c) *Amb. Hex. l. 1. c. 5.* (d) *Psalm. 32.*

eorum esse virtutem, audimus, uni Deo, TRINITATI augustissimæ, acceptum referendum admonemur, quod nos, quod nobis cætera crearit. An vero reparatus, & e ruinis suis iterum excitatus homo ita unius Filii misericordiæ, qui unus caro factus est, adscribi debebit, ut nulla aspergatur laude universa TRINITAS, a qua (a) facta est illa caro? Gratiæ Filio agendæ, qui obtulit semetipsum (b) pro nobis: agendæ Patri, qui sic dilexit mundum (c), ut Filium suum unigenitum daret, ut verissimum sit, illam incarnationem, & ex Virgine nativitatem (d), in qua Filius intelligitur missus, una eademque operatione Patris, & Filii inseparabiliter esse factam; non utique inde separato Spiritu Sancto, de quo aperte dicitur: inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. At cum invisibilis descendit in nos Spiritus ille, qui spectantibus omnibus quondam supra capita discipulorum consedit, mitti a Patre in nomine Filii scimus, & Sanctissima TRINITATE corda nostra inhabitante, nos justitia augeri, & sanctitate. Non enim fallit is, qui pollicitus est: apud eum veniemus, & mansionem (e) apud eum faciemus. Dum lapides vivi ædificamur (f) in domum spiritalem, per Filium (g) coædificamur in habitaculum Dei in Spiritu. Sapientissime dictum propterea est (h), sanctam naturalem unitatem, & æqualitatem, & caritatem TRINITATIS, quæ unus solus, & verus est Deus, unanimitate sanctificare, quos adoptat. Publico itaque, solemnique cultu, statim a celebratis distinctarum Personarum mysteriis, unam eamdemque in triplici hypostasi naturam, hoc tamquam symbolo, & tessera contra Fidei hostes usi, dum veneramur, TRINITATEM unum Deum (i), ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, enixe obtestemur, ut omnes tandem homines velit sibi in Ecclesia magna (K) confiteri.

ORA-

(a) *Fulg. loc. cit. cap.* 19. (b) *Eph.* 5. (c) *Joan.* 8.
(d) *August. de Tr. lib.* 2. *cap.* 5. (e) *Joan.* 14. (f) *p. Petri* 2.
(g) *Eph.* 2. (h) *Fulgen. ad Mon. lib.* 2. *cap.* 11. (i) *August. de Doctrina Chr. c.* 5.
(k) *Ex psal.* 34.

ORATIO V.

QUÆ ab explicando Sanctissimæ TRINITATIS Mysterio deterrere debuissent, BEATISSIME PATER, maximum errantis periculum, & maximus investigantis labor, ea animos faciunt, & timidissimum quemque ad orationem hortantur. Cum uno hoc Religionis nostræ summam contineri, eoque cœtera Fidei mysteria tamquam fundamento inniti, mecum tacitus considero, non alicubi periculosius errari, facile intelligo. Dei vero scientiam (a) mirabilem adeo ingenii nostri vires exsuperare, ut nemo ad eam pervenire possit, minime ignorans, fateri ultro cogor, nihil laboriosius quæri, quam Dei scientiam nostram (b) vincentis naturam. At non alia de causa existimarim, *nihil (c) fructuosius hujus tanti mysterii cognitione inveniri, quam quod, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur*. Tantum enim errantis periculum hujus mysterii cognoscendi necessitatem: tantus quærentis labor ejus ostendit excellentiam. Quid autem majori cum fructu invenietur, quam id, quod ita magnum, ut inveniri necesse sit, & adeo excellens est, ut latere non debeat? Qui negligens renuit quærere, non, ut par est, de tanta excellentia cogitat: qui laboris impatiens non invenit, ejus plane ignorat necessitatem. Si quæras, periculis quidem occurris, at nisi inveneris, in eum incidisti errorem, quem metuebas. Loquamur igitur nullo timore de Sanctissima TRINITATE, & quod quærentes de illa tandem invenimus, in medium proferamus. Ne vero se existimet nihil invenisse, qui (d) quam sit incomprehensibile, quod requirebat, potuit invenire. Una enim hæc ratio tanti Mysterii citra erroris periculum inveniendi est, cum diu quæsieris, nihil invenisse. Sublimissima veritas, quæ investigantes fugit, credentibus proditur, frustraque intellecturus homo laborat, ipso teste Spiritu Sancto (e), nisi credat. Væ Prophetis (f) insipientibus, qui sequuntur Spiritum suum, & nihil vident. Cœlestis Spiritus gratia, ejusque invisibilis unctio docet (g) nos de omnibus, nec aliis dici potest, quod omnia, quæ ad unam in triplici hypostasi naturam pertinent, probe norint, præter illos, quibus vere dici potest, vos unctionem (h) habetis a Sancto. Caligare enim necesse est primum, deinde in errores maximos ruere, qui lucem illam (i) inac-

(a) *Psal.* 138. (b) *Job.* 36. (c) *August. de Trin. l. p. cap.* 3. (d) *August. de Trin. l.* 15. *cap.* 2. (e) *Isai.* 7. (f) *Ezech.* 13. (g) *Joan. ep. p. cap.* 2. (h) *Ibidem.* (i) *p. Timot.* 6.

inaccessibilem, ab omni nempe rationis judicio semotam, quam Deus inhabitat, intueri satagentes, id volunt perscrutari, quod credere jussis discutere (a) permissum non est. Hebetis ingenii vires confessus noli altum (b) sapere, sed time, ne cum extolli nimium cupis, provolvaris in præceps: time, ne cogaris ejus magnitudinem sentire supplicio, quam nulla unquam scientia comprehendes. Dementis est, rationi potius nostræ de Deo, quam ipsi credere, qui nostram nisi intelligentiam vincit, nullus est. Tunc ejus naturam intelligimus, cum intelligi non posse cognoscimus: tunc intelligimus, cum tremebundi ejus nomini procumbimus, ejus numen reveremur. Deum enim aliquatenus, quantus sit potest is cognoscere, (c) qui per Spiritum collatum discit timere. Quid David? Nonne alto defixus timore, & horrore multo correptus clamabat, confitebor tibi (d), quia terribiliter magnificatus es? Quid Seraphin ipsi? Nonne velata facie (e), Dei scilicet non sustinentes aspectum, unam eamdemque Trium Personarum sanctitatem fatentur? Jure propterea Petrus, qui ex Trinitatis confessione meritus est Christi Vicarius renunciari, ideo Filii divinitatem cognoscere Apostolos asseruit, quod (f) credebant: & nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei. Huc igitur spectent quærentium labores, ut nihil invenisse contenti tandem quiescant. Id unum qui de Augustissimo TRINITATIS Mysterio invenerint, id unum qui intellexerint, tota animi securitate confessi sciant, se omne errandi periculum evasisse, magnumque suorum cepisse laborum fructum. Mihi sane absolutissima scientia sit illud Bernardi (g) usurpare: Fidenter dixerim, æternam, beatamque TRINITATEM, quam non intelligo, credo, & Fide teneo, quod non capio mente.

ORATIO VI.

Audaciæ plenum opus, BEATISSIME PATER, videri posset de ineffabili TRINITATIS mysterio aliquid fari, & quod intelligentia assequi potest nemo, id verbis velle explicare. Neque illud nobis ore suo detexit Deus, neque Ecclesia colendum proponit solemni hac die in ejus honorem indicta, ut illud quispiam inani studio scrutari audeat, aut fide mortua tantum, hoc est sine bonis operibus confiteatur; sed ut ejus aliquando videndæ majestatis desiderio omnes inflammemur, quam nec complecti verbis, nec ratione

(a) *Ambr. de Fid. ad Grat. l. 1. cap. 2.* (b) *ad Rom. 2.* (c) *Tertul. de Trin.* (d) *Psal. 138.* (e) *Isai 6.* (f) *Joan. 6.* (g) *Ser. 76. in Cant.*

tione comprehendere satis possumus. Qui enim scimus hanc esse vitam æternam, ut cognoscamus unum verum Deum, & quem misit (a) Jesum Christum, qui novimus, tunc demum beatos nos fore, cum eum facie ad faciem intuebimur, quem nunc videmus per speculum (b) in ænigmate, numquam debemus non eo votis aspirare, & operibus ad eam cumulatissimam felicitatem contendere, quæ ineffabilis æque est, ac Trinitas illa divina, unde emanat. Per fidem itaque ambulemus (c), ut, quia credimus, videre mereamur, atque ad speciem per fidem perductos esse aliquando gaudeamus. Nullus major haberi potest Sanctissimæ Trinitati honor, major nulla laus inveniri, quam si ejus, quo par est, amore capi tandem incipiamus, ac beantis illius faciei desiderio teneri. Perditus ille, qui secus faciens ad eos accedere videtur, qui cum cognovissent Deum (d), non sicut Deum glorificaverunt. Invocemus eum (e), & honorificabimus eum: Patris Omnipotentiam, Sapientiam Filii, Caritatem Spiritus Sancti invocemus, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate, Filii scientia illustrati, amore Spiritus accensi cognoscere, & diligere possimus. Quod quidem cum & debitum, & facile est omni tempore, tum hodie potissimum, cum ante ipsam consistere datum est Ecclesiam cum Capite suo visibili hic coactam, tanta consessus majestate, quæ una, si ulla in terris dari potest, qualem qualem Cœlestis aulæ, cui adstant Angelorum millia imaginem refert, cum illam Trinitatis aspectu beatam Civitatem adumbrat Jerusalem hæc nova, de Cœlo a Deo ut Sponsa ornata descendens. Sed præter terrenam hanc, corporisque oculis subjectam cœlestium rerum imaginem, quidquid nos ad æternam quærendam felicitatem potest excitare, id omne mentibus nostris felicissima hæc dies exhibet. Colitur Ecclesiæ Matris instituto Sanctissima Trinitas, cujus aspectus una est beatitatis æternæ ratio: Proponuntur nova, eaque luculenta, infallibili supremi Magistri, ac Doctoris oraculo cœlestes Sanctissimis hominibus honores decernente, virtutum exempla, quæ una sunt consequendæ beatitatis æternæ via. Quid enim beatam animam faciet (f), nisi meritum suum, & præmium Domini sui? Quale autem requiratur meritum, novorum Sanctorum exempla satis declarant, quale futurum sit præmium, ipso audito Trinitatis augustissimæ nomine facile cognoscimus. Sapientissime propterea ita hæc comparata dicam, ut simul & præmii magnitudo, & meriti facilitas mentibus nostris occurrat. Trinitati exhibitus honor

---

(a) *Joan.* 17. (b) *Cor. p. c.* 13. (c) *Aug. l.* 14. *de Trinitate c.* 2. (d) *Rom.* 1.
(e) *Psalm.* 49. (f) *Aug. de Trinit. l.* 14. *c.* 15.

nor id efficit, ut eam aliquando cognoscere, sicuti & (a) cogniti sumus, ardentissime optemus: eorum exempla, quos Cælitibus adnumerandos accipimus, ut quadam cum ipsis æmulatione excitati, quod desideramus, id assequi conemur. Cum enim elegerit nos Deus in Christo (b), ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ipsius in caritate, quis morum sanctitatem servare nolit in terris, quam non adeò difficilem esse, ut prophani jactitant, novis his exemplis docemur, ut aliquando sancti esse in conspectu ipsius Trinitatis vellimus, quam confitemur & colimus? Quoniam vero obviam habemus hodie gregem Prophetarum (c) descendentium de excelso, fore speramus, ut insiliat in nos Spiritus Domini, & prophetemus cum eis, & mutemur in viros alios. Faxit itaque Sanctissima Trinitas Sanctorum suorum intercessione, ut eis moribus, eaque simus vita, qua possimus aliquando ejus aspectu beari, & clare ejus facie fruamur, quam modo nec satis oratione explicare, nec perfecte possumus intelligere.

(a) *Corint. p. c.* 13. (b) *Ephes.* 1. (c) 1. *Reg.* 10.

ORATIONES FUNEBRES.

IN FUNERE
JOANNIS BAPTISTÆ
NICOLOSII
EQUITIS,

Magni Venetæ Reipublicæ Cancellarii.

ORATIO.



I quid pertinet ad præclarissimos viros, qui vita cesserint, honestissimi funeris pompa, Serenissime Princeps, eo rerum, verborumque honore, Joannis Baptistæ Nicolosii Equitis, Magni Reipublicæ Cancellarii exsequias celebramus, ut se uberrimos actæ vitæ fructus consequutum, tantus vir sentire jam possit. Magnificentissimum apparatum, sublimem cænotaphii molem, maximam hanc cereorum funalium vim, hanc tantam funus prosequentium celebritatem, quin maximam pompæ partem Principem ipsum miretur nemo. Hæc omnia Magno Cancellario, debentur fortunæ potius, quam virtutis argumenta; illud Joanni Baptistæ Nicolosio defertur, quod funestæ familiæ luctus, universæ Reipublicæ dolor, omnium generum, atque ordinum lacrymæ extincto parentant. Quid enim præclarius viro in illustri familia nato, quam non prolatis majorum imaginibus accepti splendoris, sed frequenti posteritate, principis, & alterius ordinis flore, funus non sine lacrymis comitante, fidem fieri ejusdem amplificati? Quid civi maximis, clarissimisque muneribus perfuncto ad gloriam uberius, quam amplissimos Magistratus, totumque Senatum funeris mærore bene administratæ reipublicæ testimonium dare? Quid illi splendidius, qui sibi nunquam, sed aliis vixit, quam omnem ætatem, omne genus, omnem ordinem, patronum, parentemque conclamantes, qua funus processit, funeri accedere, ut totius civitatis humeris efferri videatur? Verum hæc omnia ille fortasse negligit nova longe maximæ gloriæ,

ut fas est credere, possessione auctus, cum eadem interim ipsi, quisque secum, quisque cum eo, qui propior est, reputantes, alter alterius invicem dolorem augeamus, neque ullum patiamur unquam memoriam dimittere, quem, quantumque virum amisimus. Inter tot dolendi causas exasperaturum me tam grave omnium vulnus, probe scio, si illi ullam adhibere medicinam vellem. Quamquam quæ inveniri posset leniendi doloris ratio, nisi me prævaricari velitis, qui Magni Cancellarii funus debita laudatione prosequi jussus sum? Etenim cum ipse tanti viri laudes dicere, ejusque virtutes oratione complecti aggrediar, novam addere me dolendi causam necesse est, ejus desiderium refricantem. Quoniam itaque fieri non potest, ut, quod maxime vellem, fræna injiciam omnium dolori; quominus novos ipsi stimulos addam, nulla ratione prohibebor, magnique viri ita laudationem instituam, ut omnes intelligere velim, justissimam esse causam dolori suo. Quisque, me dicente, suscepti Joannis BAptistæ Nicolosii interitu damni magnitudinem æstimate. Amisisti, generosa familia, omnium maximum ornamentum: amisisti egregium unice civem, Respublica Serenissima: virum ad omnium utilitatem natum omnes amisimus. Faveo dolori vestro, auditores, dum illi ostendo inesse rationem: faveat dolor vester dicenti paulisper coercitus, & breve silentium largioribus mox lacrymis, & majoribus rependendum gemitibus sui juris jacturam ne credat.

Magnificum quidem initium sumeret oratio mea, si veteri, illustrique prosapia virum laudaturus, eum dicerem, ita clarissimum nomen sustinuisse, ut nunquam vinci rerum gestarum gloria a majoribus suis potuerit. Ampliora tamen mihi de Joanne Baptista Nicolosio dicenda sunt, cujus tanta fuit laus, ut quod nomen clarissimum a majoribus accepit, posteris suis longe clarius reliquerit. Obscuraverat omnino ille, salva pietate, avorum omnium imagines, nisi nova quadam luce conspiciendæ essent, postquam non ex avis nepos, sed ex tanto nepote incipient avi, atavique omnes nominari, sive qui Venetiis, sive qui Patavii floruere. Patavio enim, ubi inter nobiliores, & vetustiores censebatur, huc Nicolosiæ gentis pars tribus abhinc sæculis commigravit, quæ statim ad rempublicam admota est, atque in eum clarissimum ordinem cooptata, cui uni secretiora consilia respublica credit, & mandat perficienda. Cum vero huic ordini adscripti Nicolosii egregiam reipublicæ operam domi navarent, qui Patavii in veteri majorum sede substiterant, eorum exemplo accensi sunt ad paria fidei, caritatisque in Principem argumenta militiæ prodenda. Sæculum exibat, quo Joannes Nicolosius primum, mox Nicolaus filius Veneti Senatus arcanis

con-

consiliis interfuerant, mire Patribus uterque carus, cum Sebastianus Nicolosius inter centum illos genere nobiles, impigros animo juvenes, Patavinæ civitatis decreto Venetis copiis auxilium bello Cyprio mittendos, ut conscriberetur, rogavit, votique compos pro Famaugustæ muris fortiter pugnans mortem oppetiit honestissimam. Hæc tanta virtus ita Nicolosios conciliavit Patavinis, ut haud ita multis ab hinc annis extinctæ, quæ apud ipsos magno in honore fuerat, familiæ damna reparaturi, alteri huic gentis ramo, qui altas jecerat Venetiis radices, Patavinæ nobilitatis jura iterum ultro restituerint, magnum civitati suæ ornamentum accessurum rati, si ex suis essent, qui in summa hac republica versarentur consiliorum omnium participes, & gravissimis rebus præpositi. Quamvis autem tam claræ imagines posteros facile oneraturæ viderentur, ea tamen extitit semper apud minores virtus, ut majorum gloria minime contenti eam ad nepotes cumulatiorem transmittere conati sint. Ne vetustiora persequar, quis nostrum quatuor magno animo, magno ingenio, magna industria fratres miratus non est, Nicolosii, ac Verdizzoti generis, quo nomine jam inter patricios illustri erat mater, gloriam amplificare simul aggressos? Singulis vero Cancellariæ adscriptis, quæ una est alterius ordinis civibus accedendi ad rempublicam via, cum eadem omnibus eundum esset, timor omnibus fuit, ne in honorum curriculo alter alteri esset impedimento. Hoc primum fuit inter ipsos virtutis certamen, quo quisque vinci cupiebat, donec cæteri Angelo natu maximo velut decedentes, ultroque gloriæ, quam sibi præripere poterant, spem abdicantes ita inter se compararunt, ut se totum ille reipublicæ dederet, suæque, ac familiæ laudi potissimum serviret. Cessit hoc tamen aliquando in maximam gloriæ segetem Joanni Baptistæ, qui parum putasset majores omnes, in quibus magnum paterno, maternoque generi decus fuit, vincere, nisi & fratrem vincere sibi proposuisset, quem non fuisset nemini extrema laus exæquare. Deterruisse profecto alium quemvis poterat a capessenda republica Angelus ordinis sui præclarissimum lumen, universo Senatui, ac præcipuè excelso X-Virum capitalium collegio, supremoque III-Virum optimo civitatis statui tuendo præpositorum tribunali unice probatus, cujus sanctioribus, ac secretioribus consiliis per duos & quadraginta annos adfuit, summa fide, summa in agendo dexteritate, summa in promovendis negotiis prudentia. Hic, qui inter Veneti Archicancellariatus candidatos paucissimis punctis superatus aliquando ab illustri competitore fuerat, visus erat Nicolosiam familiam eo provexisse, ut nulli esset sui ordinis secunda. Verum, eo extincto, Joannes Baptista, qui magnam sui expectationem

 aliis

aliis muneribus præpositus jam excitaverat, cæpit enixius honorum culmen appetere, brevique eo pervenit, ut jam maximus familiæ splendor unus sit, majoresque omnes, ac fratrem post se longo intervallo reliquerit. X-Virum enim collegio arcanis excipiendis datus, per decennium ita difficillimam provinciam obtinuit, ut cumulum tot in rempublicam officiis addidisse visus, præclarissimam Magni Cancellarii dignitatem, insignibus, & honorificis titulis satis illustrem, & equestri magis auctam gradu tandem in veterem familiam attulerit. Antiquiora propterea æque, ac recentia ornamenta in posterum Nicolosii minime jactent: quam imaginem ostentent, ea sit Joannis Baptistæ: hic unus dignitatis, nobilitatisque auctor prædicetur: hic equestri torque, hic Magni Cancellarii purpura familiam unus honestasse memoretur. Quam vobis itaque justa est dolendi causa, Joannis Baptistæ, Constantine, frater, Joannes, & Angele, Bernardi alterius fratris filii, tanto amisso familiæ vestræ ornamento? Aspectu venerabilis senis recreari non amplius licet, non amplius in ejus ore, verbisque conquiescere. Unius mors solitudinem in vestra domo fecisse vobis videtur, gloriamque totius gentis extinxisse, postquam illud invidit familiæ lumen, unde tantus omnibus splendor. Minus tamen dolendum putaretis, si privatim tantum dolendum esset; publice egregii civis morte vobis præcipue dolendum est, quos idem exemplo suo, suisque hortationibus ad patriæ caritatem mirifice finxit.

Magnum est, quod dico: per annos unum & sexaginta egregia Joannis Baptistæ Nicolosii opera usa respublica ejus tamen nuper extincti non afflictari desiderio non potest. O maximum sane virum nunquam agendo defatigatum, cujus mors seni perquam matura, adhuc reipublicæ immatura est! Plurimos novimus, qui urbanarum curarum fastidio reipublicæ administratione sponte dimissa in literis, aliave otii oblectatione intra privatos parietes senescere maluerunt, nonnullos etiam, quibus non petentibus ob eam, quam nimia assiduitas afferre solet in oculis semper viventium satietatem, a reipublicæ administratione velut honesta missio concessa est. Nicolosius Joannes Baptista unus fuit, quem ab ineunte adolescentia ad gravissimam senectutem nunquam pertæsum est reipublicæ, cujus nunquam rempublicam pertæsum est. Ejusne amorem in patriam mirer, an in rebus agendis solertiam? Supra fidem ille, qui effecit, ut nulla res eum a republica divellere posset; hæc supra modum, qua factum est, ut nunquam illum a se dimittere respublica voluerit. Urbanis plerumque muneribus præfectus, cum amplissimis primum magistratibus, universo deinde Senatui, mox gravissimo X-Virum collegio,

legio, quæ sui ordinis, ac muneris erant, omnia officia præstitisset, quamvis publicas ædes, comitium, curiam per tot annos quotidie premeret, Principis Solio, Senatorum subselliis, maximorum judicum tribunali quotidie adesset; ipsa in dies gratior assiduitate, eoque majori apud omnes gratia, quo magis hæc in oculis posita erat, honorum curriculo confecto, majoribus comitiis, maximo omnium favore, & consensu Magnus Cancellarius renuntiatus est. Subeat quæso recordatio, quem habuit in dignitatis petitione competitorem, clarissimum virum scilicet, optime eundem de republica meritum civem, qui obeundis publicis negotiis apud maximos Europæ Reges, & Respublicas diu, ac sæpe Venetiis absfuerat. Qui tunc fuerit civitatis sensus, quam suspensi animi, cum utriusque par esset in rempublicam meritum, multa, & magna utriusque in Principem officia, probe meministis. Hujusmodi autem erat omnium sermo: ut nihil unquam offenderit apud ullum Nicolosius, incertum, an sui fastidium, satietatemque superaverit. Nimius fuit in oculis omnium: multa petiit, plurima adeptus est: sæpe suffragia sibi eblanditus, sæpius aliis. Maximorum, quos pro republica suscepit, laborum testes sunt oculi nostri, at testes etiam collatorum honorum. Gratior ille solet oculis esse, cui minus assueverunt. Prælatus nihilominus alteri est Nicolosius, & quod optime etiam de republica merito fore credidimus, ut obesset, id illi potissimum profuit assiduum in omnium oculis fuisse. Tanta ejus fides, tantus in patriam amor, tanta in obeundis muneribus solertia, & vigilantia, ut plus ad conciliandam omnium gratiam operæ assiduitas, quam frequens oculorum consuetudo ad satietatem afferendam potuerit. Joannes Baptista autem Nicolosius, cum primum Archicancellarius designatus est, non honoris fine amplissimam dignitatem æstimavit, sed eo lætissimus iniit, quod nullis temporibus circumscripta, nec nisi cum vita dimittenda, non alium quoque agendi, præstandæque Principi operæ finem faciebat, quam vitæ. Hanc diligentiæ conscientia illi securitatem pepererat, ne, quam in oculis habitans gloriam consequutus fuerat, vel si æternum habitare pergeret, amisurum se unquam, dubitaret. Ut vitatæ satietatis, quam effugere ne clarissimi quidem viri aliquando potuere, laus major appareat, artificiose prætermire me fortasse creditis, quod non domi solum, sed peregre etiam gravissimarum rerum procurationem suscepit. Atqui non ego ita sum insipiens, ut hac eum nova laudis messe fraudatum velim. Desiderarunt aliquando oculi nostri Joannem Baptistam Nicolosium, sed ut ad ejus gloriam uberrimum fuit, quod carissimi civis aspectu, quem alio ad maximarum rerum momenta curanda proficisci jusserat,

rat,

rat, patria nonnunquam caruerit; ita ad sui fastidium declinandum, si ab hoc metuisset, parum illi fuisset breve. patriæ desiderium profuturum. Numquam opus fuit, gloriam, quam sibi domi Nicolosius peperit, ab ea, quam foris collegit, sustentari, atque defendi: utraque se ipsa tuetur, neque altera alterius indiget ope, ne intereat. Mitto illud, quod bello Cretico, ut viam sibi ad munera honestissima muniret, honorum velut tirocinium in navi prætoria posuit supremi rei maritimæ Præfecti a secretioribus epistolis; postquam in patriam rediit, ita cæpit in hac reipublicæ luce versari, ut semel, atque iterum dumtaxat a curia gravissima negotia abstraxerint. Cum Serenissimus Franciscus Maurocenus quarto classi cum summo imperio præfectus esset; in Turcas proficiscentis Principis iter, quod nostris temporibus novum, & a priscis tantum reipublicæ sæculis repetitum, ut splendidius redderent Patres, novam etiam ipsius ministerio instituendam decreverunt dignitatem, novæ autem dignitati ornandæ inventus est Joannes Baptista Nicolosius, & Magno Pro-Cancellario (hoc novæ dignitati nomen inditum, quod in omen maximæ sui ordinis dignitatis illi aliquando conferendæ statim acceptum) jussus paludatum Principem sequi. Quantæ fuit gloriæ, quod ille potissimum delectus sit, qui ejus expeditionis non ultima pars esset, cujus nunquam memoria interibit, qui ducem suæ ætatis clarissimum haud impar minister sequeretur, cujus litteris nunciari tantum Senatui possent, quæ factis paria facturum Principem nostrum sperabamus. Excusasset nihilominus ille facile navigationis incommoda, valetudinem excusasset, nisi patriæ caritas sui, suorumque amorem vicisset, & ut patria carere vellet, patria ipsa effecisset. Magnum sane fuit, virum togæ, urbique assuetum maris, martisque aleæ committi, id præcipue munus obiturum, cui nulla ex bellico pulvere gloria colligenda promittitur, omnia belli pericula denunciantur. Fortitudinis laudem Joanni Baptistæ Nicolosio, nemo est, qui tribuat: fortissimum tamen ipse prædicabo, cui non ad pulcram mortem animus, sed occasio, ac reipublicæ imperium defuit, cum quæ urbis sunt officia, quæ inter pacis otia discimus, inter pacis otia exercemus, ea inter armorum strepitus præstaret fortissimo Duci, ad omnia maris discrimina, bellorumque casus fatis impavidus. Abrepto fatorum importunitate Principe, cum statim abdicasset Nicolosius honorem, quem post ipsum nemo sumeret, sospes ad patriæ rediit amplexus. Illuxit deinde spes pacis: iter terra ingredi tunc jussus est Joannes Baptista, Viennamque viro genere, & virtute clarissimo reipublicæ Oratori Senatus mandata deferre, Viennaque deinde cum eodem ad Hungariæ fines, ubi fœdera-

derati omnes ad pacis conditiones victis dicendas convenerant, proficisci, unusque esse, cui secretiora consilia crederentur. Suam ad omnia dexteritatem, acre ingenium, neque hebetiorem linguam amicorum, hostiumque oratoribus facile ille probavit, Veneto vero, atque adeo universæ reipublicæ impigram etiam operam, & summam fidem. Hæ viri tantæ virtutes, hi suscepti pro republica labores, hic tantus in patriam amor, quo gravissimo in ejus morte vulnere perculsa respublica sit, satis declarant: hæc efficiunt, ut quamvis illo per longum tempus usa sit, virum tamen respublica adhuc desideret, qui difficillimis temporibus, si opus esset, ac Senatus juberet, Magnus Cancellarius, non inaudito exemplo, vel his effætis viribus, & ætate inter Turcas publicis rebus agendis versaturus esset. Quoniam vero licet nemini esse immortali, ita doleat respublica ipsum abreptum, ut plures esse gaudeat, quos illi sufficere possit egregiam æque operam navaturos. Sed recentem adhuc dolorem lenire temere contendimus, cum publicum luctum augent lacrymæ singulorum, ut si nullus esset publici vulneris sensus, adhuc, dum suo quisque privatim dolet, universam affictari rempublicam, necesse sit.

Ea enim in singulos comitate, ea beneficentia fuit Joannes Baptista Nicolosius, ut non sibi, sed aliis natus videretur. Gravissimis quamvis semper negotiis implicitus, publicisque curis in varia distractus, numquam tamen adeuntibus difficilis, omnes complexus est, ut vacare crederes, cum tam multi propter ejus apud amplissimos magistratus auctoritatem ad illum sæpe confugerent. Ecquando necessariis officiis erga patricium diligenter observatum ordinem defuit? Plurimas licet ex patriciis familiis, easque clarissimas paterno, maternoque genere complecteretur Nicolosius; ita semper amplissimum ordinem coluit, ita observavit, ut non suarum necessitudinum rationem haberet, sed ipsius dignitatem, majestatemque suspiceret, nihilque ex tot, tamque claris propinquitatibus sibi sumeret, nisi ut se pluribus, & arctioribus vinculis reipublicæ obstrictum crederet. Quem vero se erga honestissimos sui ordinis homines præstitit? Quem eorum consilio, opera destituit? Tam illi omnes cari, quam ille omnibus. Cum ex iis, qui nondum ad secretiora cancellariæ munera admissi, deligeret Magnus Cancellarius adolescentiores, qui senatoriis Magistratibus operam præstarent, eorumque essent a secretis, cui unquam vel viribus graviorem provinciam, vel minorem viribus dedit? cui non eam, quæ esse posset quam latissima ad gloriam captandam, ad Patrum gratiam ineundam via? cui non eam, quam sibi quisque petiisset, si peti a se quidquam Nicolosius, quam

ultro

ultro ipſe largiri maluiſſet? Qui animus ſemper ipſi erga bonos omnes, ut a ſe nunquam opem implorari paſſus ſit, cum tam multis quotidie ferret. Sed hac tanta beneficentia non homines ſolum, verum etiam ipſa urbis tecta viſus eſt, ſenſuſque expertia ædificia complecti. Etenim cum nulla ſit vis, quæ ſatis hæc contra temporis injurias tueri poſsit, qua ratione tamen ſiſteret ipſe futuras eorum ruinas, ſecum agitans, ſacras, prophanaſque ædes, & maximi pretii tabulas, quarum tanta apud nos copia, ſtatuit chalcographiæ opera in æs inciſas ab interitus metu vindicare. Hoc primum ille privatim apud ſe fieri curaverat, conductis artificibus, magniſque impendiis factis, verum cum initum conſilium lentius procederet, nec gravioribus ipſe occupatus curis omnes ad id cogitationes conferre poſſet; homini induſtrio auctor fuit unus, ut opus perficiendum ſuſcipere vellet, & publici juris facere. Stabunt igitur vel poſt ruinas ſublimia hujus urbis tecta Nicoloſii beneficio, nec ſedibus ſuis avulſa, ubique gentium tamen conſpicientur, benefactoriſque ſui nomen nullis nec temporum unquam, nec locorum anguſtiis ſinent includi. Quam vero majorem gratiam inanima ædificia non poſſunt, habeamus nos, quicumque natale ſolum amamus, habeant exteri, qui magnificentiſsimorum operum aſpectu domi ſuæ frui poterunt, habeat univerſa, quam late patet, graphice, quæ hinc mirifice proficiet, & propagabitur. Sed inferiores artes licet æquum ſit Joanni Baptiſtæ gratiam habere, hanc tamen eas repoſcere, liceat nemini. Quid enim intereſt, vultus lineamenta, & canitie verendum caput in æs inciſum, aut coloribus expreſſum poſteris tradere? Vos alumno, benefactorique veſtro, vos gratiam refertæ, Muſæ, & monumentum ære perennius, rerum geſtarum memoriam ad poſteros tranſmittite. Multa ille quidem vobis debuit, unde ipſi tanta in dicendo facundia, tam ſublimis in ſcribendo perſpicuitas, unde tot animo virtutes, tanta nomini ſuo claritas, pluris ea tamen adhuc ſunt, quæ vobis contulit, decus ſcilicet, & præſidium. Meminiſtis, cum ampliſsimis Lycei Patavini Moderatoribus, rei litterariæ III-Viris adeſſet, adfuit autem per plures annos, qui ejus in adoleſcentum ſtudiis promovendis labor, quæ in ornandis profeſſoribus cura, qui in utroſque favor, quæ voluntas. Ad eum ſæpe confugiſſe vos, meminiſtis, nec per alium quemquam commendari tutoribus, ac patronis veſtris, præſtantiſsimis Senatoribus, voluiſſe. Aut nimis ego litterarum, earumque ſtudioſorum malis afficior, aut veriſsimum eſt, Joanne Baptiſta Nicoloſio e vivis ſublato, non minus detrimenti rem litterariam accepiſſe, quam omnes hujus civitatis ordines, imo collecta ſimul omnium damna Muſas ſentire, quæ lacrymas a

ſin-

singulis ordinibus divisa exprimunt. Observantissimum sui, & ad omnia officia promptum amisit, Nicolosio extincto, patricius ordo? eum amiserunt Musæ, qui eas colebat summo studio, ac venerabatur. Lumen suum, atque ornamentum, exemplumque ad imitandum propositum amisit alter egregius Civium ordo? decus, & lumen suum amiserunt Musæ, eumque, qui suo exemplo omnes ad literarum amorem accenderet. Perfugium boni omnes amiserunt? perfugium etiam, suamque aram Musæ, quo se, si qua ingrueret calamitas, tutæ, lætæque reciperent. Qui autem nullis palam deerat erga Musas officiis, quomodo illas secreto haberet, accipite, auditores. Intra Nicolosias ædes magnificum ipsis cubiculum dicaverat, quo illas a gravissimis curis vacuus ad aliquam otii oblectationem quærendam remotis arbitris adiret. Cum vero solidam ferme diem respublica sibi posceret; noctis tantummodo spatium sibi reliquum, ad corporis, animique levamentum intelligens, ibidem & lectum sternendum, & instructissimam bibliothecam parandam curavit. Candidissima totum obeunt holoserica, armaria autem, abaci, librorum thecæ, trapezophora, sellæ, fulcralia, universa demum, sive quæ ad usum, sive quæ ad ornamentum supellex, omnia miro artificio sectilibus margaritarum conchis variegata, emblematis distincta, & tenuissimis earumdem concharum segmentis vermiculata. Quamquam totus hic studiis & literis honor; hac tamen ratione domo ornari Dominus potest, postquam tanta ejus magnificentia domus ornata est. Quid huc Curios vocas, *in* (a) *quorum domo nihil splendidum, nihil ornatum fuit præter ipsos?* Majus aliquid est splendidissima domo splendidior Dominus. Cui enim hactenus licuit in tam egregio opere aut materiæ, aut manus pretium mirari, cum inter tot visu jucundissima unus omnium oculos, omnium admirationem eo oris habitu, ea comitate, & humanitate, ea suavissima sermonis gravitate Dominus in se averteret, ut omnium animos magna jucunditate defixos detineret? Haud sæpe tamen facta alicui est huc ejus conveniendi copia, quo sese a reipublicæ pulcerrimis muneribus requiescens abdebat, non ut aliquando solus esset, sed ut ne unquam soli liceret illi esse, & otioso, neque ut homines exosus eorum tædio solitudinem captaret, sed ut in solitudine tempora omnia, regiones, universa rerum naturæ opera peragraret, aliquando etiam constitutis a natura rerum finibus egrederetur. Neque enim ille amænioribus solum litteris oblectatus, sed severioribus etiam philosophicis, ac mathematicis disciplinis eo jucundius operam dabat, quod

(a) *Cicero parad. 5.*

ingenii sui conscium ipsa indoles animi ad altiora, & magis impervia ducebat. O virum non negotio tantum, sed & otio prædicandum! O haud sibi unquam absimilem Joannem Baptistam Nicolosium, aut aliis, aut sibi viveret? Quamquam vel tum maxime aliis vixisse, cum sibi vivere videbatur, satis constabit, si lucem unquam aspicient otii opera illa, illæ maximarum rerum commentationes, quas non contentus cogitando consequi, litteris etiam mandabat. Adeo subcisiva, si qua incurrebant, tempora non modo sibi, sed ne nobis quidem perire patiebatur, ut, cum vacare credebamus, non suæ tantum ipse, sed futuræ etiam ætatis bono consuleret, neque alia de causa solitudinem quæreret, nisi ut inde ea prodirent aliquando munera, quæ non suis civibus solum, verum etiam exteris quibusque gentibus prodessent.

Sed progredi ultra non possum, auditores, & dum publica, privataque damna & cogitatione complector, & verbis æquare contendo; pro vestro omnium dolore ita haud possum dicere, ut diutius ipse lachrymas teneam, quas mihi, Præclarissima Familia, Respublica Serenissima, omnes civitatis ordines, excutit vester fletus. Verum id timeo, ne tanto nomini injuria fiat, si ultra flere velimus: invidere illius bonis videbimur, si diutius nostra mala reputare, obstinemus animum. Quod vidimus, omnes flere, quod audivimus, omnibus justissimam esse dolendi causam, omnes jam debemus fletus abstergere, & dolorem tandem sedare. Quantus vir fato cesserit, ex omnium lachrymis cognoscimus: magnum virum offendimus, si mortuum dolemus. Dolendum est eorum morte, qui cum nihil egregie fecerint, toti moriuntur, quorum nomen simul cum corpore interiit. Superstes morti suæ Joannes Baptista Nicolosius, Eques, Magnus Venetæ Reipublicæ Cancellarius non aliter efferendus est, quam si triumphantem prosequeremur. Immortalitatem nominis, quam sibi meritus est tot virtutibus, tam egregia in patriam opera, tam sublimi dignitate, inire nunquam poterat, nisi moreretur. Licuit antiquissimo Poetæ (a) dicere:

Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. Cur? volito vivu' per ora Virum;

illi prohibere a funere suo lachrymas non licebit, cujus imago Magni Cancellarii purpura insignis nunquam obscurabitur, cujus nomen tot virtutibus illustre nulla ætate delebitur, cujus memoria, tot tantisque rebus præclare gestis æternitati commendata nunquam interibit? Pensanda sunt damna nostra ejus bono, nec dolendum magis, quod

(a) *Ennius.*

quod nos orbati tanto viro ſumus, quam leniendus dolor, quod ille immortalitate auctus eſt. Quamquam ſi mentis aciem, quam recens dolor hebetat, acrius intendimus; majora in ſpeciem damna, quam re, querimur. Neque enim ille familiæ ſuæ nobiliſſimæ totus occidit, cujus imago excitandis ad imitationem poſteris religioſe ſervata ad majorum ſimul, nepotumque decus oſtendetur. Non totus reipublicæ, non totus ulli occidit, cum in ornatiſſimo fratre, in lectiſſimis fratris filiis ſuperet adhuc, quibus eumdem amorem in patriam, eamdem in bonos omnes voluntatem ipſe ſuo indidit exemplo, eaſdem animi, ingeniique vires natura largita eſt. Venerabili ſeni honeſtam a graviſſimis curis miſſionem illi tandem natura debitam ſi gratulandum non ducimus, at ſaltem mortem non immaturam ſeni, magno viro non exitialem æquo animo feramus.

IN FUNERE
CLETI CASPII
ABBATIS S. GEORGII MAJORIS
Congregationis Casinensis.

ORATIO.

QUÆ oratorem erigere, animumque addere dicenti solet, frequentissima præstantissimorum virorum corona, hodierna luce ea me apud vos, Patres Religiosissimi, dicturum ita vehementer perturbat, ut si maxime velim, non timere tamen minime possim. Præterquam quod enim intelligo, quam difficile sit, vobis probabilem ullum oratorem videri, qui omni litterarum genere optime exculti germanam eloquentiam cum vera sapientia conjungitis; in eo est mihi argumento versandum, in quo ne disertissimus quidem vobis satis probari forsitan posset. Dicendum est enim de laudibus Reverendissimi Præsulis Cleti Caspii, hujus præclarissimi Cœnobii Abbatis, cui justa persolvimus, ac apud vos dicendum, qui ejus virtutes longa consuetudine sæpius inspectas, & singulas admirati estis, & totas æstimare facile potuistis. Vel aliquid igitur præteribo, quod in maxima optime factorum copia facillimum, & tamquam malignus dissimulator vix effugiam invidiam vestram, qui singula meministis, vel omnia raptim exponam, quod in tanta copia necessum est, & impar suscepto oneri vobis videbor, qui eadem mutuis inter vos sermonibus sæpius usurpata, veris laudibus exæquare consuevistis. Accedit quod vestro isto fletu non affici ipse quoque non possum, consternatque me tantus iste mœror, quo amissum parentem optimum doletis. Fingere itaque animo mihi liceat, non vobis, sed Cleto Caspio probanda esse, quæ de ipso dicam. Hæc una forte ratio est, qua vobis, placere possim, si persuasum vobis sit, suavissimum parentem, ac maxime per totam vitam observatum Præsulem, si mihi obtigisset apud viventem dicere, id laudationis meæ genus æquis auribus, animoque accepturum fuisse. Nihil itaque modo de extincto dicam, quod singularis viventis Præsulis pudor gravari tunc potuisset, & cum nimiu-

ne

ne sim, ac ne quid affectatius quæsiisse videar, animum dumtaxat advertero, hanc perculso malis vestris animo veniam peto, ut cætera, quæ artis sunt, dicendorum partitionem, respondentem ordinem, exornationem magnificam negligere liceat.

Cum plurima sunt, quibus inter se bene constituta civitas, ac optimis legibus firmata religiosorum virorum familia conveniunt, tum id præcipue, quod sicut in civitate aliis privati homines, aliis magistratus, ita in religiosa familia aliis moderatores, aliis reliquus cœtus virtutibus indigent. Ita enim varia sunt utrorumque officia, ut, quamvis satis sit cœteris bonis esse, moderatores dumtaxat bonos ne bonos quidem ducamus. Nihilominus hoc longa experientia compertum est, qui egregia cum laude sibi aliquando vixit, eo aliis vivere, ac præesse cœteris melius neminem. Sinite igitur, missa ea omnia faciam, quæ inferioris adhuc subselii Cœnobita gessit Cletus Caspius, seu anxiis implicitus curis modo hujus cœnobii res curaret, modo amplissimo cœnobii Præsuli ipsius ab epistolis suam præstaret sedulitatem, seu curis omnibus solutus monastico hoc in secessu ita lateret, ut ipsi cum Cœlitibus solum commercium esset. Nullas ei tunc laudes defuisse, intelligunt omnes, cum nullis ajo, virtutibus eum caruisse, quæ ab optimo Monachorum moderatore expetuntur. Qui optima aliorum regendorum auctoritate usus est, hunc necesse est, regendi sui potestatem alteri prius totam tradidisse: qui commisso sibi gregi carus fuit, hic carus æque Pastoribus antea non fuisse non potuit: qui nunquam est publicis curis defatigatus, hunc ne privatæ quidem fregerunt unquam, aut debilitarunt. Nihil itaque debuit collatæ dignitati Caspius, nisi quod illa, quantus esset, clarius ostendit.

Neque enim virtutum fastigium subito ascensu tenere potuit, cum ad summum honoris gradum evectus est: eo jam olim nixus, per arduam, & impeditam vepribus semitam longo labore pervenerat. Una enim fuit Caspio via (quæ autem alia esse potest in Casinensi tam bene temperata Congregatione?) ad dignitates virtus, quæ jam ab ejus adolescentia ita inclaruerat, ut nunquam annalis legis terminos prætergressæ illæ sint, aliquando etiam, soluto eo legibus, præverterint. Illis autem viris sapientissimis, qui minores, majoresque honorum gradus Cleto detulere, ita facile fuit animo præsumere, quantus esset ipse in honoribus futurus, quemadmodum nobis modo conjectura assequi, quantus ante delatos honores fuerit. Tenebant enim illi, sicut nos quoque nuper tenebamus, quam non fucatæ, quam solidæ essent ejus virtutes, quippe quæ veræ in Deum caritati, quæ omnium fundamentum est, innitebantur. A primo enim ejus in præclarissimam

hanç

hanc Religionem ingressu usque ad vitæ exitum constantem hunc vitæ tenorem servavit, ut nihil antiquius duceret, quam nullius rei sibi conscium esse, nihil ageret, quin severiora evangelii, ac benedictinarum legum monita consuleret. Orationi vero, qua una alitur animus, & spiritalis vita sustentatur, ita deditus fuit, ut nihil mirum sit, cum numquam Deo mente non adhæreret, nullum fere unquam ipsi nisi de Deo sermonem, nullam illi aliarum rerum curam fuisse.

Singularis autem ejus in Deum pietas ea sollicitudine præsertim enituit, qua templa, quæ manifeste Deus insidet, non nitere solum, sed magnificentissime ornari semper optavit. Nullum est cœnobium, cui præfuit, cujus sacra supellex ejus cura aucta non sit; hoc vero, parvo etiam illo ære, si quod ejus usui indultum fuit, cum bona eorum, ad quos spectat, venia pro viribus locupletavit. Nimirum quid Deo non daret, qui se totum illi dederat? Cur autem hoc præcipue templum non ornandum curaret, ubi se nuncupatis votis Deo primum addixerat? Multa sunt, quæ huic Cœnobio beneficia Caspius contulit, quæ ejus memoriam nunquam interire sinent, sed pulcrum est, eum id cavisse, ut rem divinam tractantibus ejus memoria præcipue occurreret. Vos alia monumenta ex ære, aut marmore ejus nomini excitabitis, quæ illi erunt perhonorifica; ipse non aliud vobis relinquere studuit, quam quod vobis esset in primis utile. Noluit vos posse Caspii meminisse, nisi statim divina menti obversarentur. Latifundia alius protulerit, magnifica peristilia erexerit, bibliothecas instruxerit, Caspius sacram supellectilem auxit. Non damnandi illi quidem, sed magis laudandus Caspius, quod sanctiorem sumptum in ipso Dei sinu, ut ita dicam, collocarit. Id genus monumenta minus quidem, quam cœtera conspicua, cum non semper patere soleant, sed ideo & Deo gratiora, & Caspio, qui Deo soli placere optaverat, & cui satis fuit, si alumni sui ad aram litantes ejus meminissent. Sed quamquam nullum oculis vestris monumentum sui reliquisset, remaneret tamen ad omnes virtutum studio inflammandos inixa omnium animis ejus pietatis memoria, quæ eo magis per totam vitam eluxit, quo magis eam ipse tegere conatus est.

Hac vero cum virtutis indole statim ac Abbas renunciatus est, dubium fuit nemini, quantum ipse honori decus additurus, ac quantum, eo Abbate, res monastica incrementum acceptura esset. Itaque certatim singula cœnobia optare, ut, sibi moderator daretur, idque ab ipso, id ab universa Congregatione enixe petere cœpere. Primum tamen visum est iis qui ad clavum sedebant, cum Cœnobio

San-

Sancti Andreæ de Busco præficere, cujus regiminis legitimo confecto curriculo, eoque cum magno Monachorum mœrore dimisso, insigne hoc Sancti Georgii Majoris monasterium gubernandum suscepit. Diligebat ille quidem præ cœteris, ac maximo in honore habebat cœnobium hoc, cum ob debitam alumni caritatem, tum præsertim ob eximiam ipsius dignitatem, qua præclarissimorum nulli concedit. In amœnissima enim hac suburbana insula Venetorum Principum munificentia extructum, & egregiis prædiis dotatum, & totius terrarum orbis præstantissimam urbem ob oculos habet, & est ipsum in tantæ urbis, totiusque tantæ Reipublicæ oculis. Quamquam nec loci natura, neque ædium magnifica, magnificentior templi substructio, ac medio in salo virentes horti tam movebant Cletum, ac delectabant, quam magnorum virorum recordatio, ac numquam delenda tot patricii generis hominum, ac plurium tantæ hujus Reipublicæ Principum vestigia, qui huc terrenis omnibus abdicatis secesserunt, præcipue vero late diffusus sanctimoniæ odor, quæ per Beatum Joannem Maurocenum invecta, a Sancto Gerardo Sagredo diligentissime exculta, per tot sæcula ceu recens nata numquam non floruit. Hic propterea optarat Cletus post regiminis exitum, brevi cellula sibi parata, uni huic curæ vacare, ut curis solutus Deo inserviret. Paruit tamen, cum alia esset Congregationis mens, quæ indefessi, ac vigilantissimi Præsulis operam efflagitabat, atque ad Bergomenses Monachos Sancti Jacobi de Pontida regendos profectus est. Illinc iterum ad hujus San-georgiani cœnobii gubernacula, manifesto numinis consilio, ut quando illi erat publicis curis immoriendum, optatamque quietem illi virtus sua invidebat, in patrio solo, ubi naturæ, atque in eo cœnobio, ubi Deo vivere inceperat, moreretur.

Optat fortasse vestrum aliquis de Caspii solertia in re monastica administranda nonnihil a me distinctius accipere. Quamquam publice, privatimque omnibus prospicere solitum, quamquam commodis moribus, ab omni studio alienum, comem, prudentem, sanctum Cœnobiarcham fuisse, hinc facile intelligi potest, quod viri hi sapientissimi, justique rerum æstimatores ejus ad eos reditum avidissime optarunt, sollicitis votis poposcerunt, tamdemque redeuntem cum maxima animi lætitia exceperunt; juvat tamen satis vobis petentibus facere, nec amplius conjecturis licet certissimis, sed brevi factorum serie rem clarius transigere. Duo præcipue egregium Abbatem commendant, rei familiaris cura, & monasticæ disciplinæ custodia. Namque & cum labat disciplina, dispergi rem familiarem, & hac accisa, ruere disciplinam necesse est. In utraque sic se gessit Caspius, ut ne-

ut neque diligentiorem res familiaris administratorem, nec severiorem disciplina custodem quæreret.

Primum enim, quis eo attentus magis, ac consideratus, ne cœnobii res minus bonæ, se Abbate, fierent? quas etiam augeri si fieri poterat, parsimonia optabat, a se ipso orsus, sibique supervacuis omnibus interdictis. Quo animi sensu officii sui sæpe eos admonebat, ad quos accepti & expensi rationem inire, ad quos locare prædia, universasque soli res curare spectat? His vero difficillimis reipublicæ temporibus, quando grande æs alienum conflandum fuit, ut Veneto religionis causam contra Turcas propugnante, sacrum æs ad sacrum bellum conferri posset, in quot partes distractus animus, quot sermones habiti, quoties prudentes viri consilio adhibiti, ut quam minimum detrimentum cœnobium caperet? Invitus quidem hæc omnia faciebat, quippe qui cœlestia & æterna procuraret libentius, quam hæc terrena, & fluxa, sed eo magis laudandus, quod ne suo unquam officio deesset, nec curam hanc, quamvis levissimam duceret, negligebat, nec quamvis sentiret molestissimam, declinabat. Cætera tamen parsimoniæ, religiosæque paupertatis maxime amicus, hoc uno liberalitate effusissimus videri potuit, quod numquam parci cœnobii patrimonio voluit, cum levandæ alienæ paupertatis se obtulit occasio. Nunquam, hoc Monasterii præside, pauperculorum agmen ex ædibus depulsum, licet eas nullo non tempore obsideret: pauperi colono necessaria defuere nunquam: pauperum nulli debitorum intentata lis, nullus vi ad solvendum adactus. Pluribus ille pensiunculis solveret, integram hic solutionem differret: indultum est omnibus, donec solvendo essent. Hanc tamen tantam ejus erga pauperes misericordiam Deus largitate sua pensasse dicendus est, cum tanto uberiores proventus quilibet annus tulerit, quanto effusiores fiebant sumptus, omnibusque circumundique temporum inclementiam incusantibus, & cœnobitarum necessitatibus, & novis ob recens bellum nominibus, & pauperum subsidio res abunde sufficeret.

Jam vero quem putatis Cletum fuisse in custodienda monastica disciplina? Qualem nimirum decebat esse eum, qui a puero sanctissime illam excoluerat. Orandi studium, psallendi assiduitatem, silentii consuetudinem, servandæ modestiæ curam eam voluit omnes præstare, quam ipse præstiterat. Levissima quæque, unde sæpe in majora lapsus, & sanctissimis cœnobiis ruina extitit, haud impune admitti patiebatur, principiisque obviam eundum, dicebat, ne mala ingravescerent. Quemadmodum sponte currentes magis magisque incitare solitus fuit, ita si quis ob imbecillitatem subsisteret, hunc ad progrediendum impellebat, identidem admonens, ne Casinensis familiæ

miliæ decora, ne majores suos oblivisceretur, totque sanctorum Præsulum, ac cœnobitarum exemplis, velut domestica laude, omnes ad virtutem inflammabat.

Sed nullum acriores stimulos addebat exemplum, quam ejus, qui aliena ad imitandum proponebat. Ita enim exemplo ipse vel tironibus præibat, ut nihil unquam faciendum præceperit, quod idem ultro non faceret. Hac etiam affecta ætate, imo postquam gravissimo illo morbo, quo vobis ereptus est, tentari cæpit, licet medicorum consilio sæpe deterritus, ita gnaviter, ac si firma valetudine, integra ætate ac viribus esset, cum Monachorum cætera munia obibat, tum præcipue nocturno, diurnoque precum divinarum penso absolvendo nunquam inter primos non aderat. Hæc validissima est præcipiendi ratio, si quæ præcipis, ipse præstas. Frustra aliis plerumque imperat, qui eadem sibi non imperat. Cum in Caspii vitam, & facta inspiceret, ejus dicto non parere nemo unus poterat. Si quis autem forte inventus unquam fuit, ut sunt hominum ingenia satis infirma, qui facientis imperium leviter detrectaret, quanto erratis iratior, tanto errantibus mitior, ita illa increpabat, ut horum pudori diligentissime parceret. Quantum est, eadem eum olim inter cæteros Monachos magna animi alacritate subiisse, majori etiam cœterorum Antistitem subire, ac tanta nihilominus morum lenitate, tanta oris verborumque suavitate in succedentes segniter oneri fuisse. Toleraverat eadem, ac tolerabat, nec tamen immitior erat. His omnibus factum est, ut tantum a suis amaretur, quantum suos ipse amabat: ita vero singulos pari caritate, omni favore vacuus amabat, ut cum omnibus versari, colloqui, ac si quid laxamenti animo dandum erat, cum cæteris, & inter cæteros capere vehementer gauderet. Cum autem quisquis optimum Præsulem maximo amore prosequeretur, ipse singulari benevolentia quemque amplecteretur, singulos inter se fraterno studio conjungi necesse erat, hoc unum metuentes, ne carissimum parenti filium vel levissimo verbo violarent. Quam vero quilibet sollicitus, ne ulla labecula aspergeretur, quam ut novas, clarioresque sibi virtutes pararet! Certabant omnes Præsuli placere, qui illis adeo placebat, nec magis ullus aliquid unquam timuit, quam ne amantissimi, ac amatissimi Antistitis gratiam minus demereretur. Quot, & quanta hac morum suavitate ille consequutus est, cum pauciora nemo unquam imperarit.

Pro quantum virum, quam dignum Præsulem, quam bonum parentem amisistis, auditores præstantissimi! Non obsecundare dolori vestro non possum, & vulneris vestri magnitudine, quæ tota, quanta est oculis meis, cui pariter sub moderatoribus vivere desuper

datum eſt, obverſatur, vehementiſſime ipſe quoque commoveor. Quandoquidem mori Cletus debebat, cur mitior ſaltem illi mors non contigit, quæ totum ſtatim aggrederetur, nec per ſingulos artus ſuccederet? Antequam veſtram orbitatem doleretis, nimis diu pro veſtro in eum amore longos ejus cruciatus dolere debuiſtis. Attonito dolore, nec opinantes vos acerbiſſima illius mors nequaquam defixit; ſenſim vos exanimavit, cum ſenſim illum occiderit. Senſiſtis eum mori, & quod acerbius erat, ſe mori ſentientem vidiſtis. Quamquam autem ægro aſſidentibus ſolatio erat illa tam longa patientia, qua maximos corporis cruciatus, & nulla arte victam ægritudinem toleravit, tamen non dolere non poteratis, quod mortis duritiem hac tanta virtute non flecteret, qua una immortalem hic vitam promereri potuit, niſi hac longe beatiorem promeritus eſſet. Cujus quidem ſecurus Cletus hanc caducam vitam non ſolum, ſed ſuos etiam alumnos, ſibi vita ipſa cariores, numquam timuit relinquere. Reliquerat imo libens, ultroque, nondum ab illis morte divulſus, ſiquidem poſtquam ſingulos amplexatus, ſi quid offendiſſet, venia petita, ac ſingulis bona omnia precatus fuerat, velut ſoluto mentis cum corpore commercio, ad æterna ſe totum converterat, in hæc una oculos, animumque intenderat. Quis veſtrum lacrymas tenuit, cum ea audiret colloquia cum Deo, ac Deipara habentem, quæ haud leviter amantium eſſe ſolent? Quis, cum intueretur cruci oſcula figentem, hanc unam quærentem oculis, hanc unam languenti, ac moribunda voce poſcentem?

Verum hæc dum memoro, ſentio levari dolorem meum, auditores optimi, & quam mihi unam opto, feliciſsimam Chriſtiano, ac religioſo viro digniſsimam mortem non poſſum illi amplius invidere. Quin veſtros vos quoque queſtus tandem abrumpitis? Quin a lacrymis temperatis? Cletus Caſpius, Antiſtes veſter, optime de vobis meritus Præſul, extinctus eſt? naturæ debitum ſolvit. Magnifico funere ejus exuvias efferendas curaſtis? ampliſsimæ dignitati debebatur. Alte animis veſtris ejus imago defixa eſt? quod ejus erat, veſtra in eum caritas tulit. Quas ſibi partes importuniſsimus hic dolor ſumit? Nec de vobis queri licet, quibus adeo bonis, in hac præſertim optimorum virorum tam feraci Congregatione, optimus Præſul, ac parens numquam eſt defuturus, nec de illo, qui ſecuriſsimam immortalitatem, ſi qua eſt ex inoffenſæ vitæ curſu, atque ex hoc mortis genere prudens conjectura, eſt conſequutus.

IN

IN FUNERE
FORTUNATI BALLEONII
ABBATIS S. GEORGII MAJORIS,
Congregationis Casinensis

ORATIO.

Recenti adhuc dolore perculsi novam durioremque calamitatem accipitis, Patres Religiosissimi, quæ & ipsamet animum vehementer afficiat, necesse est, & prioris etiam sensum vehementius irritet. Amissi parentis optimi interitum, æquene bono dicam, an meliori? vobis divinitus concesso, datum fuerat reparare, cum, vix anno circumacto, nova iterum orbitas, repetito vulnere, dolorem amarissimum cumulat. Hoc acerbitatis itaque gravissimo, vel si solum æstimetur, Reverendissimi Patris Fortunati Balleonii funeri accedit, quod vos continenti veluti luctu & ipsius cogit, qui optimum Præsulem restituerat, & restituti per ipsum nuper optimi Præsulis iterum orbitatem deflere. Pulcrum quidem præclarissimæ Casinensi Congregationi, quod tanto floreat optimorum Præsulum numero, ut quem optimo sufficiat, nunquam defuturus sit, sed idem acerbissimum optimos tam frequenter amittere. Quapropter idem ego, qui ex pullato hoc suggestu alias conatus sum accepti, alterius Præsulis obitu, vulneris dolorem oratione lenire, præsentem hunc verbis sedare luctum, qua ratione possim, minime invenio, nec, si possem, auderem. Dolori enim, quem nondum medicinæ patientem existimo, obsecundare satius duco, ac ex tot, tantisque Abbatis vestri Reverendissimi, Fortunati Balleonii laudibus, de quibus dicere me apud vos jubetis, ea tantum mihi excerpenda statuo, unde facile appareat, quam publice, quam privatim, eodem extincto vobis dolendum sit. Cum enim non ad vestrum singulos dumtaxat hæc tanta clades, sed ad universam Casinensem Congregationem pertineat, non singuli privatum tantummodo damnum, sed omnes etiam publicum, oportet, lugeatis. Utroque vehementer affici singulos puto, utrumque tamen mihi ante vestros, omniumque audientium oculos subjiciendum est. Quandoquidem enim dolorem vestrum minime levare concessum est, & vos ipsos, doloris tanti ma-

gnitudine fortasse attonitos, & cæteros omnes, qui magnificentissimo Præsulis vestri funeri intersunt, intelligere, æquum est, quam justa vobis sit dolendi causa.

Si omnia, quæque sibi Fortunatus Balleonius, quæque fortunæ debuit, ornamenta commemorare mihi propositum esset; majorum ejus ac clarissimorum in primis fratrum laudes præterire nequaquam vellem. Genitus enim est honesto per plura sæcula apud nos genere, quod etiam extremis hisce temporibus singulari Principis munere longe honestius est, atque illustrius. Cum enim gens Balleonia omnium divitiarum copia jam ab remotissima origine satis affluens magnam auri vim ad sacri, quod in Turcas ardebat, belli subsidia sponte in publicum contulisset; gratissima Respublica eam inter patricias magno omnium ordinum gaudio, magno totius civitatis favore, in tantæ liberalitis testimonium, cooptavit. Alienum autem minime esset, quamvis Fortunatus vester hujusmodi decora religiosæ humilitati ultro posthabuerit, in ipsum tamen clarissimæ familiæ laudes derivare. Aspergi enim Balleoniæ familiæ laudibus & hi possunt religiosi viri, qui eas abdicaruut, cum hoc Balleoniæ familiæ proprium sit, quod eos ediderit viros, qui licet paternam domum cum sæculo abdicaverint, iis tamen & virtutibus floruerint, & eniruerint dignitatibus, ut maximo familiæ ornamento sint. Servabit sane, ac magno cum gloriæ incremento universa Balleoniorum posteritas & Fortunati Casinensis Abbatis, quem laudaturi sumus, & Joannis Antonii ejus fratris ostendet imaginem, qui pares infulas inter Canonicos Regulares Sancti Salvatoris consecutus, universæ mox Congregationis rebus in Romana Curia procurandis præpositus, tandem nobilissimi Ordinis supremum regimen, dignitatemque adeptus est. Plura itaque de Balleoniæ gentis laudibus Fortunatum Balleonium laudaturus dicerem, si aliud de ipso mihi dicendum proposuissem, neque ostendere vellem dumtaxat, grave publice, privatimque ejus obitum Casinensi Congregationi fuisse. Desiperem enim profecto, si hoc persuasum vellem alicui, splendoris aliquid Casinensi Congregationi ademptum esse, quod Præsul patricia gente, Venetaque nobilitate clarus extinctus est. Etenim quis ignorat, si ex nobili alumnorum genere splendor aliquis religioso cœtui unquam extitit, maximam hinc lucem benedictinis cœnobiis nullo non tempore affulsisse, quæ & tot principes viri modo incolunt, & olim potentissimi Reges, ac Imperatores incoluere. Desinamus itaque hæc de Fortunato apud vos commemorare, quæ ne commemorari quidem, si rara inter vos essent, Fortunatus, cæteras etiam laudes, quæ verius suæ, silere solitus, ac sileri jubens, unquam voluisset.

Gra-

Graviſſimo vulnere iſtam dico Caſinenſem Congregationem, quod, Fortunato extincto, altiſſimarum rerum ſcientia inſtructum, maxima in Deum pietate inflammatum, in re domeſtica procuranda diligentiſſimum Præſulem amiſit. Quamvis enim alii ſint ipſi pares in hac Congregatione Præſules; nihilominus nunquam non grave eſt hujuſmodi viris orbari, per quos non ſtat ſolum res monaſtica, ſed viget, ac floret. Cum autem, ſi morum ſanctimoniam demas, quæ tota in Deum caritati innititur, ſingulis cœnobitis non ſolum, ſed & aliis æque neceſſariam, cætera neceſſaria ſingillatim ſint nemini; omnia tamen in eo conjungi opus eſt, qui omnia aliorum bona curare, conſulere omnibus debet. Omnibus itaque animi ingeniique dotibus cum Fortunatum præſtare ſapientiſſimus ille Præſulum Caſinenſium conventus, ad quos ſpectat, probe noſſet, eum in ordinem ſuum cooptavit, ut toti jam præluceret Congregationi, eamque cum ipſis moderaretur. Verum quam cito, quam haud ſuo, haud veſtro tempore lumen hoc extinctum eſt! Niſi per minores gradus ad hunc tantum honorem aſcendens, luculentum animi ſui ſpecimen cunctis dediſſet Balleonius, vix ſciri poſſet, quibus Abbas virtutibus excelluiſſet. Quamquam haud vera memoro, cum, licet immatura morte de honoris faſtigio dejectus, ea tamen brevi tempore ediderit virtutum ſuarum argumenta, ut anteactæ vitæ conjectura ad egregium in primis Abbatem noſcendum, opus minime ſit.

Ut enim ab iis incipiam, quæ minus eminent, quamquam haud minus neceſſaria ſunt, qui Præſul Fortunato veſtro in re domeſtica adminiſtranda ſolertior? Quis peritior? Teſtis eſt Bergomenſe Sancti Paulli cœnobium, cui intra unius anni fines, quibus ipſe circumſcribi regimen ſuum voluit, allata utilitas ad omnes, quibus cœnobium ſtabit, annos pertinebit. Teſtis eſt nobile hoc Sancti Georgii cœnobium, cui ampliores redditus, & res longe lautior. Non dicam, quam fideliter, quam ſancte ejus bona per plures annos Cellerarius adminiſtraverit, eam tamen ab ipſo, quamquam per unum dumtaxat annum Abbate, mirifice auctam, vobis affirmantibus credendum eſt.

Verum qui rei familiaris procurationi adeo intentum Fortunatum Balleonium auditis, hunc ne putetis minus rei litterariæ ſtudioſum. Ita enim ſemper rem familiarem adminiſtravit, ut nunquam litterarum ſtudia intermiſerit. Certum jam eſt, exemplis, ac validiſſimis rationibus firmatum, ſtudia non ſolum Monachos non dedecere, ſed decere plurimum, quodque ab antiquis rei monaſticæ parentibus factitatum ſemper fuit, pulcrum eſſe, atque utile, ſi ab aliis nunc quoque fiat. Cum vero aliæ ſint Monachis magis propriæ litteræ, minus aliæ, ad ea ſe ſtudia contulit Balleonius, quæ ſuſceptæ vitæ inſtituto magis propria, non mentem ſolum ſublimiſſimarum rerum

ſcien-

ſcientia ditarent, ſed eamdem earum deſiderio erigerent, earum alerent amore. Rebus enim Theologicis mirifice addictus, divina myſteria pari ſemper humilitate ac diligentia ſcrutatus eſt, & quantum homini licet, intelligentia complexus. Cum autem quantum ipſe utilitatis ex omnium litterarum ſtudiis hauſerat, tantumdem & alios haurire, Abbas cuperet; inſtructiſſimam hujus cœnobii bibliothecam, quæ tanta magnificentia extructa, tantaque librorum copia referta eſt, ut non cœnobio ſolum, ſed univerſæ civitati ornamento ſit, pretioſiſsimis inſignium auctorum monumentis ex Gallia, Germania, Hollandia magno impendio devectis magis adhuc juſsit locupletari. Adibitis propterea inpoſterum lætiores vos, Patres Religioſiſsimi, adibimus nos etiam bibliothecam illam, cujus pro veſtra humanitate omnibus copiam facitis, & Balleonii optimum in augenda literaria ſupellectile judicium, Balleonii in literas amorem, earumque promovendarum ſtudium, dum literæ erunt, laudabimus.

Quomodo autem literas, ſacras præcipue, ipſe non amaret, amarique ab aliis vellet, qui quantum ipſis deberet, intelligebat, per illas ea in Deum pietate auctus, qua maxime commendabatur. Ditata templa, ſacramque tum Bergomenſis, tum hujus Veneti cœnobii ædem nova, pretioſaque ſupellectile inſtructam liceat præterire; Exundantis quidem in Deum caritatis argumentum eſt curatus templorum nitor, & ſplendor, verum clarius eam arguit ſecretioris templi, noſtri ſcilicet pectoris, quo viſus nemini Deus illabitur, munditiės, & cultus. Balleonium quiſquis dicit, ſanctiſsimum ille Præſulem dicit, cujus tota vita ita cœteris prælucebat, ut non ſanctiores, qui in Præſulis facta inſpicerent, fieri Monachi non poſſent. Nihil hic ſingilatim commemoro, cum nihil ſingilatim in ejus vita ita emicuerit, ut cœterorum gloriam obſcurarit, neque unum commemorare poſsim, quin cœtera injuria prætercam. Hoc dixiſſe ſufficiat, nulla unquam ejus mores labecula aſperſos, nunquam non omni virtute clariſsimos, ſive quæ Monacho, ſive quæ Monachorum Abbati magis neceſſaria videretur.

Publice igitur quam dolendum ſit Patribus his Congregationis ſuæ amantiſsimis, intelligitis, auditores. Cum tanto viro omnibus muneribus pari aliam ex alia, ſupremamque tandem dignitatem deferendam præſagiret univerſa Congregatio, pro dolor! tantum virum amiſit. Habet illa quidem alios rei domeſticæ adminiſtrandæ gnaros, literarum ſcientia illuſtres, pietate inſignes Præſules, ſed Fortunatum Balleonium amplius non habet. Quos cœnobiis ſuis præficiat cum rei familiaris bono, ſtudiorum, ac virtutum incremento alios habet, ſed Fortunatum Balleonium amplius non habet.

Sed

Sed quamquam tam justa est universis publico nomine lugendi causa, Fortunato Balleonio extincto, non minus fortasse justa privatim ejus mortem dolendi singulis est. Seniores commilitonem suavissimum, juniores tirocinii sui moderatorem optimum, omnes amantissimum Præsulem desiderant. Obliviscine unquam poterunt illi suavissimæ consuetudinis, qua Monachus inter Monachos utebatur? Quam facilis omnibus morem gereret, quam alienis oneribus sæpe ad alios levandos succederet, quam nullius laudibus unquam inviderit, quam nullius moribus, si quos minus commodos offenderet, adversatus unquam sit?

Vos vero, quibus, cum primum sacræ huic militiæ nomen dedistis, contigit, hoc moderatore, tirocinium ponere, quo animo ejus mortem ferre potestis? Scio, eam fuisse illi in tironibus exercendis suavitatem, ut longum etiam post tempus tam ipsum alumni sui amarent, quam ab ipso & amatos se meminerant, & amari adhuc sentiebant. Difficillimam provinciam hanc, ac omnium maxime gravem Monachos e delicatulis pueris, ut ita dicam, fingendi, per plures annos in hoc cœnobio gessit Fortunatus, tanto Congregationis bono, ut ne unum quidem e sacra illa sua palestra emiserit, qui statim exercendis ipse tironibus præfici non posset. Tenellam illam ætatem qua caritate complectebatur? Rudes rerum cœlestium pueros, qua patientia altissimis mysteriis ad solitudinis amorem, sæculi contemptum, monasticæ disciplinæ studium informabat? Tardiusculos quosdam ad progrediendum qua verborum, animique lenitate excitabat? Cum tot ex illis, qui adstant, tanta Balleonio debeant, alii quod in proposito perstiterint, alii quod alacriores facti sint, omnes vero eas, quibus ornantur, religiosis viris dignas virtutes, quomodo lacrymas, eo extincto, tenere poterunt?

Sed si qui etiam sunt, qui non illo commilitone, non tirocinii moderatore sint usi, ferrei ne adeo erunt, ut tam carum caput sibi ablatum non doleant, tam egregium Antistitem cum magno doloris sensu non desiderent? Si liceret arcana numinis consilia scrutari, hunc aut nunquam huic cœnobio Abbatem dandum fuisse dicerem, aut nunquam subripiendum. Quem alium vidistis unquam, qui ita Præsulem cum Monacho temperaret, ut tum maxime Monachum crederent omnes, cum Abbatem ipse se gereret? Quis ita severitatem clementia miscuit, clementiam severitate, ut condonasse errata videretur, cum castigaret, castigare, cum condonabat. Neque enim illi remissior & mollis illa clementia, quæ errandi sensum sæpissime aufert, sed quæ errantibus parcendo, errandi tamen metum incuteret. Cum omnia ipse Monachis indulgeret, nemo sibi aliud indulgebat, cer-

certumque apud omnes erat non e monastica esse disciplina id permitti, quod Abbas non permisisset. Nunquam enim ille religiosos viros metu coercendos existimavit, sed virtutis amore in officio continendos. Hinc factum est, ut, cum quisque contineri etiam in officio vellet, sibi quisque moderator esset, nec Balleonius aut sibi, aut aliis cæterorum moderator videretur.

Plura si persequar, vereor ne dolorem vestrum ita exasperem, ut ne temporis quidem beneficio sanari amplius possit, præcipue cum tam cari Præsulis mors acerbissima tota in oculis vestris adhuc sit. Dignissimus enim immortalitate Abbas, diuturno morbo afflictatus, acerbissimos dolores perpessus longam mortem sustinuit. O averso numine huc appulsum nequissimum hominem, qui haud multis abhinc annis artem, quam ignorabat, plenis buccis venditans, Fortunatum calculorum valetudine laborantem eo induxit, ut sibi medicas has, seu potius hostiles manus admoveri, & novum sectionis genus sibi adhiberi pateretur. Ex eo tempore mori ille cepit, cum, eruto quidem majori calculo, sed sauciis intestinis, afflictari gravissimis doloribus cepit, donec latius interiore ulcere serpente, novis etiam calculis succrescentibus, confectus est. Hoc genus mortis ideo vestram etiam acerbius memoriam subit, quod eo indignus vobis Præsul videbatur, qui tanta illud patientia non sustinuit solum, sed etiam vicit.

Ecce vobis igitur publici, privatique luctus causa justissima. Tantum mœrorem solari ipse, iterum dico, neque possum, neque si possem, vellem. Fore tamen spero, ut tanto huic dolori levando satis sit, cum vestrum omnium, quæ nullis unquam calamitatibus infringi potest, tum etiam Fortunati Balleonii satis cognita virtus, cujus non solum memoriam jucundissimam moriens nobis reliquit, sed prœmia ipse beatiori in patria, ut fas credere, æternum victurus consequutus est.

IN

IN FUNERE ANGELI ZONI, EQUITIS,

Magni Reipublicæ Venetæ Cancellarii.

ORATIO.

CUM ad civitatem constituendam, quæ omnibus post se futuris civitatibus exemplo esset, Serenissime Princeps, alia plurima a Græcis, & Romanis sapientissimi hujus Serenissimæ Reipublicæ conditores sumpserunt; tum illud etiam, quod præclaros viros, qui ob magna in patriam merita ad altissimum honorum fastigium evecti sunt, efferri vita functos non sine publica laudatione voluere. Hoc autem mortuorum ne, an viventium gratia faciendum jusserint, incertum. Mortuis quidem hoc debetur, ne eorum nomen una cum vita exstinguatur, sed cum venturis omnibus sæculis oratorum monumentis comparetur: viventibus vero exemplum tradi oportet, & proponenda merces, quo aspirare si velint, quæ illam peperit virtus, eam tota animi contentione sectentur. Mirum enim, quam homines ipsius naturæ instinctu immortalitatis apperentissimi ad virtutem inflammentur, si sentiant, partam per virtutem gloriam nullius sæculi finibus circumscribi. Si unquam propterea eum me esse oratorem optavi, cujus opera posteritati mandata totius posteritatis admirationem in se converterent; id mihi modo optandum est, cum præclarissimi viri Angeli Zoni, Equitis, Magni Serenissimæ Reipublicæ Cancellarii, immatura fatis morte nobis abrepti, laudes oratione prosequi debeo ad posteros omnes itura, quæ & gloriam ejus apud omnia sæcula tueatur, & viventes, ac victuros ejusdem ordinis cives, proposito tantæ gloriæ exemplo, ad parem vitam accendat. Sed præterquam quod non id mihi virium ab ingenio, nihilque mediocre studium, & haud ita frequentem dicendi exercitationem brevis adjuvat dicendorum meditatio hac temporis caritate, qua tantum non ex tempore dicere jussus sum; consequi quod vellem minime possum pene obrutus eorum, quæ dici possent, copia, & cum tot animo dicenda obversentur, singula se se

mutuo mihi videntur impedire, ut qui omnia dicere minime possum, nec quid dicendum, nec quid prætereundum sit, facile inveniam. Laudandus enim mihi vir est secretis, & manifestis, privatis, & publicis virtutibus insignis, domi, forisque æque clarus, qui plurima naturæ, plura sibi debuit, qui operam omnem, & ingenium ad Reipublicæ ministrandum contulit, amplissima præmia a Republica consecutus est. Verum ut Magni Cancellarii exsequias celebrari omnes intelligant, hominis alias virtutes præteribo, atque ut appareat, qua ratione Angelus Zonus hanc tantam dignitatem promeritus sit, qua ratione gesserit, alacritatem, qua difficillima ministeria sibi a Republica delata suscepit, assiduitatem, qua suscepta difficillima ministeria exercuit, solertiam, qua in exercendis ministeriis usus est, brevi oratione complectar. Pergratam hanc illi laudem futuram puto, si ad eum amplius laudes nostræ pertinent, quæ tota ex ejus in patriam fide, & caritate gignitur: hac certe scio laude exemplum satis luculentum proponi sui ordinis civibus, ut amplissimam dignitatem si minus omnes consequi, omnes certe possint promereri.

Parum fortasse laudare virum amplissimum videbor, si alacrem dixero ad injuncta sibi ministeria capessenda, cum hæc magno aliquando ambitu peti soleant, ornarique se existiment, ac præmii loco ducant plurimi, si quid sibi a Republica mandetur. Verum prærterquamquod non idem est omnium sensus, segnioresque multi ea declinant, quæ videntur appetenda; alii alia ducti causa, ne ab instituto vitæ, honorumque curriculo discedant, in ea sæpe, unde pudor est diffugere, inviti trahuntur. Singularis Angeli Zoni laus est, aut certe communis cum paucis, quod ob suum in patriam amorem, promissamque, cum primum ad Rempublicam accessit, fidem, non solum difficillima quæque mandanti paruit, sed magno animi studio ita exsequenda suscepit, ut una in patriam pietas cæteras omnes nunquam non vicerit caritates. Ab ineunte adolescentia per singulos ætatis suæ annos si ire vacaret, Angelo Zono difficillima haud semel imposita munia, difficillima quæque munia summa animi alacritate semper ab ipso suscepta, facile ostenderem. Quæ in urbe gerenda erant, haud tantæ virtutis ducamus, prompto ad ea animo fuisse. Plena & illa quidem laboris, & aleæ, sed quæ nisi iners, patriæque inutilis esse velis, amplectaris necesse est. Magnum illud fuit, quod adhuc adolescens, ut futuræ vitæ tirocinium poneret, non timuit se dubiæ navigationi committere, jonio, ægæoque mari se credere, supremo rei maritimæ præfecto, secretioribus & dandis ad Senatum epistolis, id enim illi muneris injunctum fuerat, seduli-

ta-

tatem omnem inter armorum ſtrepitus præſtiturus. Hinc facili conjectura conſequi quiſque potuit, quam omnia patriæ poſthaberet, quam unice eam diligeret, quo animo futurus eſſet, cum maturiori ætate, atque ingenio graviora etiam ipſi munia demandarentur.

Venit itaque dies, cum ut apud Inſubriæ Gubernatorem publica negotia curaret, eo Reſidentis, ut vocant, nomine ire juſſus eſt. Erat hic Angelus Zonus in oculis omnium, probatus omnium ordinum hominibus, gloriæ & honorum ſecurus; proponebantur ante oculos maxima pericula, cum difficillimis totius Europæ temporibus pronius eſſet exiſtimatione hominum excidere, quam in hominum famam aſſurgere: noſtræ vivendi rationi, huic cultui parabili, & noſtratibus moribus duntaxat aſſuetus erat; alio mittebatur, ubi alienis moribus vivendum, ſplendidiori apparatu, ac numeroſioribus ſervitiis utendum: præterea plurium liberorum parens rei domeſticæ procurandæ animum intenderet, oportere, intelligebat, ut tueri locum ſuum ipſe, poſterique aliquando poſſent; ut alio migraret, vel a cariſſimis pignoribus, conjuge, ac liberis divelli neceſſe erat, vel ſecum ea ducenda, quorum neutrum ſine magno rei familiaris detrimento, eaque prope acciſa, fieri unquam poterat. Quis ipſi non ignoſceret, ſi tot incommoda, ac difficultates excuſaſſet, ut injunctum onus detrectaret? Nunquam tamen lætior viſus eſt, quam cum ampliſſimorum Patrum ſuffragiis deſignatum ſe apud Inſubriæ Gubernatorem Reſidentem ſenſit. Ne tantiſper quidem dubitavit, impoſitum ne onus ſubiret, ſed quamvis acerrimo ingenio vir omnia proſpiceret, & jam non patrisfamilias tantum, ſed & Reſidentis onera cogitatione præciperet, extemplo tamen patriæ, qua illi nihil erat antiquius, parendum ſtatuit. Statim conjugi, ac liberis indictus ab urbe diſceſſus: ſtatim magnificus cœptus apparatus, ne aut ſuum, aut patriæ decus apud exteros negligere videretur: ſtatim neceſſaria ad iter comparata. Cui mirum propterea eſſe poteſt, quod hilari ſemper animo per octo continuos annos ita munus illud exercuit, ut non negotiorum difficultatibus fatigari, non maximis rei domeſticæ diſpendiis afflictari, non ipſius patriæ deſiderio premi viſus unquam fuerit? Idem animi vigor, eadem alacritas ſemper in miniſterio illo graviſsimo ſuſtinendo, qua minime potuit a ſuſcipiendo deterreri.

Quo eum animo meminiſtis Mediolanum pergentem, eodem eum ad cætera quoque promptum, & alacrem, eodem eum ipſum Archicancelliaratus honorem dicam, an onus? ſubiiſſe, credite. Quamquam enim hanc tantam dignitatem, ſui ordinis ſupremam, Reſpublica optime meritis viris confert, non otium tamen ulli hac pa-

rat, sed sollicitiorem operam exigit, ut quo in illustriori gradu hominem collocat, eo majora ab illo & postulare, & poscere videatur.

Promptum ad Reipublicæ imperata capessenda Angelum Zonum audistis; audite jam in faciendis imperatis assiduum. Quæ pauci, cum vivimus, advertunt, ea tandem, cum esse desiimus, tota æstimantur. Quantum est, hominem per totam vitam, ita semper patriæ, ita sibi nunquam vixisse, ut ne satis quidem naturæ vivere potuerit? Ideo enim immaturo funere elatum nunc querimur Angelum Zonum, quod quotidiana, quam præstitit Reipublicæ, opera, laborumque assiduitate confectus, non publicis, privatisque curis prius affligi desiit, quam vivere. Alia ex aliis semper illi munera injuncta, & cum probata fide, ac diligentia nunquam uti nollet Respublica, tandiu solum deferendo novo ministerio expectatum est, donec ille susceptum procurare desiisset. Rediit e navigatione haud prima juventute, cui se prima adolescentia commiserat; gravissimorum statim magistratuum secreta illi credita: gravissimis magistratibus operam per plures annos navaverat; ab universo Senatu in consiliorum conscientiam sumptus. Hoc jam auctior honestissimo ministerio, cum primum maximis Reipublicæ negotiis curandis par visus est, statim in Insubriam missus. Nondum illinc in patriam revocatus fuerat, cum senatusconsulto delectus est, ut sapientissimo X-Virum collegio, statim ac se in urbem recepisset, arcanorum omnium particeps adesset, donec tandem universo ordini suo majoribus comitiis præpositus, ac Magnus Cancellarius renunciatus, honestæ etiam aliquando obtinendæ missionis spem abruptam sibi intellexit. Eo devenit, ut otii etiam desiderio capi contra Rempublicam esse duceret. O virum non sibi, sed patriæ natum! O virum nullis laboribus unquam fractum, qui, si eum tot curis parem, ut animo virtus finxerat, ita corporis quoque viribus natura finxisset, tam nunquam finiendis laboribus fuisset oblectatus, quam laboribus nunquam doluit acerbius vitam finiendam. Ita decuit hominem honestissimo genere natum, qui a majoribus suis amplissimam gloriæ hæreditatem acceperat, qui nullam domi avorum imaginem inspexit non multis titulis præstitæ Reipublicæ operæ insignem: ita decuit plurium liberorum parentem, qui quos patriæ genuerat, iis esse voluit exemplo, ut patriam se ipsis cariorem ducerent.

De Angeli Zoni in implendis muniis solertia, quam postremo loco docturum me promiseram, verba ulla amplius facere supervacuum puto. Quis enim adeo rerum expers, qui non solertem, & industrium hominem credat, quo per totam vitam Respublica in tanto eorum numero, qui peracri pollent ingenio, uti voluit?

Cum

Cum illum dico per totam vitam graviſſimis negotiis pene obrutum nunquam defuiſſe Reipublicæ, cum illi dico nova ſemper, atque alia ex aliis Rempublicam demandaſſe, miram in agendo dexteritatem, in explicandis maximis negotiorum nodis ſolertiam, induſtriam, ſedulitatem dico. Qui enim unquam ſapientiſſimi Patres tot illi onera impoſuiſſent, tot graviſſimas illi res iterato commiſiſſent, ac tandem ad tot curis obnoxiam dignitatem univerſæ Reipublicæ non favor, ſed judicia evexiſſent, niſi eum prius verſatili ingenio, mente perſpicaci, animi vigore, orationis etiam, ſive voce, ſive ſtilo opus eſſet, ubertate tot ſuſtinendis oneribus, tot, tantiſque negotiis obeundis parem probaſſent?

Verum ne ſolis videar conjecturis rem agere, quandoquidem quæ in curiæ penetralibus, ac X-Virum ſacrario fiunt, in publicam lucem effert nemo, revocemus in memoriam eorum temporum, quibus Zonus Mediolani cum publicis mandatis ſubſtitit, calamitatem. Tota continenti prope internecini belli incendio Europa flagrabat, quod cum ad cæteras potentiſſimorum Regum provincias, tum præſertim ad Venetæ ditioni conterminam Inſubriam pertinere videbatur. Una hæc Venetorum Reſpublica Sereniſſima, injecta deſuper mente, omni partium ſtudio vacua, media inter tot populorum motus, in tanta rerum omnium perturbatione, ſuorum otia tuebatur, & diſſidentium inter ſe Principum animos debitis erga ſingulos amicitiæ officiis excolebat. Verum probe noſtis, quam pronum ſit, ut is, qui utrique parti ſtudet, apud utramque aliquid offendat, & qui partium nulli immiſceri vult, dum utriſque vult eſſe amicus, utriſque inimici loco ſit. Difficillimis his temporibus Reipublicæ cauſam tueri, ejuſque negotia obire Angelo Zono contigit apud Inſubriæ Gubernatorem. Uno dicam verbo, quæ ejus fuerit in agendo dexteritas: & Reipublicæ ſuæ, & Inſubriæ Gubernatori probatus fuit, neutri unquam ſuſpectus, cum inter non ſatis certæ fidei amicos eſſet velut medius. Neque defuere aliquando, in quas incideret, ſalebræ. Cum via per Venetos fines utriuſque Principis copiis pateret, & hinc e Germania in Inſubriam contendentibus, & illinc ex Inſubria occurrentibus, bellique tandem ſedes Veneta ditio videretur; ita tamen Zoni conſilio, & ſolertia omnia comparata ſunt, ut dum prælia inter partes in Venetis agris miſcentur, amicitia cum Venetis ſanctiſſime ſervata, eorum pax ne leviter quidem tentanta unquam ſit. Sin autem militum inſolentia aliquando, ob corruptam potius caſtrorum diſciplinam, quam ullo ducum in nos odio, non ſatis coerceri potuit; ſi quæ noſtris illata damna ſunt, ut ea ſtatim repararentur, Zonus petiit, & cum petiit, nunquam non

evi-

evicit. Tantam dicendi vim bona causa Angelo suppeditavit: adeo orationem ipsam morum suavitas, ac dexterrimum ad omnia ingenium semper adjuvit, ut uno ipso inermi Venetos fines velut propugnante, nulla pestis ex Insubria in Venetas terras irruperit, & ex nulla parte minor nobis, quam illinc, timor fuerit. Si tunc præcipue promeritum illum Magni Cancellarii fastigium dixero, minime fortasse fallar: certe illud brevi post recenti adhuc tantæ virtutis recordatione est consequutus. In hoc autem quam sui simillimus adhuc fuerit, quam in alio negotiorum, & curarum genere, qui ad omnia factus videbatur, solers, & industrius, non est, cur memorem. Testes omnium ordinum homines habeo, qui hoc tanto ob ejus interitum luctu, quam bene Zonus Magni Cancellarii munere functus sit, fidem faciunt.

Plura de tanto viro quo minus dicam, etsi copia suppetit, temporis caritate prohibeor. Quæ pauca tamen dixi, si non satis ad ejus laudem, satis certe esse possunt ad cæterorum exemplum. Pergite igitur, quotquot eodem, ac Zonus, ordine censemini, honestissimi cives, pergite, quod facitis, promptam, assiduam, industriam operam tantæ Reipublicæ præstare. Eadem, quam Zonus consequutus, vos quoque manet merces amplissima. Viam monstrare vobis ad gloriam, qui jam illam ingressi estis, mihi amplius non licet: hæc tamen quam certa, quam apta sit, proposito Angeli Zoni exemplo, ostendere licet.

Vobis vero, vos enim tandem appello, dulcissima Angeli Zoni pignora, succrescens clarissimæ familiæ soboles, luculenta Reipublicæ spes, digni tanto parente liberi, qui suavissimum caput fatorum acerbitate abreptum vobis restituere non possum, ejus, quibus per tempus, & ingenium licuit, coloribus expressam imaginem exhibeo. In hanc inspicite, & hinc vobis sumite exemplar. Plurimæ domi vestræ avorum imagines sunt, quæ, quantus fuit parens vester, totum fecere: ut singulos imitemini, unum vobis opus parentem, quem ore & vultu refertis, moribus etiam referre. Zonum quidem genus ac nomen ab antiqua origine illustre, hac tempestate ob parentis vestri virtutem ac dignitatem longe illustrius factum est. Quam gloriam a majoribus accepit, eam ad vos longe auctiorem ille transmittit, ut magis adhuc amplificatam posteris mandari a vobis necesse sit, si patris exemplum sequi velitis. Non solum nobis, ac Reipublicæ reddi a vobis Angelum Zonum volumus; reddi Magnum Cancellarium volumus. Non aliter augeri familiæ vestræ splendor potest, nisi Magnorum Cancellariorum imagines multiplicentur.. Quod cum ab animi vestri indole

fu-

futurum ſpero, tum maxime a te quoque, Camilla Angeli Zoni, quæ communes liberos in ſinu tuo educis, eiſque non aliud traditura es, quam quod tradentem ipſis ampliſsimum virum toties audiſti. Habes quidem clariſsimos fratres, qui ſororis filios veluti alteri parentes amant, habes in Zuccata familia, unde egreſſa es, habes in Zona in quam nupſiſti, quos plurimos liberis tuis ad imitandum proponas. Sed Angeli Zoni filios unum parentis exemplum ſatis ad virtutem informabit. Ipſa interim filiorum tuorum bono diu vivas, & ſpem Reipublicæ, ſpem familiæ ita educes, ut dubium aliquando ſit, utri parentum plus filii debeant, illine, qui tantarum virtutum exemplum reliquiſſe, an illi, quæ ad tantum exemplum eoſdem inſtituiſſe prædicabitur.

IN FUNERE
PETRI BARBADICI
PATRIARCHÆ VENETIARUM &c.
ORATIO.

QUod vulnus amplissimi Præsulis, Petri Barbadici interitu accepimus, Serenissime Princeps, hoc tam magnum, tam grave est, ut vix tempus illi diuturnitate mederi posse, facile putem. Amisimus orbi filii parentem optimum, qui tam nobis carus erat, quam nos illi caros esse sentiebamus: amisit sponsum sui amantissimum vidua Ecclesia, qui omne studium, curas omnes, seque totum ad ejus præsidium, atque ornamentum impendit. Hac autem jactura ut gravius percuteremur, mortis etiam malignitas spem nobis ostendere visa est, ut acerbius ludificaret. Quamquam enim cum primum viridi adhuc ætate, inter viri, senisque confinia, gravissimo morbo tentari cœpit, statim pro nostra in eum pietate, tantoque ejus periculo maximus omnes timor incessit; mox nihilominus, vi morbi defervescente, certa vitæ spes injecta est nobis, auditumque fore, ut brevi convalesceret. Verum haud diu nobis licuit lætis esse. Statim enim iterum rumor de ingravescente morbo vulgatus: sed iterum etiam illius vim remissam, nunciatum est. Fuimus ita per aliquot dies alternis spe, metuque suspensi, ac solliciti, donec remedia omnia vincente morbo, naturæ coactus est concedere, ut qui nos vivus omnibus bonis cumularat, eosdem immortali sui desiderio extinctus affligeret. Proh Superum fidem! Siccine terris sua bona invidisse dicendi sunt, eorumque singulare donum, optimum Præsulem? At quo meo, vestrumque omnium dolore abripi me sinam, minime sentio? Committere haud debeo, ut recrudescat, me dicente, vulnus, cui aliquam potius, si ullius patiens est, adhibeam medicinam, oportet. Mittamus igitur ejus mortem lamentari, cum uberrimam, & vobis, mihique jucundissimam ipsius virtutes præbeant dicendi materiam. De his propterea dicere aggrediar, & laudationem meam ita instituam, ut, quod meo maximo, omniumque damno perculsum decet, simplici, nullisque ornamentis fucata oratione, totam tanti Præsulis vitam nitar comprehendere. Id autem eo libentius mihi faciendum est, quod quamvis nun-

nunquam optanda fuerit, ampliſſimi tamen Præſulis, qui vivus laudibus ſuis ſemper interceſſit, laudandi occaſio non ſine quodam animi ardore amplectenda eſt.

Cum ad argumentum, in quo verſaturus ſum, magnitudine ſua ſatis amplum, ſuo ſplendore ſatis illuſtre nullius artis ſubſidiis opus eſſe intelligam, ita quæ a Patriarcha noſtro geſta ſunt, exponam, ut non alium, quam temporum ordinem ſequi velim. Adoleſcentem itaque Petrum Barbadicum primum noſtra ſpectet oratio. Summam ſtatim initio dicendi videbor occupaſſe, cum dixero, manifeſto Dei conſilio ab ea ætate ad hujus Eccleſiæ infulas vocatum. Ille enim ex eo tempore ad tam illuſtre ſacerdotium vocavit, qui tunc temporis eam mentem injecit, ut ſacerdos vellet inaugurari. Natus erat præclariſſimo genere, de quo apud vos verba facere non niſi tempore abutentis eſſet, cum ea ſit Barbadicæ gentis ſplendidiſſima nobilitas, ut ſuo ſe lumine omnium oculis prodat. Cum autem magnorum virorum exemplo, qui domi foriſque rem Venetam cum magna nominis ſui gloria geſſerunt, ad rempublicam capeſſendam invitaretur; non ille clariſſimos duces, qui honeſtiſſimam pro patria mortem obiere, non duos illos Sereniſsimæ Reipublicæ Principes, aliosque innumeros in proximo dignitatis faſtigio collocatos, non ipſum Hieronymum patrem, ſenatorem præſtantiſsimum, ac maxima pariter ſenatus lumina, patruos Petrum, Ludovicum, atque Auguſtinum imitandos ſibi propoſuit, ſed quam deſuper immiſſum lumen monſtrabat, viam ingreſſus, ſacris initiari, ne delibatis quidem patriæ reipublicæ honoribus, voluit. Ut vero intelligatis, quo conſilio hoc vitæ genus inierit, in quod nonnulli ſæpe caſu incidunt, alii ſpe aliqua trahuntur, quidam etiam a terrenarum rerum fluctibus velut in portum ſeſe recipiunt, ſubeat animum, qua id temporis ſanctitatis fama longe lateque florerent adhuc inter vivos, Petri gentiles, Cardinales Barbadici, Venerabilis memoriæ Gregorius, quem cum ſumma animi religione nomino, ac Marcus Antonius, qui non magis a Gregorio diſtabat, quam ſoleat ab exemplari, quod ab eo ſcite deducitur. In hos cum Petrus inſpiceret, vel ſi ſpe ampliſſimas Eccleſiæ dignitates præſumpſiſſet, non alio animo potuit ſacræ huic militiæ nomen dare, quam ut omnes eccleſiaſtico viro dignas virtutes ſibi ſectandas, omnia eccleſiaſticorum officia implenda ſibi proponeret. Noverat ſatis, nihil illis præcipue temporibus fuiſſe turpius futurum, quam profanis moribus e gente Barbadica ſacerdos. Qui itaque minime ſuſtinuiſſet, ſe eum dici, qui unus inter ſuos patriam rempublicam non egregie gereret, ſi ad illam acceſſiſſet, ſuſtineret idem ſua gente indignus inter ſuæ gentis ſacerdotes videri?

 Quan-

Quantus autem futurus esset aliquando, his domesticis exemplis ad omne virtutum genus inflammatus adolescens, præsensisse, ea cœlesti vi, qua tot futura prospexit, Venerabilem Gregorium puto, cum ultro ipsum in Cathedralis suæ Patavinæ Ecclesiæ insigne Canonicorum collegium ascripsit. Hoc tanti viri judicio novum ad virtutes calcar additum ipsi, haud mirum. Accessit etiam, quod ipse statim, vestigiis Marci Antonii Cardinalis, qui aliquando eodem, quod ille tunc consequutus, sacerdotio potitus fuerat, insistendum sibi intellexit, a quibus nisi degenerem se professus, recedere nunquam posset. Tum primum itaque, tum maxime ad gentilium suorum sanctitatem niti certum illi fuit, ac satis, si eos exprimeret, contentus, hunc honorum sibi finem statuit, Deoque, ac sibi cæpit impensius vivere. Omni vacuus ambitione, quæ sui muneris erant, quam sancte procurabat, quam totus in iis erat, quæ ad religionem quæ ad mores formandos, quæ ad eas virtutes, quibus propius ad Deum homines accedunt, assequendas spectant. Hinc factum est, ut dum honores suos Patavino sacerdotio finiri vult, minime advertens, neque unquam id opinatus, illud honorum initium fecerit. Dum enim sibi ita sancte vivit, apparuit dignum esse, ut viveret aliis, ac aliis præluceret, egregiasque animi dotes, quæ latebant, in publicum tandem efferret.

Per gradus tamen Deus illum voluit ad totius hujus urbis supremum sacerdotium evehi, nec nisi probatum nobis Pontificem dari. Haud ita magno propterea, sed satis illustri præpositus gregi, ab acerrimi judicii Principe, Serenissimo Silvestro Valerio, basilicæ suæ Primicerius renunciatus est. Miretur nemo, quod nihil eorum desiderari in novo Primicerio potuit, quæ a regiæ basilicæ Antistite postulari solent. Ad hanc quoque dignitatem evecto Barbadicum nomen non oneri ad sustinendum gravi, sed subsidio fuit, ut ejus splendorem latius diffunderet. Successor enim datus est Eminentissimo Joanni Francisco Barbadico, quem modo inter purpuratos Ecclesiæ Patres colimus, cum ille has Marciæ basilicæ insulas ponere coactus est, Veronensis Episcopus creatus. O divinæ Providentiæ consilia! His domesticis exemplis, apparet, Deum, ne bonus unquam esse non posset, quamdam Petro recte agendi necessitatem imposuisse. Nec divinis consiliis restitit Petrus, qui dum in gentilium suorum exempla inspicit, jam non optimus solum Marciæ basilicæ Antistes, sed optimus universæ Ecclesiæ Venetæ Pontifex facile evasit. Cum enim hanc tantam dignitatem abdicasset Eminentissimus Cardinalis Baduarius, statim dignus habitus est Petrus Barbadicus, qui amplissimorum Patrum suffragiis tanto viro sufficeretur. Manifestis indiciis pro-

prodidisse se numen, ineuntibus suffragia Patribus, atque hunc inter cœteros, quorum ratio habita fuerat, palam velut a suffragatoribus poposcisse, tunc est creditum: tam bene postea procuratus Patriarchatus haud temere id esse creditum, probavit. Quam enim expectationem statim ac inauguratus est, excitaverat, hanc non implevit modo, sed vicit. Prolixior, quam loci, ac temporis ratio postulat, flueret oratio, si omnia vellem, quæ Patriarcha gessit, non dicam ornare verbis, sed assequi numerando. Itaque cursim summa rerum capita attingam, quæ satis vobis erunt ad singulorum recordationem, posteris vero, si ad posteros forte mea pertinebit oratio, ad luculentissimam eorum, quæ præteribimus, conjecturam.

Quod primum occurrit, id omnium maximum est, ac eorum omnium, quibus eximius quilibet Præsul commendari possit, velut fundamentum, orthodoxæ scilicet religionis studium, quæ in Episcoporum fidem, ac tutelam se nisi recipiat, amittere candorem suum, & errorum maculis aspergi facillime potest. Nihil quidem huic timere a suis Patriarcha vigilantissimus poterat, qui in ipsius Fidei sinu feliciter educti, quam religionem illibatam a majoribus suis accepere, hanc sanctissime colunt, sanctissime servant, & omni diligentia tuentur. Verum in urbe, quæ terra, marique omnibus patet, nihil etiam a confluentibus huc omnium regionum hominibus timendnm erat? Imo timendum fuit, ac pestis, seu clam irrepsisset, toto animi nisu ex hujus religiosæ urbis finibus exturbanda, aut obex prætendendus, ne irreperet. In nulla æde, ut ut advenis tantum, ac maritimis hominibus propria, Petro Barbadico Patriarcha, sacra ab iis, quorum non omnino integra, ac sincera Fides, sunt procurata, eidemque Patriarchæ ascribendum, quod nunquam posthac procurabuntur. Ea mihi referre contingit, quæ vobis notiora sunt, quibus narro, quam mihi, qui narro. Illud tamen omnibus notissimum est, hoc tam impensum religionis studium, quo amplissimus Præsul incensus, hanc tantam in ea custodienda vigilantiam, hunc imperterritum in ejus causa sustinenda animi vigorem meruisse, ut non solum gravissimorum Serenissimæ hujus Reipublicæ magistratuum honestissimis testimoniis commendaretur, magisque, promisso, ac præstito, quo opus erat, subsidio, animaretur, sed etiam Pontificis Maximi, qui tunc inter vivos degebat, Clementis XI. literis hac de re ad ipsum datis, extolleretur, & præmiis cohonestaretur. Quam mercedem a Deo consequutum Petrum Barbadicum, credendum est, qui hæc ab hominibus, quod Dei causam propugnasset, consequutus est.

Quidquid post hæc dixero, frigere orationem necesse est. Dicen-

da tamen sunt omnia, quæ si non tanta sunt semel facta, at majora fortasse erunt, quod toties repetita, nisi etiam semel facta dicere malimus, quæ nunquam interrupta, continenti exercitatione ita facta sunt, ut a prima, qua Patriarchatum iniit, die ad ultimum vitæ terminum pertineant. Hujusmodi fuit in sibi commissum gregem impensus amor, cujus semper, alimenta etiam præstando, se parentem præbuit. Vidimus pauperculorum agmina ædium suarum fores semper obsidentia, tacita illa quidem, quæ noverant, idem esse optimo parenti ostendi, ac ab ipso juvari. Vidimus honesti loci viros, fœminasque, paupertate pressos ad illum, cujus minime pudebat, quotidie accedere, ubi jam ipsi non sibi pauperes, sed sua potius apud ipsum deposuisse videri poterant. Etsi autem plura videre concessum nobis nunquam fuerit, ignotumque omnibus sit, quot puellæ dotatæ, quot ære alieno levatæ familiæ, quot ejus sustentatæ impensis; hæc omnia tamen comprehendere ratione licuit, cum Præsulem nostrum videremus, hoc sacerdotio divitem, nihil ad rem, quod dubium unquam fuit nemini, attentum, non splendidiori cultu, atque victu, non pluribus, quam pro officii dignitate, servitiis usum proventibus tamen parcere. Nimirum ea cogebat, quæ statim in pauperum sinum effunderet.

Idem illi tota vita studium, eadem nunquam intermissa sollicitudo ad Clerum, qui potior gregis sui pars, ad severiores Ecclesiæ canones instituendum. Præmiis, & quod boni plusquam præmium optant, singulari amore, & laudibus promeritos prosequutus, si quos minus dignos novisset, primum castigare verbis, deinde ab iis se adiri non amplius pati, ac demum inflictis pœnis in ordinem redigere illi solemne. Præcipue vero ab ea, qua Patriarcha salutatus est, die, per undeviginti annos animum in id semper advertit, ne quem in Clerum allegeret, ne quem majoribus, aut minoribus sacris initiaret, qui moribus, ac literarum studio probatus, teste ipso ac judice, non fuisset. Hæc gregi mala omnia cavendi vera ratio est, ne ovis ulla morbida sese insinuet in septa, si cures. Unica apud ipsum sacerdotii candidatis commendatio, castigati mores, & literæ. Frustra aliquis ad principum virorum preces, frustra ad interpositas consanguineorum obsecrationes confugisset, cum apud tam comem alioquin, ac facilem Præsulem, ubi de initiandis clericis agebatur, gratia, aut auctoritate valeret nemo. O dignum Pontifice pectus! O virum Deo carum, cui nihil Deo carius unquam fuit. Nobilissimas affinitates domus sua complectebatur: habebat carissimum fratrem, Joannem, Senatorem amplissimum, quem honoris causa nomino: unice fratris filios diligebat, quos ad patriæ honores adolescere, futuros

turos aliquando maximum suæ gentis ornamentum, ex eorum indole sperabat; mutuis officiis sibi, ac suis, ut est civitatis conditio, ubi alterni cives innituntur, & invicem ab iis, quos sustinent, sustinentur, quamplurimos devincire poterat, nihil tamen emendandi Cleri desiderio antiquius unquam habere voluit, & Pontificis officia omnibus præferenda necessitudinibus numquam non duxit.

Fateor equidem, ut non semper homines æqui sunt rerum æstimatores, aliquibus difficilem, &, ut libere loquar, duriusculum visum fuisse. Hac tamen tanta morum severitate opus fuerat, ut id, quod unum in votis erat, consequeretur, opusque a clarissimis præcessoribus affectum tandem perficeret, ac sacerdotum collegia in hac præclarissima urbe pro nominis dignitate, non probis tantum, sed ornatissimis moribus aliquando essent. Ecquis autem id non Præsuli concederet, qui nihil sibi indulgebat, ut esset in alios severus? Ecquis non hoc illi daret, ut quam sui simillimos minores vellet sacerdotes? Debuerat quidem unum ipsius exemplum ad omnium mores formandos satis esse. Verum si quis nequaquam intellexit, cum in Pontificem suum intueretur, quid ab ipso Pontifex vellet, hic admonendus officii sui, ac metu etiam in ordinem cogendus. Hanc tantam animi constantiam, hanc tam assiduam curam exitus rerum satis probavit. Veneta diœcesis sacerdotibus tandem floret, sanctimoniæ, ac literarum gloria ubique commendatis. Libere id, ac elata voce ad immortalem Petri Barbadici, Patriarchæ gloriam dicendum est, quod uno ore non cœteri solum homines fatentur, sed ipsius supremi Ecclesiæ Pastoris, ac Doctoris oraculo confirmatum scimus. Nunciatum est enim nuper publicis Excellentissimi Veneti apud Sanctam Sedem Oratoris ad Senatum literis, universi Christiani gregis Pastorem, Benedictum XIII. hunc tam disciplinæ ecclesiasticæ studiosum Pontificem, cum hoc anno Jubilæi, quampluribus e Veneta ditione honestissimis viris ejus pedes adeuntibus, idem, qui hanc veniam illis a Summo Pontifice impetrarat, Orator Venetæ diœceseos inter ipsos sacerdotem digito monstrasset, composito ad sacrarum legum præscripta vestium, & totius corporis habitu oblectatum, compertum sibi, dixisse, Venetum Clerum eum jam esse, qui aliarum ecclesiarum sacerdotibus exemplo esse possit. Hoc debet Præsuli suo Venetus Clerus, ut a tanto Pontifice laudari meruerit, qui non a suis tantum, sed ab ipsis etiam veræ religionis hostibus adeo laudatur, & suspicitur. Audiit hæc paululum, antequam e morbo decumberet Patriarcha, & tanti Pontificis, ad emendandos, si usquam opus est, universi Cleri mores divinitus dati, testimonio lætus, bene impleti officii jam certus, tamquam fidem suam liberasset,

set, nihil amplius sibi esse, cur viveret, intellexit, ac Deum tunc forte honestam a vita, ac tot laboribus missionem rogavit. Brevi certe ereptus nobis est, ut curarum, ac laborum præmium, quod jure credimus, in cœlis consequeretur.

Verum ita me ejus mortis, in quam hic casu incidi, mentio iterum perculit, ut memoria exciderint, quæ alia plurima de tanto viro dicenda erant, & dicenda mihi proposueram. Finem itaque dicendi faciam, cum præcipue mihi timor sit, ne se prodens dolor meus, qui lacrymas tenere vix possum, dolorem vestrum magis incendat, & exasperet. Salve tu, cœlo recepte, ut par est credere, Petri Barbadici spiritus, atque æternum nos gregem tuum amare desuper perge. Nos quidem pro nostra in te observantia, pro tuis in nos meritis una tui nominis recordatione recreabimur. Quoties dies hæc, quo magis acerba, eo semper honorata magis recurret, justa ad tumulum tuum persolvemus, & quibus licebit officiis, quam alte animis nostris tuarum virtutum, tuique nominis memoria defixa sit, nunquam non ostendemus.

IN

IN FUNERE
MICHAELIS ANGELI
GASPARENI
Congregationis Camaldulensis
ABBATIS S. JOANNIS DE JUDAICA.

SI quantum rerum multitudine, & varietate ampla, nobilisque materies fuit ad dicendum proposita, laudatio scilicet Reverendissimi Patris Michaelis Angeli Gaspareni, hujus cœnobii Abbatis, suprema universæ præclarissimæ hujus Congregationis Camaldulensis paucis abhinc mensibus præfectura, hesterna vero luce gloriosa etiam vita defuncti, tantum mihi temporis, ut me ad dicendum compararem, datum fuisset; spes quidem vobis esse posset fore, ut verborum copia, & sententiarum gravitate argumenti dignitatem exæquarem. Cum vero homini mediocri tantum aliquando exercitatione, nunc autem longa & scribendi, & dicendi desuetudine prorsus imparato circumscriptum paucis horis spatium ad tantum opus concesseritis; neque diu meditati aliquid, nec longa cura expoliti a me expectare quemquam fas est. Hoc tamen neque ipse, neque vos ægre ferre debemus, cum vestri Præsulis laudes oratore non indigeant, qui eas satis per se claras eloquentiæ luminibus illustret, ac se ipsis maximas dicendi artificio in majus extollat. In has propterea temporis angustias redactus, statim hoc animo constitui, ut silentio tanti viri virtutes præterirem, ne quæ ornare verbis minime possem, ea brevi oratione complexus detrivisse viderer, & dicendo obscurasse. Quæ virtutes omnium vestrum sermonibus celebrantur, prudens quisque assequetur cogitando, & judicando expendet, cum primum vestræ Camaldulensis Congregationis in ornando Gaspareno studium, deinde singulare in vestram Congregationem Gaspareni officium breviter ostendero.

Cum in ornando, augendoque Abbate suo Gaspareno mirificum Camaldulensis Congregationis studium declaraturus sim; summa velut facta, omnia in unum contulisse videri potero, si eo ad supremi honoris fastigium evecto, nihil ipsam sibi reliquum fecisse dicam, quod

quod ad ejus dignitatem amplificandam aliquando adderet. Est tamen aliquid, quod pluris æstimetis. Satis quidem suam erga tantum virum voluntatem Camaldulensis Congregatio significavit, cum ei supremo collato magistratu se totam in ejus fidem commisit: verum cum ante sibi probari ipsum voluit, quam supremum magistratum illi mandaret, voluntatem suam erga tantum virum longe planius significavit. Magnum est, quod supremam præfecturam Gaspareno detulit, majus tamen quod eam longis laboribus demerendi locum præbuit. Quem enim honestiorem honoribus suis facere constituerat, hic, oportuit, suffragantium judicio, non partium studiis honorum omnium maximum deberet, cum adipisceretur. Apparebat in Michaele Angelo etiam tum juvene ea virtutis indoles, quæ magnum aliquid portendebat, ac pollicebatur, prodebatque se se ad ardua quæque capessenda comparatum ingenium, ut statim eum ad rempublicam admovendum omnes dicerent, quo citius virtute id ambire inciperet, quod nunquam esset ullius favore captaturus. Minorem itaque magistratum, quamquam si cœnobii, ubi illum gessit, nomen & dignitatem pensare velitis, verbo quidem minorem, sed multorum cœnobiorum majoribus re præferendum diceris, Prior cœnobii Classensis ad Ravennam gesserat, cum Florentiam ad Angelorum cœnobium minor pariter magistratus discedere jussus est. Adhuc ibi Priorem agebat, cum par gravissimis ministeriis jam visus, summo omnium plausu, haud ita vulgari exemplo, altero nondum Prioratu absoluto, Abbas renunciatur. Creditum fidei suæ ac vigilantiæ monasterium Sanctæ Mariæ, quod appellant, de Follina statim accessit. Parum tamen in mediocri illo agri tarvisini cœnobio delituit, ubi magno illius animo impar theatrum, & exigua gloriæ seges, in rebus haud ita magnis curandis, ejus prudentiæ ac sedulitati subnasci poterat. Insigne propterea in beatis hisce æstuariis Sancti Michaelis de Muriano cœnobium, totius Ordinis Camaldulensis olim caput, quod licet ab omni continente disjunctum, ad omnes tamen terras, quo præclarissimæ Congregationis nomen pervenit, famæ celebritate pertinet, non tam amænissimis hortis, magnificentissimis ædibus, instructissima bibliotheca, quam tot alumnorum literis ac pietate illustrium frequentia insigne, gubernandum suscepit. Hinc facto velut gradu ad Fabrianensis, cui cætera omnia, ob servatum ibi Sancti Camaldulensium institutoris ac parentis corpus, concedant, necesse est, a Fabrianensi ad Bononiensis Sancti Cosmæ cœnobii regimen profectus est. Quæ ubique præclare gesserit, missa hic facio, cum non quam bene de Congregatione ipse meritus sit, sed quam de ipso Congregatio, modo dicendum sit, quæ postquam tam illu-

strium

ſtrium cœnobiorum infulis eum decoraverat, Bononia ad Romanam curiam univerſæ Congregationis negotiis procurandis, quæ difficillima, eademque ſplendidiſſima provincia eſt, evocavit. Hoc functus graviſſimo munere quidni ad ſuum Murianenſe cœnobium infulatus rediret? Redit ille quidem, & fortaſſe ut rediret, ab eis, ad quos ſpectabat, petiit. Quid enim illi petere non licebat ſtatim ab expleta Romæ generali Congregationis procuratione? Aut quid aliud peteret ſibi magis honorificum atque jucundum, quam illuſtre illud, ſuumque cœnobium? Petiit autem id temporis, ut quanti ejus dignitatem faceret, quantumque illud amaret, tunc oſtenderet, qui ea erat animi moderatione, ut poſtquam abiiſſet ſuprema præfectura, cui ſe omnium votis deſtinari intelligebat, cum ſibi illud jure ſuo ſumere licuiſſet, alii eſſet ſponte relicturus. Omnia ut animo præſumpſerat, non ſine numinis conſilio accidere. Cum enim habita eſſent, quo tempore ipſe Murianenſe regimen dimiſurus erat, generalia Congregationis comitia, communi omnium gaudio, unanimi ſuffragantium conſenſu Generalis creatus, quod ſummum ea dare poterat, a veſtra Congregatione non accepit ſolum, ſed ejuſdem beneficiis per longum tempus omnibus probatus, omniumque judicio meritus accepit.

Jam vero qui audiſtis, quo eum ſtudio, quot amoris, exiſtimationis, ac judicii ſui argumentis Congregatio demerita ſit, accipite tandem, qua diligentia viciſſim in Congregationem officii ſui partes impleverit. Ut quæ Gaſpareni Reverendiſſimi propria ſunt, fuſiori aliquanto oratione proſequi poſſim, libens prætereo, quæ Abbatum nulli in hac tam bene temperata Congregatione non communia eſſe ſcimus, fidelem regularis diſciplinæ cuſtodiam, fidelem rei familiaris adminiſtrationem, quæ bonum quidem cœnobiorum Præſulem, non tamen magnum virum declarant. Verum ne ex illis quidem animi magnitudinem, qua Gaſparenus præditus fuit, æſtimetis, velim; quæ ipſius propria ſunt, quod ædificia inſtauraverit, bibliothecas inſtruxerit, publica chartophylacia ordine digeſta commodioris uſus fecerit. Quamquam hoc poſtremum, quod antiquitatis reverentiam, & poſteritatis utilitatem præſefert, & præteritorum ſimul, ac futurorum curam complectitur, quiddam eſt, quod præ cæteris dignum videtur, ad quod magno animo Abbas cogitationes ſuas aliquando conferret. Plurima ſunt in Monachorum præſertim archivis, quæ ſacram, prophanamque eruditionem illuſtrare mirifice poſſunt, quæ non bonorum tantum curator evolvat, ſed multo attentius, qui veterum temporum diſciplinam expiſcatur. Accedit quod ad animum virtutibus informandum multa ex antiquis monumentis, quæ illic

latent, exempla depromuntur, & non sine grati animi sensu, quod virtutis pariter est, antiqui benefactores suis vocantur nominibus, & quæ ab illis oblata donaria, quæ cœnobitis legata, cum maxima voluptate ab iis, qui veteres illas scrutantur tabulas, deprehenditur. Hæc autem longissimæ vetustatis velut promptuaria, nullus dubito, quin apud vos cum monasticæ, tum etiam totius rei litterariæ damno, aliquando interitura fuissent, nisi non quæ modo ætatem integra tulerant, sed semesas etiam chartulas, in scriniis suis disponi diligenter posthac servanda tantus Abbas jussisset, operamque etiam ipse suam ad id nonnunquam contulisset.

Sed venio ad illud, quo uno quantum Congregationem vestram Michael Angelus Gasparenus amaverit, quo animo erga ipsa, erga bonos omnes fuerit, satis intelligitur. Aderat tempus, cum exacto jam legitimo supremi magistratus curriculo dandus erat Gaspareno successor, seu potius eligendus a Gaspareno erat, qui sibi succederet. Cum enim legibus suis, qui jus ferendi suffragii creando Generali habent, prohiberentur, quo minus prorogarent ipsi præfecturam, quod maxime eo rectore perquam contenti voluissent, palam profitebantur, alium nullum se illi suffecturos, nisi quem ipse suffici sibi mandasset. Coguntur comitia: nihil turbatum partibus, nihil fluctuantibus animis incertum: Gaspareno deferuntur omnium obsequia: ipse officii sui munere comitiorum Præses, ipse ob nominis sui reverentia comitiorum arbiter. Laude quæso sua in hac tanta voluntatum, studiorum, sententiarum consensione suffragatorum virtutem ne fraudetis; futurum fuisse tamen intelligite, ut levitati potius, quam virtuti hæc tanta voluntatum consensio imputari posset, nisi integer aliquis, ac magnus vir, ab omni partium studio vacuus, nisi Gasparenus fuisset, in quo uno tuti ac læti conquiescerent. Hic vero non eo bonus gubernator visus, quod navim tranquillo egit, sed in procelloso comitiorum mari secundis eo ventis usus est, quod bonus erat gubernator. Quotus enim quisque vel Monachorum, namque homines sumus omnes, cum de successore sibi dando disceptatur, si minus eum sibi optet dari, qui comparatione deterrima præcessoris desiderium exstingui non sinat, saltem eum sibi dari nolit, qui clarioribus virtutibus præcessoris gloriam obscurare possit? In admodum paucis Gasparenus est, qui judicio aliquando creatus, judicio non studio creari velit, qui suum in locum succedat, non se minorem, non sibi obnoxium proponat, qui petitorum pensari virtutes, qui Dei honorem, ac Congregationis bonum unice a suffragantibus quæri, jubeat. Cum autem hæc ab eo uno omnes expendi velle se dicerent, quem idem supremo magistratui parem sibi videri signi-

significaverat, statim consentientibus omnium suffragiis designatum, Reverendissimum Petrum Cannetum supremum universæ Congregationis moderatorem ipse Præses, animo vultuque gestiens, nobilissimi voti compos renunciat. Nondum tamen satis suo in Congregationem officio fecisse sibi visus est. Eundum iterum est Patribus in suffragia, creandique Visitatores. Reverendissimus Abbas Guido Grandus, auctore omnibus Gaspareno, primus Visitator creatus. Qui hos tantos viros novit, novit autem quicumque bonas literas amat, viros in tota literaria republica celeberrimos, atque optime de eadem meritos, & quæ dico, & quæ nequaquam dico, assequitur intelligentia. Neque melius aliquid, neque gloriosius accidere poterat Camaldulensi Congregationi, quam quod ab iis regi debet, quibus literatior, aut melior apud eam nemo. Petrus Cannetus is est, qui in nullo literarum genere hospes, sublimissimam rerum divinarum sapientiam cum sacra, prophanaque eruditione miro nexu conjungit, quem multa moliri scimus in lucem aliquando emittenda, unde veteri disciplinæ lux splendidissima accedet. Guidonem vero Grandum, totius Italiæ nostræ decus, literatorum nulli tota Europa secundum, severioribus, atque amænioribus literis, altissimarum atabditissimarum rerum scientia, æque ac eruendæ ex remotissima antiquitate cujusque veritatis studio clarissimum, sua scripta omnium juris facta satis commendant. Gratulor vobis, religiosissimi Patres, quod nihil jam sit, cur majoribus vestris aut Ambrosium, cui vitæ institutum Camaldulensi cognomen fecit, invideatis, quem Cannetus vester, dum quæ ille literis mandavit in deliciis habet, tam bene & studiorum similitudine & morum sanctimonia refert, aut Petrum Delphinum, suæ ætatis doctissimum, aut alium quemlibet majorem, minoremve Præsulem, cujus nomen annalium vestrorum monumentis celebratur. Hæc autem dum memoro, quid præstiterit Congregationi suæ Michael Angelus Gasparenus, satis apparet. Illa enim dum Reverendissimos Petrum Cannetum, & Guidonem Grandum Gaspareno debet, debet ipsi, quod literarum gloriam apud nationes omnes suo sibi jure jam vindicat, quod a literatis omnibus, omnibusque viris principibus gratiam iniit, qui dum honores illis mandatos audiunt, quos amant & suspiciunt, suum de magnis viris judicium prærogativæ velut loco habitum putant, quod Camaldulensium comitia cuique religiosæ reipublicæ posthac exemplo esse incipient, sed id præcipue, quod suorum studia in dies vigebunt, quod literarum etiam præsidium, otio depulso, ad monasticæ disciplinæ custodiam accedet. Majoribus dimissis comitiis nihil amplius videbatur esse, quod Congregationi præstaret Gasparenus. Præstitit tamen.

Cum enim abeuntibus ſuprema præfectura cœnobii cujuslibet, cui præeſſe velint, detur optio, ipſe inſigniori quoque præterito, ut integrum eſſet Congregationi bene de ipſa meritos dignis præmiis afficere, maluit huc in tenue paucorum monachorum cœnobium ſecedere, ubi ſibi, ac Deo vivere tandem liceret. Heu vos tamen miſeros! Mors ex inſidiis velut adorta, tantum virum tam de omnibus meritum, dum præſentiſſimo remedio contra levem morbum uti credebatis, interemit. Verum cum reipublicæ veſtræ bono unice natus Gaſparenus majora præſtare Congregationi haud umquam poſſet, poſtquam eam velut de manu Canneto & Grando tradiderat, non erat cur ſibi victurum diutius ſperaretis. Deo autem ut æternum viveret, ſuarum virtutum, totque ſuſceptorum laborum præmium conſecuturum vitæ vinculis tandem ſolvi, oportebat. Soſpitet bonorum omnium largitor Deus magnos illos viros, qui vobis modo præſunt, ad veſtræ Congregationis bonum, ac mihi liceat addere, ad rei literariæ ornamentum etiam, atque incrementum.

IN

IN FUNERE
JOSEPH BOLAGNO
NAVIA, ET MOSCOSO,
S. R. I. COMITIS &c.

Cæſaris apud Venetam Rempublicam Oratoris.

ORATIO.

HOneſtius, ac pulcrius mortis genus inveniri nullum po- teſt, Sereniſſime Princeps, quam ſi, quemadmodum for- tiſſimi duces in acie, ita egregii viri, qui pacis negotia adminiſtrant, in magnarum rerum procuratione decedant. Non funebris itaque laudatio, ſed gratulatio potius has decet trium- phales exequias, quibus Sereniſſima Venetorum Reſpublica maximi omnium Principis, Auguſtiſſimi Caroli Sexti Imperatoris, Oratori Joſeph Bolagno juſta perſolvit. Quid enim tanto viro, qui ſe to- tum Cæſari addixerat, potuit optatius contingere, quam demanda- tam ab ipſo provinciam non niſi cum vita deſerere? Quid glorio- ſius, quam dum Cæſaris perſonam apud hanc Rempublicam gerit, in hujus tantæ Reipublicæ Cæſari conjunctiſſimæ, ſibi cariſſimæ ſi- nu diem ſuum obire? Par eſt omnibus naſcendi conditio, vitæ ra- tione diſtinguimur. Quid autem actus noſtros, quibus vera homi- nis vita continetur, probat magis, ac commendat, quam ultimus vitæ actus, præcipue ſi, quod philoſophorum monita ſuadent, in actu moriamur? (*) Mittent propterea poſteri quærere, quantus vir fuerit, quibus Cæſaris adminiſter præclaris muneribus functus ſit Joſeph Bolagno, cum intelligent, legationem Cæſaris nomine Ve- netiis obeuntem fato conceſſiſſe. Hoc uno titulo nepotibus prodita ejus imago virtutum ſuarum, magnorumque ab eo geſtorum magi- ſtratuum fidem luculentiſſimam faciet. Si & mihi propterea aliud nihil propoſitum eſſet, quam ejus laudes oratione complecti; profe- cto, quando res ipſa loquitur, parcendum verbis ducerem, & ipſum, dum

(*) *Sen. ep.* 8.

dum Invictiſſimi Caroli Sexti Oratorem Venetiis ageret, Venetiis vita functum, ac publico funere magnificentiſſime Senatuſconſulto elatum, contentus dixiſſe, idem initium, ac finem dicendi facerem. Sed poſterorum etiam utilitas mihi ſpectanda eſt, quibus ex ſapientiſſimarum rerumpublicarum inſtitutis ſub ſpecie eorum, qui vita ceſſerint, laudandorum proponendum eſt exemplum, in quod inſpiciant. Pluribus igitur agam, oportet, & qua via ille ad tantam gloriam contenderit, aperiam clarius, ut ejus vitam imitari poſſint, qui mortem glorioſam admirantur. In ampliſſimo autem argumento ut, qua maxima poſſum, brevitate, ac perſpicuitate verſer, Joſeph Bolagno oſtendam, nulli unquam erga ſe ipſum, nulli erga Principem ſuum, nulli erga Deum officio defuiſſe. Hæc cum docuero, tum demum de tanto viro integrum vobis erit exiſtimare.

Poſceret ratio, ut quo dicenda ordine propoſui, eodem ſingula exequerer, cum præcipue aliter augeſcere per partes oratio non poſſit, atque illuſtri, ut faciendum præcipitur, fine concludi. Verum a rhetorum præceptis recedere, & naturæ ordinem ſequi præſtat, & cum in Deum officia & prima ipſa per ſe ſint, & prima ſemper clariſſimo Bolagno habita, ab iis orationem auſpicari, quæ omnium ille & erga ſe ipſum, & erga Principem ſuum officiorum initium, ac regulam eſſe voluit. Pronum autem erit omnibus credere, ex Hiſpania hominem, atque in media Aſturia natum, in illa ſcilicet firmiſſima ſinceræ religionis ſede, quo ea ſe aliquando irruentibus undique Hiſpaniam barbaris veluti in tutiſſimam arcem recepit, antiquius nihil habuiſſe, quam Dei obſequium, & cultum. Religionis itaque a puero ſtudioſus, iis promptam, quæ Dei ſunt, ſenex etiam voluntatem ſervavit. Hoc autem eo difficilius puto, quod non ſemper eodem vitæ tenore uſus, eodem tamen ſemper pietatis ſtudio ductus eſt, ac ſeu privatim, ſeu publice, ſive ſibi, ſive aliis vivens, cogitationem nunquam dimiſit, cujus ſolo beneficio eſſet, & viveret. Cum propterea magis fortunæ, quæ appellamus, muneribus auctus eſt, & ſublimius hominum favore evectus, tum maxime ſupremo benefactori Deo juſta reddere ſui officii eſſe credidit. Ex illo enim tempore, quem ſemper pietatis operibus deditum noverant, deditiſſimum vidiſſe teſtantur ii, qui eum ex longo ævo comitantur, nos quidem noſtris oculis non ſine magna omnium laude, atque admiratione vidimus, dum inter nos in hoc tanto fortunæ ſtrepitu verſatus eſt. Verene autem ejus aucta in dies religio ſit, an ipſe, qua a puero imbutus, eam in publicum tunc ſolum eduxerit, cum ſe cæteris exemplo eſſe debere intellexit, quid

quæ-

quæritis? Magnum eſt ſi honoribus auctus inter plauſus hominum ac ſtudia pietatis cepit incrementa; neſcio, an majus adhuc, ſi priſtinam ſervavit tantum tot curis implicitus, atque in tam varia diſtractus. Quamquam ſatis hanc increviſſe vel hoc unum argumento eſt, quod publico ex eo tempore non amplius abſtinuit.

Sed inane quoddam religionis ſimulacrum eſt, cum ad aras provolutus meditatis carminibus Deum colis, niſi ipſum metuas, & dictis ab eo legibus obtemperes. Vos dicite, quicumque ejus conſuetudine uſi eſtis, qui diutius ejus lateri adhæſiſtis, qui ejus vitam acrius, ut eorum ſolet, qui cæteris altius eminent, inſpexiſtis, vos dicite, cui vitio Joſeph Bolagno obnoxium, quibus perturbationibus in tranſverſum abreptum, cujus rei potius, quam divinarum legum ſtudioſum vidiſtis. Ita ſuæ fortunæ parem fatentur omnes, ut nunquam ſe efferri ejus muneribus paſſus ſit, ut magnas opes haberet, non ab iis haberetur, ut inter tot & fortunæ, & opum opportunitates (liceat id quoque, quod haud ita frequens in hac fæce temporum, ex totius familiæ teſtimonio dicere) a prima juventute eo nemo fuerit continentior, nemo temperantior. Quid referam quam lenis, quam humanus in ſuos, cum frequenti pro dignitate familia tamquam pluribus amicis ſtiparetur? Quam a mollibus abhorreret deliciis, quamquam impoſita illi ab honore lauti, & ſplendidi cultus neceſſitate? Quam nunquam vel inter jocos, ac ludos a comi illa ſua gravitate recederet, ſi quando inter ſui faſtigii ſodales laxamenti aliquid ſumeret? Quam omnia ille cum modo? Ex more tamen omnia, quæ facilia longa aſſuetudo reddiderat, ſed ut his a longo tempore aſſueſceret, non niſi divinarum legum reverentia effecerat.

Illud vero unde ortum, quod ſe egenorum neceſſitatibus levandis tam promptum, tam præbuit liberalem? Nimirum meminerat, eos in divitum tutelam, ac fidem ab omnium domino, & parente Deo commendatos. Itaque Viennæ, dum illic eſſet, amplum & magnificum xenodochium ſuæ nationis hominibus excipiendis a fundamentis excitandum, omnique nitida, & pro loci ratione lauta ſupellectile inſtruendum curavit. Quadam autem naturali in ſuos miſericordia id factum ſuſpicabitur nemo, qui ſupremis illum tabulis non Viennenſi tantum Hiſpanorum xenodochio, ac in natali ſolo degentibus conterraneis ſuis, verum etiam Neapolitanis, Mediolanenſibus, quin etiam noſtræ hujus urbis pauperculis alendis, extraneum extraneis magnam auri vim, quæ, ſi ſingula in ſummam redigas, pluſquam mediocri conditione familiæ patrimonium conficiat, legaſſe ſciat. Adeo non natura, non patriæ, non legum commu-

munio, sed eadem, qua Deum diligebat, caritas tam Deo caros inopes illi conciliavit.

Hæc dum memoro, duo me eodem orationis filo consecutum tandem intelligo. Dum enim impleta ab Joseph Bolagno omnia in Deum officia doceo, simul & erga seipsum impleta ostendi. Neque enim ullum sanctius, & majori diligentia præstandum nobis ipsis officium esse potest, quam si nos mente, animoque ita comparemus, ut Deo dicto audientes, ejusque numinis quam observantissimi simus. Hoc ille cum probe nosceret, ad animi perturbationes cohibendas, ac velut frænandas, rationisque imperium in eas tuendum, ad virtutes, quantum homini licet, sibi omnes comparandas, moresque iisdem formandos, curam omnem, & studium præsertim contulit.

Sed aliud præterea fuit, quod sibi debere clarissimus Bolagno sensit. Natus erat familia nobilissima, unde illustres & toga & sago viri omnibus seculis profecti sunt. Intelligebat propterea turpe sibi futurum, nisi avitam gloriæ hæreditatem, quam satis amplam a majoribus acceperat, ampliorem adhuc nascituris aliquando liberis transmitteret. Quamquam autem maximus paterno generi splendor a bellicis laudibus semper extiterat; homo tamen miti ingenio, & ad pacis artes natus statuit a literis, unde alterum illustrandæ gentis initium, novum sibi subsidium comparare. Oveti primum, deinde Salmanticæ, in illo scientiarum omnium apud Hispanos emporio, se in clarissimorum doctorum disciplinam tradidit, brevique studiorum curriculum emensus est. Tum vero ille, cui satis persuasum erat, non sibi tantummodo homines nasci, totum se ad juris scientiam contulit, qua una hominum inter se societas velut vinculis quibusdam constricta conservatur. Non legulejorum tamen formulis, ac forensibus cautionibus circumscriptam, leve opus, & fortasse viris nobili loco natis haud dignum, sed universam, quam late patet, jurisprudentiam, illam summorum Imperatorum curam, illum nunquam satis laudatum magnorum virorum laborem, statim complexus est. Neque enim aliarum literarum studio Joseph Bolagno se satis putasset, quibus adversus se ipsum tenebatur, officiis facturum, cum nulla sui facultate cessandum, sed omnes naturæ vires exerendas crederet. Celeri ingenio ad jurisprudentiam opus est? celerrimo ille ingenio discurrebat per omnia, & penitissima quæque quam citissime scrutabatur? Tenax memoria ad hoc studium afferenda? tenacissime semel comprehensa retinebat, memoriamque ea rerum multitudine alebat, qua perturbari, & obrui posse credidisses? Infinitum prope idem laborem poscit? pa-

patientissimus laborum animus corpore etiam ad vigilias, atque ad illud haud paucis letale operosum literatorum otium satis valido utebatur. Totus autem cum esset Joseph in jurisprudentiæ amore, lucis aliquid illi de suo allaturus, & philosophiam ipsi semper, ut tota cognita ratione naturæ sanctarum legum vim & clarius comprehenderet, & tueri facilius posset, & rerum gestarum monumenta adjunxit, quibus mirifice per totam vitam oblectatus, ut quæ facienda præcipiuntur, factis componendo, magis illustraret.

Hac tantarum rerum instructus scientia ne sibi quidem convenienter vixisset, si sibi vixisset. Vocatus itaque Salmanticam, rogatusque, ut publice de loco superiore vellet philosophiam primum, deinde jurisprudentiam interpretari, libenter provinciam iniit, eamque per plures annos ita gessit, ut non dicam aliis, sed sibi Joseph in suo munere explendo semper diligens & curiosus probaretur. (*) *Cum jus civile docere*, teste Tullio, *semper pulcrum fuerit, hominumque clarissimorum discipulis floruerint domus*; quanto pulcrius est Salmanticæ, in celeberrimo Hispaniæ gymnasio, imberbem adhuc juvenem, memoria firma, copiosa oratione, multijugi doctrina, de æquo, & legitimo, deque tota justi & injusti scientia apud frequentissimos auditores disserere, secretiora Institutionum, Pandectarum, Codicis, Novellarum excutere, obscura explanare, contraria non sine magnis scholæ acclamationibus inter se conciliare? Satis forte sua contentus Bolagno hoc sibi, quod laborum, vitæ curriculum statuerat, cum in re hominum societati perquam utili animi, corporisque vires exerceret, & tantam inde gloriæ messem colligeret, ut nunquam majoribus suis dedecori, posteris autem honori futurus aliquando esset. Verum longe lateque per universa Hispaniæ regna cum tanti viri se fama diffudisset; nunquam interituri nominis Hispaniarum Rex Carolus II. ipsum reipublicæ admovere animum induxit.

Exeat igitur tandem e scholæ umbra in publicam lucem Joseph Bolagno, & quem privatum admirati sumus, eumdem cum potestate, & in magistratu admiremur. Parum dixero, si eum tantummodo officia omnia adversus suum Principem executum fuisse, dicam; imposita sibi Principis in subjectos ipsi populos officia servasse, dicendum est. Cum toti Insubriæ juri dicundo mittendus ex Hispania esset, qui Mediolanensem senatum suppleret, non opus fuit Regi sapientissimo per regna sua circumferre oculos, sed statim Salmaticensem tanti nominis professorem illuc mittendum de-

 cre-

(*) *Orat.*

crevit. Joseph itaque triginta nondum annos natus, immatura ætate, sed matura virtute, Mediolanensis Senator designatus, jussus est in Italiam navigare, eo ducentibus fatis, ubi aliquando exstructis Mediolani magnificis ædibus domicilium posteris suis perpetuum statueret. Nimius essem, si referre vellem, quam bene partes suas vir jurisprudentissimus in gravissimo munere expleverit, qua suavitate in judiciis ferendis severitatem temperaverit, ut tenaciorem justitiæ judicem nullum experta Insubria sit, ac nullum magis amaverit. Illud reticere non possum, quod sanctum illi, ac solemne tota vita fuit, numquam scilicet adeuntibus difficilem, calamitosis autem & supplicibus etiam facillimum, omnium preces audiisse, & curasse maxime, ne cujus præsertim humilis ac pauperis negotiis transigendis fori aut curiæ ambages, nedum potentium gratia, aut æmulorum invidia mora esset.

Ticinum Bolagno senatori cum provincia obtigisset (ad præclarissimas enim Insubriæ civitates regendas senatores Mediolano mittuntur) mirum quam lætus eam ille suscepit. Etenim fore sperabat, ut in ea urbe, ubi literæ omnes celebri gymnasio excoluntur, ad studia, quorum numquam amorem posuerat, quibus incrementa sua debere se noverat, totus ex intervallo redire doctorum virorum, quorum multa ibi frequentia, consuetudine aliquando posset. Sed Prætoris vigilantissimi providentiam, invictum animi robur, ingenii solertiam, inconcussam justitiam res alia gravior poposcit. Insederat Ticinensem agrum frequens latronum, ac grassatorum manus, neque illac vagari contenta, in Mediolanensem etiam agrum excurrebat, ut si minus Ticino, munitissimæ urbi, Mediolano nunquam non patenti, & magnitudine sua eorum temeritati satis obnoxio posset jam metum incutere. Infesta itinera, direptæ domus, abacta pecora, sedibus suis agrestes depulsi: nihil sanctum, nihil tutum adversus eos, quibus rapto vivere ars una erat. Intentatum nihil Prætor relinquit, ut tot malis occurrat: præmia tradentibus proponit, dedentibus se dat veniæ spem, ab armatis circumveniri prædatores, eorum latebras igne absumi jubet. Sed pessimum illud hominum genus, quibus desperatio animum addebat, inopia ingenium largiebatur, succrescente in dies multitudine, se insolentius gerit, & sedes identidem mutando omnem vim, atque artem eludit. Ea tamen fuit Prætoris constantia, ea in comparandis subsidiis, providendisque omnibus solertia, ea in mandatis dandis auctoritas, ut tandem iniquissimos humani generis hostes invenerit, ceperit, deleverit, uno judicio quindecim, cæterorum ductoribus, extremo supplicio, asseclarum

quin-

quinquaginta ad triremes damnatis. Tum vero gratiæ Prætori ſuo a Ticinenſibus actæ, quod non ſolum hac animi fortitudine præſens inde malum depuliſſet, ſed hoc edito exemplo futura etiam in tempora tantam peſtem exterminaſſet. Iis poſtea laudibus, iis collegarum, atque omnium ordinum gratulationibus, cum Mediolanum abdicata Ticinenſi prætura ad ſenatoria munia rediret, exceptus eſt, ut de ſubactis latronibus, & reſtituto Ticinenſi agro triumphare videretur.

Cum non leve interea temporum calamitate detrimentum cæpiſſet in regno Neapolitano Principis patrimonium; ad id curandum idoneus Auguſtiſſimo Imperatori Carolo Sexto viſus Joſeph Bolagno, eoque Regiæ Cameræ Præfectus, Locumtenentem vocant, abire juſſus eſt. Graviſſima hæc eſt, & plena honoris & dignitatis procuratio, quam tamen multiplices curæ circumſtant. Locanda vectigalia, exigendæ decumæ, publicorum redituum ineundæ rationes cum multis, bona, quæ beneficiaria lege poſſideri ſolent, cum publica iterum fiunt, pretio aliis addicenda, præterea jus iis omnibus dicendum, qui fiſcum ipſum in jus vocant, cujus haud raro cauſa mala eſt ſub bono Principe. Ingenio tamen, aſſiduitate, diligentia, animi firmitate omnibus Bolagno par ita omnia procuravit, ut imminutum Principis patrimonium, ac prope exhauſtum reſtituerit, auxerit, locupletarit, & quod dictu magnum eſt, apud privatos nihil offenderit. Neque enim ut, quæ ejus erant, Principi vindicaret, ulli injurius, ulli oneroſus, nimium moleſtus ulli eſſe voluit, qui ſciebat, ſe tam juſto, tamque miti Principi tandem probandum, ſi ſubditis Principi populis probaretur.

Ut Joſeph optime de Neapolitano fiſco promeritum magis honeſtaret, noviſque augeret titulis Auguſtiſſimus Carolus, Viennam ad Imperii ſedem arceſſitum in Hiſpanicum Conſilium adſcivit. Mira eſt Caroli Cæſaris in legendis adminiſtris ſapientia, ut dubitari nequeat, quin dignus ſit, quem tantus Imperator elegit. Quis autem Clariſſimo Bolagno dignior, qui idem (*) *Fabio Sabino*, *ſui temporis Catoni*, virtutibus ſimilis, nec *Domitio Ulpiano juriſperitiſſimo* eadem laude inferior, quemadmodum illi Alexandrum Severum, ita hic Clementiſſimum Carolum optimum facere poterat, niſi optimum inveniſſet. Novum autem hoc munus dignitate ſua maxime illuſtre ideo illi gratius fuit, quod in eo Conſilio Regenti Mediolanenſium negotiis præcipue proſpiciendum erat, illiuſque civitatis, quam ſibi alteram patriam, poſteriſque ſuis perpetuam ſedem elegerat, bono conſulendum. Quod ita quidem ſemper præſtitit, ut erga ipſam caritas uni erga Principem fidei con-

Ii 2 ceſ-

(*) *Æl. Lampr. Alex. Sev.*

cesserit, nihil præterea sibi præferri passa unquam sit.

Qua vero fide, qua longo rerum usu collecta prudentia, qua ingenii præstantia in Concilium Hispanicum adhibitus Joseph sui erga Principem officii partes impleverit, illud argumento sit, quod æquissimus rerum, atque hominum æstimator Carolus semper Augustus eum ad sanctius, supremum scilicet, quod appellant, Consilium Status evectum, statim ad Serenissimam Venetorum Rempublicam mentis suæ interpretem Oratorem legavit. Cum primum Venetias felix hoc nuncium allatum est, magna statim concitata est apud omnes hominis expectatio, quam ipse veniens non sustinuit solum, sed vicit. Ex illa die, qua urbem hanc cum tam magnifico apparatu ingressus est, tota civitas ejus humanitatem cum gravitate conjunctam, raram in tanto fastigio animi moderationem, magnificentiam singularem citra omnem quæsitæ ostentationis suspicionem admirata nunquam non est. Sed hæc quid juvat apud Senatum Amplissimum, qui mihi aures accommodat, referre, qui multo majora toties admiratus est, quæ nos, nisi obscure, & confuse, nescimus, qua in administrandis negotiis solertia, in conficiendis præstaret celeritate, quam facile omnia mente comprehenderet, quam longe ingenio prospiceret, qua voluntate, & sinceritate amicitiam, quæ Reipublicæ nostræ cum Cæsare intercedit, adeo aluerit semper, & foverit, ut jam sperandum sit, nulla re unquam fore, ut dissocietur. Eorum, quæ a me dicuntur, testis est illa de tanti viri salute solicitudo, qua, cum primum a morbo decubuit, statim affectus est Amplissimus Ordo, testis hic tantus mœror, quo ejus funus pullatus prosequitur.

Quoniam vero eadem, quæ ejus vitæ, debet orationis esse conclusio, liceat mihi velut in orbem redire, ut illic desinat, unde initium sumpsit oratio. Quem ostendi, per totam vitam in omni erga Principem, erga seipsum, erga Deum officio constanter mansisse, quam bene officiorum omnium partes impleverit moriens, accipite. Cum defectus viribus, nullum amplius contra vim morbi subsidium a medicorum industria expectari posse intellexit, statim, quod postremi officii in Cæsarem fuit, quidquid officii adversus ipsum erat, in alium transtulit, & illius fidei, & dexteritati, qui in legationis rebus agendis socius illi fuerat, & secreta credidit, & sibi mandata transmisit. Tum vero eorum, quæ sibi debebat, momenta perpendens, se a mortalitate ad immortalem vitam allerturus, expiata conscientia, & Christianorum mysteriis munitus, subeuntem mortem nec metuisse visus est, nec doluisse. Quem vero se erga Deum præstitit? Ex gravissimi viri te-

teſtimonio mihi compertum eſt , ita ſe totum in ejus amorem effudiſſe , ut ſuaviſſimum filium Carolum , quem unicum unice diligebat , Mediolano , ubi in magiſtratu ordinario quæſturam cum magno omnium plauſu gerit , Venetias acciri vetuerit , ne ejus conſpectus ipſum a cæleſtium rerum contemplatione averteret , ac paterna caritas , quo minus extremis horis ſecum ipſe , & cum Deo eſſet , impedimento foret . Quæ alia præclare ab Joſeph Bolagno facta , aut ſapienter dicta cum hac poterunt tanta virtute comparari ? Parentes alios laudemus, quod liberos amarint ; laudandus Joſeph , quod liberos amare aliquando deſiit . Dignum ſe filium, magnarum virtutum indole carum omnibus juvenem, jamdudum, quæ de ipſo capta erat , ſpe , & expectatione majorem , quem ſemper in oculis tulerat, non modo videre moriens non optat, ſed renuit, patrem hoc una ratione oblitus, ut Dei tantum poſſit meminiſſe. Hæc eſt fortiſſima hominis in Deum tendentis caritas, quæ de ipſa triumphat natura, patremque, ac filium una victoria devicit, cum & ſibi, & illi ultimos amplexus, & moribunda oſcula negavit.

Poſt hæc neque ultra habeo , quod dicam , nec ſi haberem , dicendum arbitrarer , cum deceat immortale hoc Chriſtiani hominis facinus ultimum a me commemorari , noſque omnes , qui a magnorum virorum vita alia etiam poſcimus, non niſi Chriſtianas virtutes in eorum morte admirari velimus . Faxit bonorum omnium largitor Deus , ut Auguſtiſſimus Imperator , quod pro ejus in Religionem promeritis , proque ea , quæ vobis , Patres Ampliſſimi , cum ipſo amicitia intercedit , enixe precor , eos ſemper adminiſtros , ſicut habet , habeat , qui exſtincto Bolagno ſimiles & jus populis dicere, & Principis patrimonium curare, & ſanctioribus conſiliis adeſſe poſſint , & cum ad vos ſemper Illuſtriſſimo , atque Eccellentiſſimo Joſep Bolagno pares Legatos miſerit, eos reduces, incolumeſque ſua excipiat humanitate , veſtræque in ipſum obſervantiæ , & voluntatis certus , adhuc certior eorum ore , & teſtimonio fiat. Tu vero, Carole Bolagno, quem tamquam præſentem honoris cauſa tandem compello, orbitatis vulnus ea, qua par eſt , virtute fortiter ſuſtine. Quod tantum parentem amiſeris , præſenti dolori eſt , immortali gloriæ , quod habueris . Illatum terris parentis tui obitu damnum facile reparabitur , cum ipſe ad caſtigatiſſimum Patris exemplum ejuſdem conſiliis , & adhortationibus, prudens dico, inſtitutus , ac formatus, patrem ingenio, aſſiduitate, rerum agendarum peritia Cæſari Auguſtiſſimo reddes, & nobis aliquando Cæſaris beneficio redditurus.

IN FUNERE
BONAVENTURÆ FINARDI
ABBATIS S. GEORGII MAJORIS

Congregationis Casinensis.

QUonam meo fato, Religiosissimi Patres, fieri dicam, ut qui Congregationis Casinensis virtuti ac felicitati mirifice faveo, idem illius tantum cladibus interesse, has vobiscum dolere, harum etiam alios in partem vocare cogar dicendo. Tertius intra hos haud ita multos annos præclarissimi hujus Sangeorgiani cœnobii Abbas effertur; tertio ipse de extincti Abbatis laudibus apud vos in tanta clarorum virorum corona dicere jubeor. Id vero muneris plenum quidem honoris mihi æque nunc, ac olim, sed multo nunc, quam olim, gravius, multoque difficilius facile intelligo. Laudandus est enim Reverendissimus Abbas Bonaventura Finardus, cujus adhuc viventis nomen & ob gestum supremum Congregationis magistratum annalibus vestris, & ob ingenii laudem doctorum virorum literis immortalitati est commendatum. Quæ autem viro nominis immortalitatem jam consecuto digna erit oratio, nisi eadem nunquam interituro nomini pariter sustinendo par sit? Ibit in sæcula, qua die, quo loco mortalitatem ille exuerit: a quo etiam supremis viventium officiis oratore laudatus sit, ibit in sæcula. Sed quæ me inanis cura sollicitat? Quandoquidem tanti viri gloria jam suæ immortalitatis secura obscurari impari laudatione non potest, ad dicendum aggrediar, & quæ de ejus virtutibus intra paucas horas meditatus sum, brevi oratione complectar. Atque ut certos mihi cancellos constituam, extra quos in patentissimum laudum suarum campum excurrere dicendo nequeam; de Bonaventura Finardo Monacho primum, deinde de eodem Abbate, tum de ipso Congregationis Præside nonnulla, quæ scilicet eminent magis, ac sua se luce clarius produnt, conabor decerpere.

Qualem autem se Monachum gesserit Bonaventura Finardus, dum a me audire singuli cupiunt, ne putet ullus ab iis usque temporibus sumpturum me orationis initium, cum admodum adolescens Monachum in hoc ipso insigni cœnobio induit. Infinitus ne sim, qui esse bre-

brevis laboro, non ea dumtaxat, quæ tiro, sed quæ veteranus etiam in Casinensibus castris gessit disciplinæ monasticæ servantissimus, missa faciam. Quam primum viam ad evangelicæ virtutis apicem iniit, hanc institit semper, nunquam a majorum institutis deflectens, neque onerum, quæ haud levia cœnobitis toleranda, pertæsus. Sed quæ cum aliis, imo cum cæteris omnibus, qui Casinensi militiæ nomen dedere, communia sunt, de Finardo haud æquum est memorari, cujus illud velut proprium, ac singulare cum laude prædicandum, quod arctissimo nexu sanctiorum virtutum studium cum literarum omnium amore, sanctiorne, an doctior, dubium, conjunxit. Morum autem sanctitatem qui Benedictinis institutis debuit, literarum studia quodam quasi hæreditario jure complexum, fateor. Natus enim fuit Bonaventura nobili ac vetusta apud Bergomates Finarda gente, unde plures viri extitere suis, aliorumque scriptis clarissimi. Quamquam ipse, qui omnia familiæ decora volens abdicaverat, hanc velut avitam gloriæ hæreditatem ne adiisse videretur, veritus, profanas literas attigit nunquam, ac ipsa rerum naturæ scientia, nisi qua viam ad altiora munit, cum primum licuit, repudiata, totum se ad sublimissimam, quæ de divinis est, sapientiam, ipsique affinem juris Pontificii disciplinam contulit. Neque horum studiis secreto tantum oblectatus est, sed eadem in publicam lucem protulit, ac Venetiis, Neapoli, Romæ, in præclarissimis, & doctorum virorum copia refertissimis urbibus, quæ sua erant placita, non sine maxima ingenii, ac doctrinæ laude propugnavit. Sui enim instituti adolescentibus per quatuor & viginti annos, grande humani ævi spatium, per quatuor & viginti continentes annos e superiori loco severissimas disciplinas tradidit. Quid est in literis consenescere, si hoc non est? nisi cui forte in literis consenuisse minime Finardus videtur, quod novas vires ex ipsis sumebat, & in dies firmior ad literarios labores prodibat. Sed absoluto tandem altero sexenii curriculo, quod a Clemente XI. Pontifice Maximo jussus Romæ in Anselmino Collegio inierat, cum plures sacrorum Canonum statim interpretes futuros, quorum aliqui magnæ tunc spei adolescentes, nunc consummata doctrina viri me non sine lacrymis audiunt, e sua palestra dimisisset, docendi provinciam & Finardus dimisit. Ex eo tempore literis, in quibus per tot annos cum magnis corporis, animique laboribus versatus fuerat, ad laxamentum curarum, & ad otii oblectationem usus est. Creatus enim Abbas, & Monachis moderator datus, si quid temporis ex gravissimis negotiis supererat, hoc celebrioribus juris Pontificii controversiis, quas Romæ in frequentissima, ac lectissima doctorum virorum corona propugnaverat, ordine digerendis, atque in unum

unum corpus redigendis libens impendit. Affectum opus quamquam in tam varia distractus perficere nequaquam potuit, aliorum tamen cura ut suprema imposita manu in publicam lucem brevi emittatur, fore speramus.

At vero de Bonaventura Finardo Abbate orationem instituisse me, quod minime adverteram, intelligo. Idem & ipsi intelligite, auditores. Cum enim otii mentio facta est, de vestro Præsule, quem nunquam otiosum vidistis, nunquam vacuum deprehendistis, verba fieri, advertit fortasse nemo. Ideo autem in majori laude ponenda sunt ea, quæ dixi, tot scilicet, tantisque curis implicito Abbati, omnium majorum, minorumque rerum, ut a vobis ipsis accepimus, attentissimo tempus adhuc suppetere potuisse, quo se totum in literas abderet. Quanto vero illud præclarius, quod aliorum studiis provehendis intentior erat, quam suis? Quo enim erat ipse in literas amore, hoc cœteros, ac præcipue adolescentiores inflammare sui muneris esse duxit. Singulis propterea diebus modo hanc, modo illam scholam adire, atque inter auditores sedere solitus, acribus ac promptis ingeniis plaudendo, sponte currentes additis velut calcaribus incitabat, cum omnibus instar frequentissimi theatri Abbas esset, frequentioris Finardus. Sed alia sunt, quæ Præsul enixe procuravit. Multarum, magnarumque rerum scientia, nisi cum pietate in Deum, formandorumque morum solertia conjuncta sit, nescio quos spiritus facile affert, quos nisi frangas, universo cœtui pernicies impendeat necesse est. Tantum malum ut suis caveret, totis viribus annixus Finardus sibi statim ab inita cœnobii præfectura ad Benedictinas leges castigatissimam vitæ rationem imperavit. Ita factum est, ut eamdem unquam imperaret nemini, qui eam tamen ab omnibus diligenter servari voluit. Facile enim ad Præsulis exemplum mores quisque suos formabat, præcipue cum certantibus vitæ sanctimonia cum Abbate Monachis, ne hos nimium fatigaret sublimiori ad imitandum exemplo proposito, se quoque Abbas ferendorum onerum sedulitate vinci pateretur. Non est propterea cur quisquam miretur, quod sub tam miti Præsule adeo viguit regularis disciplina. Si qua est monasticæ vitæ austeritas, suavibus illis Præsulis inter Monachos versantis, eorumque onera subeuntis moribus, placido illo oris habitu, blandis illis alloquiis mitescere videbatur. Parvo itaque Præsuli vestro stetisse dicam (si parum est nunquam non aliis præire) fidelem monasticæ disciplinæ in iis, quibus præfuit, cœnobiis custodiam, haud parvo bonorum, quibus cœnobia sustentantur, administrationem. Quæ enim ad hoc collata hominis aut in literis vitam degere assueti, aut in colendis virtutibus exercitati cura levis videri potest, quam sua

ipsius

ipsius levitas magno his animo viris molestiorem facit? Ut muneris tamen sui expleret partes Finardus, hujusmodi curas haud gravatim subiit, tamque sedulo, tam accurate œconomiæ studuit, ut cœnobiorum, quibus præfectus fuit, utriusque Brixiensis, nec non hujus San-georgiani patrimonium satis amplificaverit. Quam vero auri vim, cum illi sacrorum splendor, locorumque, quæ Deus insidet, honor præcipue cordi esset, impendi voluit, ut non niterent tantum deterso, si quem vetustas induxerat, squallore, ac situ, sed pretiosa supellectile etiam augerentur & sui tituli templa, & his subjectæ minores Ecclesiæ, & sacella. Singula si ingrediaris, in iis solum ornandis, in iis locupletandis occupatum ipsum, cœteris posthabitis, facile credas.

Plura essent de Finardo Abbate dicenda, nisi ad aliqua de ipso universæ Casinensis Congregationis Præside delibanda satius esset, ne patientia vestra abuti videar, properare. Qui Monachis Abbas exemplo fuerat, hunc Abbatibus fuisse exemplo Præsidem, dicere prætereo. Præstat enim non quæ Præses gessit, hic referre, sed ea quæ fausta ipso Præside, seu hominum, seu Cœlitum favore obtigere Congregationi. Cum enim laudi & gloriæ moderatoribus vertatur, si ad clavum ipsis sedentibus aucta pluribus bonis respublica sit, quis non laudari Finardum Præsidem putet, quod felicem illum prospero Congregationis statu prædicamus? Proh hominum fidem! Qui ejus nomine inscribuntur Casinensis reipublicæ annales, quam læti, quam faustissimis successibus memorandi! Nescio an ab instituta Congregatione Præses extiterit, quo magistratum gerente tanta affulserit Casinensibus gloria. Tres S. R. E. Cardinales amplissimos, Finardo Præside, Casinensis Congregatio, Italiæ finibus circumscripta, atque haud ita alumnorum numero affluens, ostentavit. Hujus quidem temporis monumenta unius obitus funestavit, sed duorum, qui superant, diuque superaturos speramus, Leandri de Porzia, atque Angeli Mariæ Quirini, quos honoris, & amplitudinis gratia nomino, firma adhuc ætas, spectata virtus, & quam in dies majorem sibi, & parenti amatissimæ colligunt, gloria, Finardini Præsidatus tempora percurrentes satis ex mœrore reficiet, eorumque plausus instaurabit. Quam vero illud supremo huic omnium Præfecto illustre, quod adeo per ejus tempora literæ omnes cum amæniores, tum severiores excultæ sunt, ut tot prælorum fœturis & discussæ vetustati tenebræ sint, & lux altissimis disciplinis affulserit, & ad omnes literarum studio inflammandos sub ipsius Præsidis auspiciis prodierit tandem Bibliotheca Casinensis. Adde, hoc Præside, monasteriis eorum bona Commendatariorum voluntate, quod nostris hisce temporibus

 nun-

nunquam alias contigit, restituta. Sed præ omnibus lætum illud, & gloriosum: Benedictini fasti novis Sanctorum nominibus aucti. Quod cum omnibus, qui huic militiæ nomen dedere, maximo gaudio fuit, tum præcipue hujus cœnobii alumnis, ejusque moderatori, quando Sancto Petro Urseolo per Beatum Joannem Maurocenum Urseoli consilio, Urseoli exemplo Monachum initia sua insigne hoc cœnobium debet.

Sed ut vela colligam, tempus me monet, quamquam longum æquoris spatium arandum restat, cursumque tranquilla maris facies, jucundissima nimirum ad dicendum materies suadet. Qui, quantusque Bonaventura Finardus fuerit, postquam non vobis, Patres Religiosissimi, qui penitus eum nostis, sed his, qui ad funus frequentes convenere, ostendere conatus sum, ad vos orationem convertere, vestrumque accepti ob tam cari Antistitis jacturam vulneris dolorem solari meæ partes essent. Sed cum oculos circumfero, vosque, cœterosque hoc mœrentium habitu intueor, simulque recordor, quam sereno vultu pro vestra humanitate, quamque hilari animo huc accedentem quemque excipere soletis, quam læti etiam huc appellere hi solent, sive ut ad amœnissimas hortorum vestrorum inambulationes divertant, sive spatiosissimas ac magnificas ædes sæpius quidem, sed nova semper cum admiratione visas circumeant, sive ut in instructissima bibliotheca libris, quos non alibi apud nos invenias, dent operam, sive ut sacris adstent, quibus tam splendido apparatu, ac pompa operamini, cum, inquam tam læta recordor; conversa rerum facie, tantoque, quem vos, quem hi vestrum studiosissimi præ vobis dolorem fertis, ita exanimor, ut meo me officio imparem omnino sentiam. Finem itaque dicendi faciam, & Superos omnes precabor, ut vestrum singulos incolumes servent, & ab hoc præclarissimo cœnobio hujusmodi calamitatem æternum avertant.

EPISTOLÆ.

N. V.

LAURENTIO GRIMANO

I.

Trecentos fuisse senatores Romæ : præter hos alios etiam in Senatum convenisse.



UM ad te superioribus diebus convenissem, tibi gratulatum quod in summum ordinem cooptatus esses, amplissimo autem parenti tuo, quod senator ipse quinque filios senatores omnes extrema hac ætate amplecteretur; multa de senatu Romano, dum hunc cum Veneto conferimus, mutuis sermonibus jactata sunt. Quæ tunc exactius excutere minime est visum, ea nunc, quod ut facere aliquando vellem, rogasti, diligentius examinemus, quamquam aurificis statera ne modo quidem. De senatorum numero primum incidit sermo. Nihil certi de hoc afferri posse, ajunt nonnulli. Sub ipsum libertatis initium Brutus Consul diminutum Patrum numerum ad trecentorum summam explevit. Longe tamen plures insequentibus temporibus inter senatores adlecti. Nam Sylla rerum potitus quadringentos esse voluit. Auxit hunc numerum Julius Cæsar ad nongentos, quo extincto III-Viri supra mille senatores legere. Hac deformitate commotus Augustus *tanta turba levavit senatum, eumque ad pristinum modum*, ait Svetonius in Vita, *& splendorem elegit*. Hinc autem scrupulus injicitur, num sicut suus splendor, sic suus etiam modus, certus scilicet numerus senatui fuerit. Nullus dubito. Syllæ enim, & Cæsaris, ac III-Virorum acta nihil movent, ut credamus, licuisse salva republica magistratibus, quibus legendi senatus jus legitimum fuit, modo plures, modo pauciores, quod libitum inter civiles tumultus victoribus, Senatores deligere. Trecentos Senatores esse placuit primum regi Tarquinio Prisco, sub quo ait Dionysius Halicarnasseus l. 3. pag. 199. editionis Lypsiens. 1691. τότε πρῶτον ἐγένοντο Ῥωμαίοις τριακόσιοι βουλευταὶ τέως ὄντες διακόσιοι; *tum primo Roma trecentos habuit Senatores, qui ducenti ante fuerant:* placuit Bruto Consuli, qui *diminutum Patrum numerum*, teste Livio l. II. c. I. *ad trecentorum summam explevit*. Quoniam igitur, ab intesti-

cestinis malis libera republica, ab ullis Censoribus nunquam legimus aut imminutum, aut auctum senatorum numerum, sed demortuis, aut loco motis alios sublectos tantummodo, puto jam tum lege sancitum, ut trecenti essent. Neque plures multo esse poterant, quando victor Sylla silentibus inter arma civilia legibus ad quadringentos auxisse novo exemplo memoratur. Sed nihil opus conjecturis. Idem Halicarnasseus l. VII. 461. ὐδὲν ἧττον ἀποδεἰκνυϑε φύλακας αὐτῶν τριακοσίυς ἄνδρας ἐκ τῶν πατρικίων τυς κρατίςυς τε καὶ πρεσβυτάτυς, ἐξ ὧν ἤδη βυλὴ συνέςηκεν. *Et nihilominus addidistis eis custodes trecentos viros, ætate & virtute inter patricios eminentes, ex quibus senatus jam constat*: ac paulo post p. 466. ἐνϑυμηϑέτας ὅτι ἡ βυμήδενσομένη περὶ αὐτῦ πάρεισιν, ἄνδρες οἱ κρατίςοι τῆς πόλεως τριακόσιοι respiciant saltem *deprecantem pro eo sanatum trecentos viros totius civitatis optimos*. Quamquam vero trecenti essent senatores, non ideo trecenti tantum in senatum conveniebant, verum alii quoque, nimirum ii, quibus sententiæ in senatu dicendæ jus erat. Ita Livius l. XXIII. c. 32. *Consules edixerunt, quoties senatum vocassent, ut senatores, quibusque in senatu sententiam dicere liceret, ad portam Capenam convenirent.* Ii autem erant, qui magistratum gerebant, nondum tamen in senatum lecti. Habes, Senator amplissime, de numero Romanorum senatorum sententiam meam, quam si tuo ipse calculo probaveris, nemo jam non probet. Vale.

E I D E M

I I.

Abdicato magistratu, qui nondum senator, minime in senatum convenisse: Inter senatores eos etiam, qui magistratum non gesserant, adlectos. Pedarii senatores qui?

QUæsiisse te memini, cum alius ex alio sereretur sermo, num illi, qui nondum senator ob magistratum in senatum conveniebat, venire etiam liceret, postquam abierat magistratu, tum etiam, num senator legeretur unquam, qui magistratum nullum gessisset.

Quod ad primum spectat, quod jus magistratui veniendi in curiam erat, idem non videtur illi fuisse, qui magistratum abdicaverat, nisi prius inter senatores cooptatus esset. P. Crassum, qui in senatum Quæstor venerat, post quæsturam non venisse, patet ex Valerio Maximo l. II. c. I. Neque enim Q. Fabius Maximus objurgatus fuisset

set a Consulibus, quod colloquutus cum Crasso de iis esset, quæ secreto in curia acta erant. Hæc enim non nota Crasso non fuissent, si, quamvis non senator, in curiam venisset. Fabius autem per imprudentiam de his cum Crasso sermonem habuerat, ipsi curiam patere arbitratus, non ob gestam triennio ante quæsturam, sed quod triennio ante quæstorem jam a Censoribus in ordinem senatorium adlectum sibi persuaserat.

Quod vero ad alterum spectat, quamvis rectior, & usitatior veniendi in curiam via esset magistratus, indubium tamen est, patuisse in curiam aditum illis etiam, qui magistratum nullum gessissent. Singulis tantum lustris legebatur senatus. Quis autem non credat ex trecentis per integrum lustrum plures aliquando demortuos, quam essent ii, qui per idem tempus magistratus iniissent? Numerus itaque explendus erat ex iis, qui nullum magistratum cœpissent. Ita Buteo dictator dictus ad legendum senatum, ut Livius refert l. XXIII. 23. *primum in demortuorum locum legit, qui curulem magistratum cœpissent, nec dum in senatum lecti essent, tum legit, qui ædiles, tribuni plebeii, quæstoresque fuerant, tum ex iis, qui magistratum non cœpissent, qui spolia ex boste fixa domi baberent, aut civicam coronam accepissent.* Quisque igitur adlegi poterat in ordinem senatorium, qui bellica virtute, civili prudentia, ac morum probitate commendaretur, modo ætatem, ac censum senatorium haberet. Legebantur autem senatores plurimum ex equestri ordine, sed nonnumquam etiam ex plebejo. Qui vero nullo gesto magistratu in senatum legebantur, cum sententiam minime rogari solerent, ii sunt, quos pedarios appellabant, quod pedibus in aliorum sententiam discedebant. Parco pluribus. Cura valetudinem tuam. Vale.

E I D E M

III.

Elevatur auctoritas A. Gellii de pedariis senatoribus, deque iis, qui in senatum non senatores veniebant.

QUÆ tibi, Vir Amplissime, proxime scripsi, iis nonnulla erudite regeris ex A. Gellio l. 3. c. 18. unde tibi videri, ais, & magistratu functos adhuc venisse in curiam, licet nondum in senatum lecti essent, & eos, qui pedarii dicebantur, inde nomen sumpsisse, quod in curiam pedibus itarent, non quod pedibus in sententiam discederent. Meam, quam Gellii, pluris tibi esse aucto-

rita-

ritatem, non ita sum audax, ut velim. Adverte tamen, quam multa turbat eo loco A. Gellius. Primo quod sive Gabius Bassus, sive Gellius inquit, *qui curules magistratus gessissent, curru solitos in curiam vehi*, non omnibus probatur, deceptumque seu Bassum, seu Gellium non unus existimat. Deinde quæ hæc consecutio verborum? *Qui nondum a censoribus in senatum lecti erant, senatores quidem non erant, sed quia honoribus populi usi quidem erant, in senatum veniebant, & sententiæ jus habebant. Nam & curulibus magistratibus functi, qui nondum a censoribus in senatum lecti erant, senatores non erant: & quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias, sed quas principes dixerant, in eas discedebant.* Bis ait, qui a censoribus in senatum lecti non erant, senatores non fuisse, quos nihilominus dicit in postremis scriptos. Seu in primis, seu in postremis qui scripti erant, senatores erant. Hos nondum senatores jus tamen sententiæ habuisse, affirmat, quos statim asserit, quia in postremis scripti, non rogari sententiam, sed in aliorum sententias discedere. Satisne videtur constare sibi A. Gellius?

Vidit hæc Gronovius, & corruptum locum arbitratus, una deleta litera sanitati restituere conatus est. *Qui nondum a censoribus lecti erant, senatores non erant: & qui in postremis scripti, non rogabantur sententias.* Eorum, qui in curiam veniebant, duo fuisse genera, videtur voluisse Gellius significare, alterum eorum, qui magistratu functi, nondum erant senatores, alterum eorum, qui senatores erant, nondum tamen magistratum gesserant. Illi sententiam rogabantur, hi secus. At nonne, quæso, hæc pugnant cum superioribus, quibus confirmandis afferuntur? Etenim si, qui nullo gesto magistratu lecti erant in senatum, in postremis scripti, non sententias rogabantur, sed quas principes dixerant, in eas discedebant; cur non dicti pedarii, quod pedibus tantum sententiam dicerent? Mimographi etiam versus, quem statim Gellius laudat, Bassi commentarios propugnatne, an impugnat?

Caput sine lingua pedaria sententia est.

Si sententia pedarii est habentis caput sine lingua, pedarius est, qui non voce, quid ipse sentiat, dicit, sed in aliorum sententiam pedibus discedit. Hujus autem vocabuli non hanc esse rationem Gellius opinatus est, quia cum senatusconsultum per discessionem fiebat, universi senatores sententiam pedibus ferebant. At pedarium dixit nemo eum, qui aliquando in aliorum abit sententiam, quam cæteroquin rogari, & dicere solet, sed illum, cui nunquam rogato sententia pedibus tantum dicenda semper est. Ex his, quid deferendum A. Gellii auctoritati hac in re credam, facile potes intelligere. Ipse nequaquam sententiam muto: quod volent, alii sentiant. Vale.

EI-

EIDEM

IV.

Locus Livii tentatus. Senatores appellati Patres conscripti.

TEntandus est jam Livii locus, de cujus sanitate, quam nemo unus hactenus in dubium vocavit, quod ipse dubitarem, miratus es. Ita Livius lib. II. cap. I. *Patrum numerum primoribus equestris gradus lectis ad trecentorum summam explevit, traditumque inde fertur, ut in senatum vocarentur, qui Patres, quique conscripti essent: conscriptos videlicet in novum senatum appellabant lectos. Id mirum quantum profuit ad concordiam civitatis, jungendosque Patribus plebis animos*. Minime assequi me, haud diffiteor, quid sibi velint verba illa, *traditumque inde fertur; ut in senatum vocarentur, qui patres, quique conscripti essent*. Quid enim traditum inde est? Anne ut vocatu Consulis & conscripti convenirent in senatum? Numquid minime vocati essent, nisi institutum hoc a Bruto transmissum posteris esset? Quam ob aliam causam novi veteribus senatoribus conscripti fuerant, nisi ut in senatum vocarentur? An vero id traditum, ut Consul in hæc verba senatum ediceret: *Qui patres, quique conscripti essent?* Sed edicti verba nobis servavit A. Gellius, loco proxima epistola laudato: SENATORES. QUIBUS. Q. IN. SENATU. SENTENTIAM. DICERE. LICET. Livius etiam l. XXIII. c. 52. *Consules edixerunt, ut senatores, quibusque in senatu sententiam dicere licet, ad portam capenam convenirent*. Quid igitur a Bruto traditum, quod ad posteros deinceps pervenerit? Id puto ut senatores vocarentur *Patresconscripti*. Ad concordiam enim civitatis, jungendosque patribus plebis animos, sustulit statim Brutus discrimen omne inter novos, veteresque senatores, cumque sub regibus alii majorum, alii minorum gentium appellarentur, ut unius ordinis viri unius animi essent, nec quemquam præ aliis conditionis suæ puderet, instituit, ut Patres conscripti de utrorumque nomine vocarentur omnes. Dionysius usque a Romulo traditum hoc, retulit lib. II. p. 86. *οἱ δὲ μετέχοντες τοῦ βουλευτηρίου, Πατέρες ἔγγραφοι προσηγορεύθησαν, καὶ μέχρις ἐμοῦ ταύτης ἐτύγχανον τῆς προσηγορίας. Qui vero censerentur in hoc concilio Patres conscripti nominati sunt, & sic vocantur nunc quoque*. A Bruti consulatu hoc, repetendum testatur hic Livius, cui major etiam hac in re videtur fides habenda. Deposito pignore, hunc esse Livii sensum, contenderem. Quomodo ergo,

go, ais, locus livianus legendus est? Mihi satis est, quod ulcus latere illic suspicor, indicasse; majorum gentium critici medicas manus adhibeant. Vis tamen, aliquid & ipse audeam? Quæ glossemata olent, quæque a mala manu videntur esse, deleto, atque ita legito: *traditumque inde fertur, ut senatores Patresconscripti vocarentur. Id mirum, quantum profuit ad concordiam civitatis, jungendosque patribus plebis animos*. Habes, Vir Amplissime, unum ordinem, unum nomen, nominisque hujus primam originem. Vale.

V. CL. APOSTOLO ZENO.

I.

Locus Livii explicatus. Nullus senator aliquando Romanis, nisi qui patricius. Inter patricios cooptare populi erat.

QUidni Œdipum Davus consulam? Quæ aliis scribo, judicio tuo prius subjicere juvat, quam cum aliis communicem. Conciliandus mihi est Livio Livius, ex cujus pluribus locis cum planum sit, Romæ senatores non nisi a consulibus primum, deinde a censoribus lectos, ita ut amplius de hoc non videatur dubitandum; remanent tamen, quæ eruditos aliquos torqueant, verba Canuleii apud eumdem, quibus videtur id universo populo tribui. Nosti illa l. IV. c. 4. *Hoc si polluit nobilitatem istam vestram, quam plerique oriundi ex Albanis, & Sabinis, non genere, nec sanguine, sed per cooptationem in patres habetis, aut ab regibus lecti, aut post reges exactos jussu populi*. Cur hæc crucem aliquibus figant, ipse non video. *Patres* eo loco, totaque illa Canuleii oratione pro patriciis dicuntur. Neque enim cum patribus stricte sumptis, sed cum patriciis res est, ac nobilitas non eorum erat tantummodo, qui patres, sed omnium, qui patricii. Sicut igitur eadem oratione *enubere e patribus* est enubere ex patriciis, sic cooptatio in patres est cooptatio in patricios, atque ut c. 16. ejusdem libri *transire a patribus ad plebem* est transire a patriciis, nec non l. VI. c. 42. *prætorem unum e patribus creare* est creare e patriciis; ita hic cooptari in patres est cooptari in patricios.

Nemo ad Canuleii tempora in senatum a consulibus, aut censoribus lectus, qui non patricius esset: nemo, qui patricius genere non esset, inter patricios cooptatus nisi jussu populi.

Primum ne Romulus quidem, nedum Priscus Tarquinius, aut re-

regum alius sibi hoc indulsit, ut non patricios in senatum adlegeret, teste Dionysio. Ita hic l. II. pag. 111. de Romulo, & Tatio ἔδοξε τοῖς βασιλεῦσιν, διπλάσιον τοῦ προτέρου ποιῆσαι τὸν τῶν πατρικίων ἀριθμὸν, πρασκατα λέξαντας σὺν τοῖς ἐπιφανεστάτοις οἴκοις ἐκ τῶν ὕστερον ἐποικησάντων ἴσους τοῖς προτέροις νεωτέρους, οὓς, ἐκάλεσαν πατρικίους. ἐξ ὧν ἑκατὸν ἄνδρας οὓς αἱ φράτραι προεχειρίσαντο, τοῖς ἀρχαίοις βουλευταῖς προσεγράψαι. *Visum est regibus duplicare patriciorum numerum, æquali numero e novis incolis ad priores familias illustres adlecto, quos patricios vocarunt, atque ex iis centum viros curiarum suffragiis electos ad veterem senatorum numerum adscripserunt.* Ab Anco Martio Tarquinius Damarati filius vir fortissimus judicatus, ut idem l. III. p. 181. τά τε ἄλλα σεμνύνων διετέλει, καὶ εἰς τὸν τῶν πατρικίων, τὲ καὶ βουλευτῶν ἀριθμὸν ὑπέγραψεν. *tum aliis identidem honoribus est affectus, tum patriciorum, ac senatorum numero adscriptus*. Tarquinius ipse deinde l. III. p. 199. ἐπιλέξας ἄνδρας ἑκατὸν ἐκ πάντων τῶν δημοτικῶν πατρικίους ἐποίησε, καὶ κατέταξεν εἰς τὸν τῶν βουλευτῶν ἀριθμὸν *selectos ex omni plebejorum numero centum patricios fecit, & in senatorum numerum cooptavit.* Primi consules l. V. p. 287. ἐκ τῶν δημοτικῶν τοὺς κρατίστους ἐπιλέξαντες, πατρικίους ἐποίησαν, καὶ συνεπλήρωσαν ἐξ αὐτῶν τὴν βουλὴν εἰς τριακοσίους. *Præcipuos ex plebe allegerunt in patriciorum ordinem, & ex his senatum suppleverunt ad trecentorum numerum.* Ex his satis liquet, non prius aliquem genere plebejum lectum esse inter senatores, quam patricius legeretur.

Jus autem transferendi in ordinem patriciorum plebejos fuisse penes universum populum, quamquam nemini dubium puto, testem tamen habeo eumdem Dionysium l. IV. p. 208. ubi hæc habentur de Servio Tullio, ut a regibus ipsis id juris populo permissum appareat: Ῥωμαῖοι μὲν αὐτὸν ἐκ τοῦ δήμου μεταγαγεῖν ἠξίωσαν εἰς τοὺς πατρικίους ψήφους ἐπενέγκαντες, ὥσπερ Ταρκύνιον τε, καὶ ἔτι πρὸ τούτου Νομᾶν Πομπίλιον. *Suffragiis populi Romani e plebejo adscitus est in patriciorum ordinem, sicut Tarquinius, atque ante hunc ipsum Numa Pompilius.* Si eodem autem modo, quo Servius Tullius, & Tarquinius inter patricios cooptatus est, distincte intelligimus, quod confuse, & permixte supra Historicus retulit, nimirum & Tarquinium adscitum inter patricios primum a populo, deinde inter senatores ab Anco Martio. Quin idem esse debet judicium de Numa Pompilio, dicendumque propterea statim a Romulo, populi Romani tantum fuisse in patricios, qui patricii non erant, adlegere. Neque contra hæc pugnat, quod Canulejus apud Livium dicit, cooptatos aliquos in patricios a regibus. Etenim qui primi patricii fuere, hos a Romulo ipso lectos nemo non dicet, qui non antea centum sibi in consilium

 pa-

patres adlegit, quam familias illuſtres ab aliis ſecreviſſet, Halicarnaſſeo teſte l. II. p. 82. τὺς ἐπιφανεῖς κατὰ γένος, καὶ δι' ἀρετὴν ἐπαινυμένυς, καὶ χρήμασιν ὡςὲν τοῖς τότε καίροις, εὐπόρυς, οἷς ἤδη παῖδες ἦσαν, διώριξεν ἀπὸ τῶν ασήμων καὶ ταπεινῶν, καὶ ἀπόρων. *Illuſtres genere, & virtute celebres, opibuſque, ut tum ferebant tempora, abundantes, quibus eſſent liberi, ſecrevit ab obſcuris, abjectis, & egenis.* Deinde p. 85. ὁ δὲ Ρωμύλος ἐπειδὴ ταῦτα διεκόσμησε, βυλευτὰς εὐθὺς ἔγνω καταςήσασθαι, μεθ' ὧν πράττειν τὰ κοινὰ ἔμελλε ἐκτῶν πατρικίων ἄνδρας ἑκατὸν ἐπιλεξάμενος. *Romulus poſtquam hæc in decentem ordinem redegit, confeſtim decrevit ſenatores creare, ut eſſent, quibuſcum adminiſtraret rempublicam, centumque viros ex ordine patricio allegit.* Multo minus hujus me ſententiæ pœnitet, quod ex Canuleii oratione videtur id populi fuiſſe tantummodo poſt exactos reges. Quæ enim ab oratore dicuntur, quis ad fidem hiſtoriæ exigat?

Redeo in viam. Quod ſub regibus factitatum, idem etiam ſub conſulibus. Supplerunt igitur primi conſules ſenatum, at ex iis familiis, quas prius ſuffragia populi patricias haberi, atque eſſe juſſerant. Utrumque Dionyſius ait loco laudato, quamvis quid a quoque factum ſit, clare non diſtinguat. Livius alterius tantum meminit, ſuppleti a Conſule ſenatus, alterum præterit, quod illud eſt, quod Canulejus ea oratione nobilibus exprobrat, ſcilicet eorum aliquos patricios eſſe juſſu populi. Id ſignanter paulo ante dixerat de gente Claudia: *Claudiam certe gentem, poſt reges exactos, ex Sabinis non in civitatem modo accepimus, ſed etiam in patriciorum numerum.* Nullum igitur, ut omnia in unum conferam, faceſſat negotium Livii locus aſſerentibus, non ab aliis, quam a conſulibus, aut cenſoribus lectos ſenatores. Sed manum de tabula, inquis. Non teneo te pluribus V. CL. Cura ut valeas. Vale.

EIDEM

II.

Duo Ciceronis loci de Senatorum electione explicati.

QUod te ſæpius conſulo, boni conſule, vir ornatiſſime. Hæret aqua explicantibus & Tullii locum, unde iterum dubitandum videtur, cenſorumne, an univerſi populi eſſet ſenatores legere. Ita pro Sextio Cicero: *Majores noſtri cum regum poteſtatem non tuliſſent, ita magiſtratus annuos creaverunt; ut conſilium ſenatus Reipublicæ pro-*

præponerent sempiternum : deligerentur autem in id consilium ab universo populo , aditusque in illum summum ordinem omnium industriæ pateret . Verum aut locus hic haud ita valde arduus, & difficilis, aut lolio victitare ipse dicar. Qui magistratus, saltem majores, gesserant, ii a censoribus non solum in senatum legi solebant, aut poterant, sed omnino debebant. Livius l. XXII. c. 49. *octoginta senatores , aut qui eos magistratus gessissent , unde in senatum legi deberent .* Quos igitur universus populus creavit magistratus, dici non potest , eos in consilium senatus delegisse ? Hac, quæ laudabilior via est , cohortatur Cicero cives suos, ut in senatum venire velint, per magistratus . Deligitur enim quisque in senatum, simul ac magistratus creatur , unde jus illi, ut a censoribus legi debeat.

Quoniam vero Tullium in manibus habemus, miror , quod nemini in mentem venerit quærere, num etiam senatusconsulto senatores aliquando fierent . Philippica enim quinta in hæc verba sententiam dicit Cicero : *Censeo decernendum C. Cæsarem C. F. Pontificem , Proprætorem , senatorem esse , sententiamque loco prætorio dicere .* Sed factum singulare , illis præsertim reipublicæ temporibus, nihil evincit. Ornando, honorandoque adolescenti Octaviano nullam legum rationem habendam , censuit Cicero . Placuit & hoc propterea, ut senator optimo jure haberetur , ac si a censoribus lectus esset. Plura scriberem , si te vacuum crederem . Vale.

N. V. FRANCISCO TEUPOLO


I.

Veteres nummos Venetorum esse omnes ejusdem generis : facilius alibi, quam Venetiis inveniri.

DE veteribus Teupolorum Principum nummis non alia a me dici possunt , quam quæ universe in omnes Venetorum veteres nummos conveniant . Et hi enim cum aliis iidem omnino . Singulos itaque proferri forte ab re fuisset ex Teupolo cimelio , nuper gentilis tui Joannis Dominici supremis tabulis in familiam tuam illato, quod ob magnam Romanorum numismatum vim omnibus est admirationi, nobis ob veterum nostratium denariorum accessionem etiam voluptati . Neque ipse dubito , quin hanc quoque celeberrimi musæi partem , sicut alias alia , pro tua , amplissi-

plissimique patrui tui erga me humanitate, lustrandam mihi præberi, jussurus esses. Sed ad propositum finem de meo, quæ satis essent, afferre posse mihi visus, nolui alienas merces in pergula exponere. Aliquot enim Venetos priscorum temporum nummos Roma in patriam ipse detuli, fore sperans, ut his, aliisque, quos Venetiis invenissem, locus esset in nostra bibliotheca, quam nulla re, quæ doctis æque, ac eruditis grata esse possit, non instructam vellem. Sed hic ne uno quidem factus sum ditior. Rarius enim Venetiis, quam alibi inveniuntur. Mirum hoc nemini debere esse, ait V. Cl. Ludovicus Antonius Muratorius quadam ad Petrum Catharinum Zenum τον μακαρίτιν epistola, quæ cum aliis ad eumdem præstantium virorum in unum volumen compactis in eadem nostra bibliotheca servatur. Quæ enim terra abduntur, fieri potest, ut aliquo casu effodias, quæ voracissimum mare, quod nostram hanc urbem interluit, ac cingit, absorbuit, qua ratione expiscaberis? Quamquam hoc etiam tantæ apud nos raritatis in causa fortasse est, quod ad novam cudendam vetus sæpius moneta conflata est. Ut ut tamen se res habeat, satis nummorum antiquorum ad nos pervenisse existimo, ut quæ ad Mattapanem, cujus generis Teupolæi nummi sunt, pertinent, explicare, ejusque fata enarrare possimus. Illius utramque faciem inspice in Petri Ziani nummo, qui in subjecta tabella primum locum tenet, quo antiquior neque apud me, neque apud alios, quod ipse noverim, extat. Hunc cum vides, majorum tuorum, utriusque Principis Teupoli, Jacobi, ac Laurentii nummos vides. Quamquam & hos altera facie addi, volui, ac alios nonnullos præterea, qui iis, quæ de Mattapane dicenda sunt, lumen aliquod afferunt. Ex gazophylacio potissimum tuo forte erit aliquis, qui justam universæ rei nummariæ Venetorum historiam aliquando conscribat. Ad hoc mihi neque satis virium, neque otii abunde est. Vale.

EI-



E I D E M

I I.

Nummum Petri Ziani vere esse mattapanem, cujus meminit Dandulus.

AMicus meus, cum in vivis degeret, Petrus Catharinus Zenus, in suis ad Joannis Casæ epistolam, quæ XV. est ad Carolum Gualteruccium, notis, Zianæum nummum credidit mattapanem esse, quem Andreas Dandulus in suis Chronicis refert, primo cusum ab ejus gentili Henrico Dandulo. De hoc ita Historicus lib. X. c. 3. p. 5. *Subsequenter Dux argenteam monetam, vulgariter dictam* Grossi Veneziani, *vel* Matapani, *cum imagine Jesu Christi in throno ab uno latere, & ab alio cum figura S. Marci & Ducis valore viginti sex parvulorum, pri-*

mo

mo fieri decrevit. In Zeni mei sententia ipse quoque sum. Typum, quem Dandulus describit, non alius præfert, quam Zianæus nummus. Præterea cum ait Historicus, mattapanem *primo* cusum ab Henrico Dandulo, satis declarat, hunc eum esse, qui *deinceps* sub aliis Principibus usque ad sua tempora cusus fuerat. Non alius ideo a nummo nostro mattapanis est, quem a Petro Ziano, qui anno MCCV. Henrico Dandulo successit, ad ipsum Andream Dandulum, qui Dux renunciatus est anno MCCCXLVII. eodem metallo, modulo, ac typo, singulorum, qui fuerunt, Principum nomine signatum novimus. Tam longum nummi hujus ævum una causa fuit, aut ego fallor, cur Dandulus memoratu dignum duxerit, a quo primum percussus fuerit. Neque enim ipse, aliquid gloriæ gentili suo Henrico, Græci Imperii victori accessurum, arbitrari unquam potuit, quod primus nummulum hunc percuti jussit; sed gratum fore legentibus credidit, ejus originem noscere, quam ab antiquis temporibus repetendam sciebant, atque eo magis, quod nummo hoc nostri a priscis temporibus ad commercia cum exteris utebantur. Alii, Andrea Dandulo Duce, erant Venetis nummi. Ipsiusmet Andreæ minorem nummum exhibet tabella nostra, qui dimidium mattapanis videri potest, forma tamen elegantiori, ac typo aliquantulum vario. Habet enim Ducem ad sinistram S Marci, præterea concinniori toga, & quæ suæ dignitatis est, indutum, ac coronatum pileo ducali, qui ab occipitio leviter assurgit. Sed Francisci Danduli, qui aliquot ante Andream annis patriæ Principatum consequutus fuit, alium nummulum vides, diverso omnino typo, tam elegantem, ut appareat & illis temporibus peritos artifices officinis monetariis apud nos nequaquam defuisse. Cur igitur adhuc cudi placebat rudem illum, & male figuratum superioris sæculi nummum? Nempe illum fuisse credendum est, cujus probitas cognita, & minime ideo suspecta exteris esset, ut cæteri magis elegantes urbis, & Venetæ ditionis finibus continerentur, ille vero ad omnes gentes deferretur. Hinc factum est, ut plusculi alibi, quam Venetiis inveniantur. Quam hæc duo commendant, nullam autem præter nostram commendant, vetustas, & vulgatior ad res contrahendas usus, ea moneta est, cujus primum auctorem Dandulus in suis chronicis prodendum existimavit. Pergemus porro alias. Inter mattapanes interim majorum tuorum nummos recense, eorumque originem refer ad Henricum Dandulum, qui Dux creatus est anno MCXCII. indubio alterius Danduli testimonio. Vale.

E I-

EIDEM

III.

De valore, ac nomine nummi Veneti.

PAuca de valore nummi nostri, ac de ejus nomine. Mattapanem sex & viginti parvulos valuisse, ait Dandulus. Si parvuli isti minutissimi illi nummi sunt, qui in desuetudinem abiere, ac duodecies ærea moneta, quam *solidum*, aut *marculum* ab impressa S. Marci figura appellamus, continebantur, *bagattini* dicti, longe abest mattapanis ab eo, quod modo pretii illi est: si parvuli sunt ipsi nummi ærei, seu solidi nostrates, qui viceni in singulas libellas Venetas numerantur, nimium exsuperat pretium, quo nunc æstimatur. Solidi autem a nostris parvuli etiam appellantur, nihilque frequentius in mercatorum ore, quam *lire di piccoli*. Libella argentea videtur quidem in locum mattapanis successisse, qui nunc tamen sedecim solidis penditur. Quem vero id torqueat? Aliud olim, aliud ad præsens argenti pretium, neque vacat utriusque rationem inire, neque res hæc brevi codicillo perstringenda.

Quid significet, ac unde deductum sit nomen mattapanis, nemo quærat, nisi ineptire qui velit. Dictum etiam *Grossum*, testatur Dandulus. Grossus manet adhuc nomine tamen, non re. Ducatus enim argenteus in quatuor & viginti grossos, solidorum in singulos quinque, dispertitur, qui nusquam tamen cuduntur. Postremis his temporibus terebatur manibus quædam parva moneta argentea, haud recens cusa, solidorum quatuor, grossi, seu grossuli dicta, *Grossetti*. Conflata modo est, & in aliam versa. Nihilominus nomen usurpatur, & multa venalia tot grossis in libram indicantur. Hæc si pluribus, persequar, abuti tempore videbor. Vale.

EIDEM

IV.

Alium aliis temporibus ejusdem monetæ typum fuisse.

QUO tempore excudi cœperit mattapanis, traditum est ab historicis, quo idem tempore cudi desierit, conjectura assequi conabimur. Inspice numisma Michaelis Steni, qui Dux anno

 MCD.

MCD. creatus est. Mattapanem facile agnoscis, sed quanto prioribus politiorem, & elegantiorem, quamque illi nummulo Andreæ Danduli, qui dimidium mattapanis videtur, similem! Dux facie est in alterum latus versa, concinnius indutus, & coronatus. Lemma est quoque in aversæ partis ora, cum priores nummi omni epigraphe careant. Quis Ducum primus hac varietate mattapanem cuderit, ignoro, neque enim ullum vidi unquam hujus generis, nummo Andreæ Danduli recentiorem, ante Michaelem Stenum. Parum a vero abludemus tamen, si paulo post Danduli Principatum id credamus contigisse. Ex allato ejus nummulo satis apparet, jam tum fuisse, cui prior ille rudis mattapanis sorderet, & ab eo tempore cogitatum de nova mattapanis forma, quæ priorum temporum inscitiam minus oleret. Fortasse ideo a Joanne Gradonico cœpit nova hac forma nummus hic percuti. Eodem ipsissimo typo, quo Steni, & Francisci Fuscari nummum vidi apud V. Cl. Apostolum Zenum, qui pro ea, quæ mihi cum illo intercedit, amicitia, ut librorum e lectissima sua bibliotheca copiam mihi nunquam non facit, ita e gaza nummaria sua nihil non libens depromit. Quare a Nicolao Trono, qui tertius est a Francisco Fuscaro Dux, tandem puto mattapanem cudi desiisse. Hic enim novam monetam, ut narrant historici nostri, argenteam cudi voluit, sui ipsius imagine ad vivum impressa, quam ab ejus nomine *tronum* appellarunt. Hanc quoque mihi idem Zenus ostendit, cum aliam minusculam ex ære eadem tamen imagine ipse tantummodo habeam. Apud finitimos vulgandam illam, curasse Venetos, credo, cum adhuc Vicetiæ, & Veronæ *tronus* libella nostra appelletur. Hoc Principe extincto, lege statim cautum est, ne alius nummos propria imagine signaret, ac forte cum commercia minus procederent ob novos, ideoque suspectos nummos, reditum est ad mattapanem. Nicolaus alter, Marcellus scilicet Troni successor, mattapanem excudi jussit, majori modulo, quam prior, typoque aliquantulum diverso, sed quem ab eo esse, cognosces. Dux ad sinistram ante Sanctum Marcum in genua procumbit. Parte altera imagini Salvatoris nullæ litteræ adscriptæ sunt: lemma est in circulo. Additis characteribus IC. XC. imagini Servatoris nostri, levi etiam aliqua in lemmate variatione numisma est Andreæ Vendrameni. Usque ad Andream Gritum, qui XVI. sæculi anno tertio & vicesimo Dux creatus est, idem nulla varietate cusus est nummus. Vide tabellam exhibitam. Post hunc Principem, qui forte in manus veniunt, novi omnino nummi sunt, quorum alii simul cum mattapane jam sub aliis Principibus ante ipsum Gritum cudi cœperant, & sub ipso Grito cudebantur. Antiquitatum nostrarum studiosi,

dioſi, quem protuli nummum a Nicolao Marcello percuſſum, ideoque & ejuſdem typi alios ab aliis Principibus, eum eſſe, qui *marcellus* ab ejus nomine dictus eſt, per Monetam jurant, at *non ego credulus illis*. Quid marcellus fuerit, ignoro, ſed ad decem ſolidorum ſummam ſignificandam, aliquando uti adhuc hoc nomine vulgus, ſcio, cum a me prolatus Marcelli nummus quatuor & viginti ſolidorum ſummam conficiat. Ipſe & hunc, & qui deinceps uſque ad Andream Gritum huic haud multum abſimiles excuſi ſunt, mattapanem vocatos, opinor. Paulo poſt Principis Griti obitum Joannes Caſa Nuncium Apoſtolicum Venetiis agebat. Conflatis jam omnibus illius typi nummis, ut arbitror, manebat tamen nomen, quod ille uſurpat, quo non alius certe nummus ſignificari poterat, quam ille, de quo loquimur. Habes igitur mattapanis ortum, & interitum, cujus, ſi in re haud grandi grandibus verbis jocari me ſinis, tres epochas. Nimiſne aſſurgo? tres ætates facio: primam mattapanis veteris, per ſeſquiſæculum ab Henrico Dandulo ad Andream cognominem, alteram novi, a Joanne Gradonico ad Chriſtophorum Maurum per annos centum, tertiam reſtituti, a Nicolao Marcello ad Andream Gritum per annos quinquaginta. Qui hæc riſerit, meliora & certiora proferat. Vale.

E I D E M

V.

In Veneto nummo omnia Græcanice.

AGe nunc Teupolæi, ſeu mavis Zianæi, ac univerſe utramque mattapanis partem adverſam, & averſam tandem conſideremus. Cum omnia tam rudia, tam male figurata vides, temporum inſcitiam, atque artium interitum incuſa. Cæterum omnia Græcanice. Quod Veneti imaginem D. Marci in nummis ſuis effinxere, ſumptum a Græcis, quibus mos fuit Sanctorum, quos præcipuo cultu venerabantur, imagines in nummis effingere, ut advertit Cangius diſſ. de infer. ævi numiſm. c. XXXI. Quod Sanctus Marcus vexillum Duci porrigit, ad Græcorum pariter ſimilitudinem inventum, apparet, in quorum nummis crucem, labarum, narcethem aut tenent, aut ab altero accipiunt Imperatores, quemadmodum ab Archangelo Michaele accipit Iſaacius Angelus. Quod uterque S. Marcus, & Dux ſtantes, quod uterque non luſca, ſed plena facie, quod Dux barbatus, & togatus, omnia ex Græcorum moribus, ut patet eorum num-

mos apud Cangium de Famil. Byzant. inspicienti. Aliqua deinde cultiori arte, & ex propriis moribus emendata: aliqua ad nostra usque tempora pervenere. Neque alicui mirum, quod ad dexteram Dux, Sanctus Marcus ad sinistram locatur. Ex Latinæ etiam Ecclesiæ disciplina locum sinistrum digniori datum aliquando, novimus. Romæ in Basilica San-paulina in aræ majoris abside me vidisse, memini, ex opere musivo ad Servatoris nostri dexteram S. Paulum, ad sinistram S. Petrum. Apud Græcos etiam nemini dubium, quin id ferret consuetudo. In eorum numismatis non solum filii ad patris dexteram, & uxores ad dexteram maritorum, sed ad Cœlitum dexteram Imperatores. Sic Archangelus Michael sinister est Isaaccio Angelo in utroque ejus nummo, sic Deipara ipsa ad sinistram est Joanni Comneno, nec non Romano Diogeni in duplici nummo. Obsoleverat hæc consuetudo sæculo XIV. ut apparet ex minori nummulo Andreæ Danduli. Servata nihilominus est, puto ad antiquitatis reverentiam, in melioris formæ mattapane, qui deinde cusus, ut ex Michaelis Steni allato numismate. Sed tandem Nicolao Marcello Principe ad lævam Divi Patroni effingi cœpit imago Ducis. Illud vero quam Græcis usitatum, quod in aversa nummi parte Reparatoris nostri effigiem cudendam curarunt adscriptis literis Græcis IC. XC. Quem primum omnium nummum hisce adscriptis literis affert Cangius, est Michaelis Rhangabe, qui salutatus est Imperator anno DCCCXI. In nummis Zimiscianis, ni fallor, cœpit etiam cudi Salvator in throno sedens. Quod deinde nostris nummis additum in circulo GLORIA TIBI SOLI, ex Græcis quoque desumptum. Cangius inter numismata Leonis Isauri unum refert, ubi Christus in cathedra sedens cum hac epigraphe TIBI SOLI REX REGNANTIUM, quamquam Leonis non esse credit, ac manifestum est ad inferiora tempora pertinere. Unde autem omnia ad Græcorum morem? ais. Cangius Differt. c. XXVIII. *Adeo*, inquit, *Veneti Byzantinis Augustis potissimum addicti, ut eorum non mores duntaxat, & habitus, sed & monetarum typos amplexi sint*. Ea aliquando inter Venetos, & Græcos Imperatores amicitia intercessit, ut Venetorum Duces præcipuis aulæ Byzantinæ honoribus aucti sæpe sint, & uxores sæpe ex Augusta domo duxerint. Sed Henrici Danduli, ac Petri Ziani temporibus Veneti metuendi erant Græcis, quin ipsos, una cum Francis, jam Imperio expulerant. Græcanici igitur nummorum nostrorum, qui tunc cusi sunt, typi una ratio est, quod artes apud nos aliæ nullæ, quam quæ huc Byzantio aliquando delatæ, hic jam consenuerant. De his satis. Vale.

E I-

EIDEM

VI.

In nummi inscriptione non alia, quam Divi patroni, & Ducis nomina.

INscriptionem nummi haud intentatam præteribimus, ut si
quem offendimus nodum, hunc expediamus. Cangius dis-
sertat. cap. XXVIII. eam ita legit: PETRUS ZIANI
VENETI. S. M. Quod a dextera colligere cæpit characte- D
res, id in nummis usitatum. Verum non placet, cum ad U
sinistram perveneris, deorsum sursum, infra supra percur- X
rendum esse. Fortasse ordo hic melior PETRUS ZIANI
S. M. VENETI. Sed omnino dicendum, ita colligen- D
dos characteres, ut a parte nobiliori incipias, quæ in num- U
mis nostris sinistra est. Ita optime circulum percurres. X
S. M. VENETI. PETRUS ZIANI
Cœterum ita legisse Cangium puto, quod *Veneti* jungendum D
cum *Ziani*, ac utrumque secundo casu elatum credidit. Quam- U
quam vox illa *Dux* admonere eum debebat, quo casu essent il- X
la *P. Ziani*, deceptus eo tamen est, quod illum fugit, nostrorum
plerosque a primis temporibus familiarum cognominibus tamquam
nominibus aptotis usos nulla per casus variatione. A Petro Ziano
ad Andream Gritum ex nummis, qui apud me sunt, unus est Ni-
colai Troni ex ære minimi moduli, ubi legitur *Nicolaus Tronus*,
duo, primus, & ultimus, ubi cognomina tamquam casibus destituta
exeunt in I. *Petrus Ziani*, *Andreas Griti*, cœteri cognomen habent
eodem modo indeclinabile, at in O desinens, *Geno*, *Dandulo*, *Gra-
donico*, *Superantio*, *Delphino*, *Mocenico*, *Barbadico*, quibus accen-
sendos non dubito eos, quibus cognomen est ultima litera, aut etiam
syllaba defectum, *Teupl. Sten. Marcell.* Quamvis enim haud sit rara
apud nostros terminatio cognominis in I, longe frequentior est termi-
natio in O, ut clarum ex omnium temporum monumentis, ac potis-
simum nummis, inter quos accipe etiam novo typo, ac majori modulo
nummum ejus, qui Grito successit, ac ita inscribitur: S. M. VENET.
D PETRUS LANDO. Nec de nominibus Ducum aliud
U restat considerandum, nisi & hinc velimus monetariorum impe-
X ritiam reprehendere, quod nominis non semper integram pri-
mam syllabam expressere, unde in alterius Teupoli nummo LA.
est *Laurentius*, in alterius Gradonici BA. est *Bartholomæus*. Sed acce-
ceda-

cedamus jam ad cœterarum literarum interpretationem, nec pudeat ὕςερον πρότερον processisse.

Compendiariis illis literis S. M. significari *Sanctus Marcus*, cum de rebus Venetorum agitur, pronum est intelligere. In aliarum gentium nummis significari iisdem literis *Sancta Maria*, monet vir omnigenæ eruditionis, Archiepiscopus Ancyranus, Justus Fontaninus in suo Commentario de Disc. Vot. c. XIV. ubi etiam ait, non nisi post sæculum XI. inductum morem, ut *Sanctus* unica litera S scriberetur. Quod sequitur VENETI. integrum esse, neque aliter legendum aliqui credunt. Credidit idem Cangius, qui appositum illud voluit Ducis nomini. At melius alii, qui illud a cœteris separatim sumentes, illo, ajunt, Venetorum commune significari, ut primum nomen Divi patroni sit, gentis & civitatis deinde, tum Ducis, sapienterque factum, ut post patroni nomen statim nomen gentis subjiceretur, quo intelligerent omnes, imperium non Ducis esse, sed Venetorum. Satis acute. Verum si verbi illius sententiam nos modo assequimur, curnam eam non assequuti majores nostri? Libertatis tenacissimi, & in Ducis jura numquam non intenti, hoc scilicet neglexissent asserti communi civium principatus testimonium? VENETI. igitur in veteribus nummis est VENETIcus, ex priscorum temporum appellatione. Nunquam enim *Veneti* in *Venetus* mutari passa esset respublica, si commune omnium civium imperium significari per illud credidisset; *Veneticus* in *Venetus* mutari & jussisse potuit. Clare autem, nullo elemento destitutum legitur S. MARCUS VENETUS in aversa parte nummuli argentei, Andreæ Griti nomine signati, alio a mattapane typo, ac literis, quæ ejus temporis sunt. Cum autem alio majoris moduli, seu mattapane, ejusdem Griti VENET. sit *Veneti*: quemadmodum integre exprimitur in ejusdem moduli, ac typi nummis Joannis Mocenici, & Augustini Barbadici, in eo vero, qui ultimus est in tabula nostra, integre exprimatur VENETUS; mihi non videtur dubitandum, utrobique epitheton illud esse, quo Divum patronum, in sui cultus, ac positæ in eo spei testimonium, donant nostri, ideoque VENETI. *Veneticus* esse. In priscis igitur nummis, & qui ad priscos accedunt, VENETI. *Veneticus*, in recentioribus si occurrat VENET. *Venetus*, nihil hærendo in re satis certa, interpretaberis. Quod enim utrobique aliqui explicant *Venetiarum*, & in priscis non levem habet difficultatem, & in recentioribus satis refellitur eorum inscriptione, ubi integrum est VENETUS. Vale.

E I-

EIDEM

VII.

De notis ſanctorum nominum Jeſu Chriſti.

IN tot epiſtolas diſpertita, longius, quam pro re, excurriſſe oratio forte viſa eſt. Ita quod ad levandum legendi faſtidium excogitavi, eo faſtidium ne auxerim, timeo. Finem propterea ſcribendi hac epiſtola faciam, poſtquam pauca de characteribus in parte averſa nummi imagini Redemptoris adſcriptis verba fecero. Cave primum, latinas literas illas IC. XC. eſſe, credas. Græcæ ſunt. I *iota*, X *chi*, C *ſigma* eſt, ex angulato Σ ita rotundatum. Contigit hoc & Latinis literis, ut ex angulatis ob ſcribendi celeritatem rotundæ fierent, quod per earum aliquot eundo oſtendit Brencmannus Hiſt. Pandect. lib. II. c. 2. Nec quærendum, utrum Græci a Latinis, an Latini a Græcis id didicerint, cum utrique docti hoc ſint a natura, laboris, ac temporis compendium ſuadente, ut viri docti obſervarunt. Apud Latinos, ut id obiter dicam, quæ prima has viciſſitudines paſſa eſt, fuit forte litera M pro nota numeri milliarii, quæ hebetatis omnino angulis abiit in ∞, quod non inter cifras Gothicas, ut videtur credere Brencmannus, ſed inter notas Romanorum recenſendum eſt, cum temporibus Auguſti uſurparetur teſte Panvinio, ac præterea Tabula Antii reperta, & *Antiatinæ* nomine deſignata, quam edidit libello ſingulari Joſeph Rocchus Vulpius, ac itidem t. 3. *Lat. Vet.* Verum ne longius ab inſtituto recedam, IC. XC. in nummis Imperatorum Græcorum paſſim videbis apud Cangium de Fam. Byzant. adſcripta imagini Redemptoris, ſicut Deiparæ imagini MP. ΘV. Hæc valent MHTHP ΘΕΟV; illa IHCOΥC XPICTOC. Latine ſcribentibus eadem horum venerabilium nominum ſignificandorum nota ſæpius uſurpata, Græcis tamen literis latinas immiſcentes pro IC. XC. IS. XS. ſcripſere. Hoc primum accidiſſe potuit, quod, aliqui ſigma ea figura ſcriptitarent, qua Jones utebantur. Cum autem hæc proxime ad Latinum S accedat, ut Brencmannus loco cit. obſervavit, factum eſt, ut imperiti librarii Græco ſigmati Latinum S ſubſtituerint. Non duabus, ſed tribus literis eadem nomina placuit etiam ſignificare, iiſque aut omnibus Græcis, ut primum de primo dicam, IHC, aut ultima Latina IHS, quod noſtris temporibus uſitatius. Varios etiam caſus hujus venerabilis nominis ultima litera Latina per eamdem notam efformarunt, nec ſolum invenies IHS, ſed etiam IHU pro Jeſu. Cum multi autem illud H pro La-

tina

tina aspiratione acciperent, tanta est nonnullorum inscitia, factum est, ut etiam scriberent IhS, quod miror ne Græcos quidem puduisse facere. Extat inter alia apud Cangium numisma Basilii Macedonis sic inscriptum IhS XS REX REGNANTIUM.

Quod attinet ad nomen Christi, antiquissimis temporibus aut per solam Græcam X, aut per duas priores, utramque Græcam X & P significabatur, quæ simul etiam implicabantur, secunda in medio primæ intexta hoc modo $\overset{P}{X}$. Plura vide de his in *Flavii Clementis Tumulo Illustrato*. Frequentior tamen hujus nominis nota est prima, & ultima litera, aut utraque Græca XC, aut prior Græca altera Latina XS quæ variatur etiam pro casus variatione, ut cum scribimus PAX XI. Usitatius vero adhuc tribus literis sacrosanctum hoc nomen significare, duabus prioribus Græcis, ultima Latina, varia pro varietate casus XPS XPI XPO XPM. At insubidi aliqui P non *rho* Græcum, sed Latinam literam existimantes, scripsere etiam Xps Xpi. Scitius illi, qui secundam etiam literam a Latinis sumentes XRS scribere maluerunt, quod aliquando & a Græcis factum, quemadmodum in nummo Romani Diogenis apud sæpe laudatum Cangium IhS XRS REX REGNANTIUM. Hæc habui, Vir Amplissime, quæ sumpta ex majorum tuorum nummis occasione de veteribus nummis Venetorum ad te scriberem. Subsecivas horas, quibus ob molestissimas muneris mei curas non nisi satis brevibus uti possum, libens, & gaudens ad id contuli, non eo solum, quod hujusmodi studiis mirifice delector, sed ut gratum tibi facerem, qui aliqua de his a me audire optabas. Hoc si præstiti, maximum ex levi labore fructum cœpisse, credam. Tu voluntatem meam boni consule. Optime valere te, valere Laurentium patruum tuum, patronum meum benignissimum, juvandis omnibus natum, vehementer cupio. Vale.


V. CL. BERNARDO MARIÆ DE RUBEIS
ORD. PRÆDIC.

De quibusdam vasculis: iis inscriptum videri nomen unguentarii, & diem repositi unguenti.

ERunt fortasse non pauci, qui me ridebunt, quod tecum, viro rerum sublimissimarum studiis dedito, ausus sum leves prophanæ antiquitatis reliquias communicare. Sed rideant hi supercilio si senatus literarii principes, qui ne rogari quidem sententiam patiuntur, nisi de summa republica agatur, illisque, quæ ipsi legere dedignan-

dignantur, neminem credunt oculos admoturum. Horum ego morositatem rideo, te vero V. Cl. cum ob cœteras præclarissimas animi tui dotes, tum ob id maxime suspicio, quod reconditarum, ac sacrarum præcipue rerum scientia instructus nullum literarum genus fastidis, atque inferioris subsellii literatos ita non contemnis, ut me etiam minutum dumtaxat philologum amicitia tua digneris. Quoniam igitur sæculum hoc nihil, quod ad antiquitatem pertineat, elegantioris literaturæ studiosis indignum judicat; de quibusdam vasculis Romæ haud ita pridem repertis quid sentiam, tibi aperio libens, ac quid sis ipse sensurus, ut aperias, rogo.

In vinea Sancti Cæsarii, quæ juris est Collegii Clementini, ad viam Appiam inter Cœlium montem, & circum Caracallæ ex quodam sepulcro effossa sunt ad centum quinquaginta vascula fictilia, altera parte ansata, quæ unguentaria nemo non putat. Hem novum! inquis. Passim e veterum sepulcris vasa omnium generum Romæ præsertim effodi, scimus. Numerum tamen tot vasculorum ex uno sepulcro haud ita sæpe erutum, scimus. Sed quod novum omnino est, his vasculis fere singulis inscriptum est nomen aliquod, ac præterea nota temporis. Eorum duo hic tibi delineanda curavi juxta graphidem Roma ad me missam.





Aliorum quinque praeterea hæ sunt inscriptiones.

1. ΓΟΓ
2. SEIA
3. MARCIA · MARCI · L ·
A · D · XI · K · AP
4. TETTIA . CVMANA
A D. VI EID F.
5. C. IVTI. PRID. IDVS
SEPT.

Sæpius acccidisse in effodiendis veterum sepulcris, ut præter urnas, & vasa cineribus recipiendis, præter lacrymarum phialas, aliorum generum vascula reperta sint, nemo ignorat. Simul enim cum ossibus, & cineribus haud raro condita hæc sepulcris, probat Gruthe-rus de jur. Man. l. II. c. 32. At unde hic tanta vasculorum *vis*, quanta non usquam, aut unquam fortasse? Cum unguentaria fuisse hæc, omnes putent, post consumpta unguenta, quæ illis continebantur, visum fuit in sepulcro condere unguentorum consumptorum vascula, velut ad significandam funeris magnificentiam, seu mavis, sumptuosum luxum. Scis autem, qui fuerit unguentorum usus in mortuos. Ungebatur cadaver, antequam efferretur. Ita Grutherus l. I. c. 15. Ungebatur rogo impositum, quin rogus ipse ungebatur. Idem c. 26. Præterea non sine unguentis, & odoramentis cineres, & ossa urna claudebantur. Hinc patet, quam verum sit illud plinianum l. XII. c. 18. *Beatam illam fecit* (Arabiam, unde odores, & aromata componendis unguentis) *hominum etiam in morte luxuria: quæ Diis intellexerat genita*, *adhibens urendis defunctis*. Quare si periti asseverabant, eodem Plinio teste, *non ferre* (Arabiam) *tantum annuo fœtu*, *quantum Nero princeps novissimo Poppææ suæ die concremaverit*; quid mirum, quod totum nobilis, & prædivitis hominis myrothecium in ejus funere consumptum credimus, hujusque rei testimonium dicimus hanc tantam centum quinquaginta vasculorum copiam una cum illo sepultam?

Pretiosa in funeribus unguenta adhibita, patet ex uno Propertio qui nardina ad hoc memorat l. IV. el. 7.

Cur

Cur nardo flammæ non oluere meæ?

Pretiosissima in hujus, qui hoc sepulcro conditus, funere adhibita, haud ambigo. Unde id colligam, quæris? Advertisti, vascula nostra literata esse, cujusmodi nescio, an ullum alibi unquam visum. Quid autem aliud unguentorum thecis potuit inscribi, quam id, quod eorum pretium significaret? Fuit hoc unguentarii nomen, & dies repositi unguenti. Ab unguentario enim unguenta commendata, ecquis dubitabit? Ideo seplasarius, seu unguentarius, ac myropola ille, *Cosmus* sæpe memoratus Martiali. Unguentarios in familia fuisse divitibus, & principibus, servos, & libertos, patet ex inscriptionibus, ubi hoc titulo non unus occurrit. Præterea scimus, viros nobiles, & primores matronas componendis unguentis oblectatas. Hinc tam varia vasculis nomina inscripta, marium, fœminarum, ingenuorum, libertorum, servorum, ut facile ab unguentarii nomine, sive hi myropolæ essent, sive ex familia, unguenti pretium dignosci posset. Haud ignoro, unguentis dedisse cognomina, aliquando locum, ubi primum inventa, sæpius succos, ex quibus confecta, cujus rei monet etiam Baysius de vasc. Hinc Irinum, Crocinum, Amaracinum, Melinum, Nardinum. Verum potuit aliquis odorum istiusmodi studiosus e frequenti familia unguentarios habuisse, qui aut alicujus speciatim, aut universe omnium generum unguentorum artifices periti, ex quorum nomine commendata vellet unguenta sua.

Unguentarii nomini additum puto diem confecti, seu repositi unguenti. Neque enim poterant non eo pluris æstimari unguenta, quo recentiora. Vere siquidem Plinius l. XIII. c. 3. *Unguenta illico expirant, ac suis moriuntur horis*. Sicut igitur amphoris, & lagenis ad continenda vina, quæ ætatem ferebant, pretiosiora, quo vetustiora, inscribebatur nomen Consulis, sub quo reposita, ita his unguentorum thecis mensis, & dies inscriptus, ideoque sicut optimæ notæ vina, quæ longioris temporis; ita optimæ notæ unguenta, quæ recentioris. Nulla autem hic Consulum mentio, quia nullum unguentorum genus, quod ultra annum servaretur. Hoc tantum in unguentis conficiendis, comparandis, servandisque studium, aut ex his vasculis credamus, alicui peculiare fuisse, aut Romanis omnibus, nobilibus scilicet, & divitibus commune, neutrum pugnabit cum ea, quam novimus fuisse Romæ effusam in ejusmodi delicias luxuriem. Interim si tibi visus sum recte judicasse, vasa hæc e myrothecio fuisse domestico viri prædivitis alicujus, hujusmodi deliciarum præ cæteris forsitan studiosi, quo hominum curæ evadant, sine, me animum advertere. Tantam enim unguentorum vim, quæ magno ad balnea, ad convivia, ad singulas partes corporis, ut mos Romanis,

 odo-

odoribus perfundendas parata certe fuerat, in funus tandem insumptam videmus. Sed de his inscriptis vasculis sententiam tuam expecto. Vale.

CLEMENTI XI. PONTIFICI MAX.

Dedicantur Oratiunculæ de Mysterio Trinitatis.

I.

PEdibus tuis advoluto mihi, Beatiss. Pater, ut brevem de ineffabili *Trinitatis* mysterio orationem, quam auribus usurpasti, oculorum etiam judicio tandem subjiciam, quem metum debita tantæ majestati facit reverentia, eum adimit explorata animi tui magnitudo. Quid enim est, cur credam, præ me lata formidinis specie posse, non munus, sed tributum offerentem tibi commendari? An tot gravissimis distractum curis ne videar tempore non meo adire, metuere dicam? At is es, quem pluribus intentum, & singulis adhuc parem, occupatum quamvis quicumque ad te accedit inveniat, sentit tamen nemo. An te in altissimo collocatum honoris gradu vereri jactabo? At is es, qui omnium non tantum nomine, sed re maximus nobis ideo probaris, quod cæteris par tibi uni videris. Cum enim scias, satis te virtutibus tuis suspiciendum, non quæris latebras, nec tandem adeuntes tristi supercilio terres, ut dignitati tuæ cultum, & admirationem concilies. Plenus igitur bonæ spei, quod me velis ea, qua soles, quaque plurimum commendaris, humanitate admittere, hanc, qualis qualis sit, argumento certe dignam te orationem offero, meque totum, Collegiumque nostrum tuarum virtutum observantissimum, tuo favore ornatissimum, meo, omniumque nomine tibi, Parenti optimo, Patrono beneficentissimo addico.

I I.

Cum tacitus mecum reputarem, Beatiss. Pater, qua ratione commendationem aliquam ad te quærerem orationi huic, quam ante pedes tuos pudibundam sisto; nihil potius futurum credidi, quam si prohiberem, quo minus auderet in laudes tuas erumpere. Fateor tamen difficilius mihi fuisse laudes tuas silendo præterire, quam aliis fortasse consequi dicendo. Tot enim sunt, quæ scribis, & facis, ut si minus ornari possint verbis, uberem tamen dicendi materiam vel elingui præbeant. Tacere vero laudes tuas tam difficile est, quam

res

res tuas gestas non admirari. Sed qui non potes imperare, ne res gestas admiremur, cum facere quin geras non possis, imperas, ne laudibus eas efferamus. O temporum nostrorum felicitatem, quibus Princeps contigit, non quem laudare liberum sit, sed qui laudes suas (prudens dico) omnino sileri jubeat. Hoc solum severe prohibes, hoc solum displicet, cum prohibeas, cætera solitus tanta suavitate præcipere, ut nihil placeat jam, quod ipse vetueris. Verum quo magis grave hoc nobis, eo tibi magis gloriosum, dicam etiam nobis, siquidem una est obedientis gloria, quæque difficillima exsequi. Igitur parvam hanc orationem de tuis laudibus obmutescere jussam ad pedes tuos devolutus offero, id unum orans, ut eam velis, meque simul maximo patrocinio tuo dignari.

III.

Quæ nuper te auditore, Beatiss. Pater, placere sibi visa est oratiuncula, audet modo Sanctitatis tuæ pedes adire te lectorem fortasse habitura. Neque ea oculorum tuorum veretur judicium, postquam aurium subiit. De sublimissimo Divinæ Trinitatis mysterio agenti ut patientes aures præbuisti, ita benignos oculos admoturum te sperat. Præter hoc fatetur nihil habere, quo tibi cum cæteris omnibus, tum sacra eloquentia vere maximo probari unquam possit. Neque enim a proposito argumento multum deflexisse dicar, quod investigabiles Dei vias minime ausus ingredi, imparem Trinitatis imaginem, attamen imaginem, ut ait Augustinus, idest hominem, tamquam lucentem in tenebris lucem e longinquo sum contemplatus. Fieri autem fortasse poterat, ut cognoscerentur in his tenebris mirabilia tanti mysterii, si oratorem alium, eumque potissimum, si quis est, qui in explicandis rebus divinis propius ad tuam eloquentiam accedit, nactum argumentum fuisset. Ipse, quæ apud te dixi, Sanctitati tuæ offerre debeo, cui plurimos, & faustissimos annos ad pedis osculum provolutus precor.

IV.

Pro tuo erga nos amore facis, Beatissime Pater, quod semper maxime facilis, facilior autem modo adeuntes omnes admittis, ut qui nuper, cum incommoda utereris valetudine, humanos casus pro nostro erga te amore metuimus, eo liberius fruamur bono, quod exorati Superi nobis servarunt. Quamquam enim, cum primum per vires licuit, non solum sacris interfueris functionibus, sed Sanctorum etiam

etiam monumenta nunquam tui oblitus per Urbis Ecclesias inviseris, ut satis conspectu tuo omnium ordinum mæstitiam levasse videaris; nullius tamen solatio negare potes benignus Pater, quo minus singuli novos semper securitatis, lætitiæque suæ fructus capiant. Hoc & mihi tandem conceditur, dum brevem hanc in sacello tuo habitam orationem oblaturus pedes tuos adeo. Inter postremos equidem numerari patior, dum captandam occasionem non existimavi, quæ se ultro debebat offerri. Hæc vero melius in tempore nunquam adesse poterat, quam modo, cum non solum gaudium nostrum ob confirmatam valetudinem tuam testari possum, sed etiam ad ovile tuum reductas oves, Ecclesiæque matri reconciliatos recens filios tibi gratulari. Hoc Deus Pontificatui tuo reservare voluit, ut difficillimis temporibus aliquid esset causæ, cur te vitæ non pigeret, quem diu vivere adeo Ecclesiæ interest. Augeat itaque idem bona, qui vitam largitur, nec nos tantummodo, sed te etiam lætum velit, quod enixis precibus ab eo semper petituros nos pollicemur.

V.

De sacerrimo argumento oratiunculas apud te habitas, tibique inscriptas ut pedibus tuis sisterent, qui uni, alterique fratri meo benignissime concessisti, idem mihi, Beatiss. Pater, sed longe cumulatius indulges. Tunc enim majus beneficium est admitti, cum majoribus curis distineris. Quonam vero tempore majora te negotia circumstetisse credamus, quam hoc, cum difficillima, si unquam, incidere Christianæ reipublicæ tempora, quæ anxium & solicitum te habent maximum ejus Rectorem. Quamquam enim alios satis commendaret æquus, rectusque in tantis rerum angustiis animus; ipse tamen aut novis arcendis, aut, quæ fuerunt, reparandis malis consilia, curas, totumque animum intendis. Hoc tibi meliora tempora debita vere fuisse ostendit, sed aut Pontificatui tuo hæc tempora Deus, ne maximo Principi deesset virtutum occasio, aut Pontificatum tuum his temporibus servavit, ut tot malis non sustinendis modo, sed propulsandis par aliquis inveniretur. Faxit igitur idem, ut possis, quod conari videmus, vetera nobis tempora reducere, qui aureæ antiquitatis es adeo amans; tibi vero arcus, & statuas ob redditam Europæ pacem possit hæc tua Civitas excitare, qui Urbi ornandæ nullo non tempore vel inter has maximas occupationes intentus obeliscos digniori loco erigendos moveri veteri sede jussisti. Hæc dum tibi precor, pedibus tuis advolutus mihi, meæque orationi patrocinium tuum magna animi reverentia imploro.

VI. Du-

V I.

Dubius habendane esset apud Sanctitatem Tuam, ut mos obtinet, brevis oratiuncula de Trinitatis mysterio, qua die infallibili tuo Maximi Pontificis oraculo augendum erat novis nominibus Sanctorum album, ipse ad omnia, quæ juberes, paratus, paucula hæc, quæ apud te, si liceret, dicerem, meditatus sum. Neque aliud mihi fuerat argumentum, quam omnibus significare, quam sapienter diem Augustissimæ Trinitati sacram elegeris, qua, ut universis Christianis magnarum virtutum exempla proponeres, novos sanctissimis hominibus in terris honores decernendo, ejus, qua fruuntur in cælis, gloriæ desuper afflatus haud dubiam fidem omnibus faceres. Quamquam vero pudori meo maxime consultum intelligo, quod non licuit in illo frequentissimo Ecclesiasticorum Procerum, atque adeo totius Christianæ reipublicæ conventu, exilem hanc, & nequaquam audientium dignitati, & tractandarum rerum magnitudini parem orationem habere; eam tamen quo minus pedibus tuis sisterem, Beatissime Pater, teneri minime potui. Sciebam equidem oculorum tuorum judicium declinandum mihi, postquam & aurium effugere felici eventu contigerat. Verum & illud animadverti, qui dicendo eloquentiam eloquentissimo Pontifici probare debuissem, eumdem me, quæ non dixeram, benignissimo Pontifici oblaturum, obsequium meum probare tantummodo debere. Ad id consilii itaque suscipiendum fecit animos singularis illa humanitas tua, qua tantum omnibus places, qua fortasse unice tibi places, cui cum omnia & levia placeant, nunquam parvum hoc maximi obsequii mei argumentum displicebit. Accipe igitur, Pater Beatissime, quod te jubente dicturus eram, te jubente non sum ausus dicere, & me ad pedum tuorum oscula demissum apostolica benedictione dignare.

LAU-

LAURO QUIRINO SENATORI

Dedicatur laudatio Joannis Baptiſtæ Nicoloſii.

QUAM coram Sereniſſimo Principe, univerſoque Senatu de Magni Cancellarii Joannis Baptiſtæ Nicoloſii laudibus orationem habui, ea non veretur te adire, Senator Præſtantiſſime, & ut tuam eſſe velis, rogare. Auctor quidem alius ab illo tibi videbitur, de quo me non fugit, quam non demiſſe aliquando ſentires. Ne exiſtimatione tua exciderem, qua mihi hactenus placere fortaſſe poteram, nunquam animum induxiſſem, ut oculis tuis ſubjicerem exaſciatum duntaxat opus, niſi, ut nihil clariſſimi viri ornando funeri deeſſet, quæ argumenti dignitate tantos auditores habuit laudatio, magno etiam alicui viro inſcribi debuiſſet. Solent Hiſtorici, cum mortem referunt clarorum virorum, ad ſignificandum funeris honorem, a quo oratore laudati ſint, memoriæ prodere. Cum autem honori eſſe non poſſit Joanni Baptiſtæ Nicoloſio obſcuri, & infacundi oratoris nomen; honori ſaltem ſit, hoc literis mandari poſſe, ea oratione laudatum eſſe, quæ prodiit Senatori Ampliſſimo Lauro Quirino inſcripta. Id igitur des magno viro, quem vivum tantum obſervaſti, quantum ab eo diligebare, ut honeſtari nomine tuo orationem meam velis, quo tanti viri funus magis honeſtetur. Nemo omnium eſt, ſi Nicoloſia egrediar domo, ad quem hoc magis pertinere, quam ad te debeat, qui plures ſuſcepiſti liberos Bernardi, Joannis Baptiſtæ Nicoloſii fratris, nepotes. Quamquam te illi, illum tibi magis conjunxit magnarum virtutum ſimilitudo, idemque in patriam animus, quam fratris ejus filia, conjux lectiſſima, Camilla Nicoloſia, digna patre, patruiſque, digna te viro matrona. Suſcipe igitur hanc orationem, Senator Ampliſſime, & me ita excitatum velis, ut lætiora nactus argumenta in obſervantiæ erga te meæ teſtimonium aliquid diligentiori lima politum non ad te ſolum, ſed de te ſcribere aliquando audeam.

CA-

CAROLO REZZONICO

PROTONOTARIO APOST. de numero &c. (a)

Dedicatur laudatio Petri Barbadici.

ETSI oratio hæc, Illuſtriſs. & Reverendiſs. Præſul, quam de Petri Barbadici, Patriarchæ Venetiarum, laudibus habui, biduo mihi vix ad ſcribendum conceſſo, non modo poliri, & comi, ſed ne ſatis quidem ſucci, & ſanguinis ſumere potuerit, decolor propterea, & exilis; cum tamen fieri non poſſet, ut publico omnino abſtineret, totius Senatus, ipſiuſque Principis, qui magnificis Patriarchæ exequiis de more interfuere, manus aditura, Romam etiam, & ad te potiſſimum cogitavit. Religioſiſſimi Præſulis laudationem Romæ in ipſa Religionis arce audiri, non abſurdum: avunculi vero ampliſſimi hoc qualecumque monumentum tibi ſuaviſſimæ ſororis filio deberi etiam viſum eſt. Miraberis tamen, unde ignoto homini tantum animorum, ut te adire non dubitaverim. Singularis humanitas tua animos fecit. Licet enim tibi ipſe ignotiſſimus, non ideo tu quoque, qui generis nobilitate, hac Præſulis dignitate, pluribuſque virtutibus ubique gentium clares, ignotus mihi eſſe potes. Sæpe & mihi cum his, qui iſtinc ad nos veniunt, de maximis animi tui ornamentis, de rebus a te geſtis, de ea, quam in Romana Curia de te excitaſti, expectatione multus ſermo. Maluiſſem propterea ampliſſimas, ad quas virtutis via graſſaris, dignitates tibi gratulari, quam tecum de acerbiſſimo avunculi tui, Patriarchæ noſtri interitu conqueri. Sed pro tempore ſingula. Quoniam id tulit occaſio, noxæ ne mihi ſit, quod hoc mihi ſumo, ut ſub auſpiciis tuis orationem hanc in publicum velim emitti. Vale.

CAROLO BOLAGNO

S. R. I. Comiti &c.

Dedicatur laudatio Joseph Bolagno.

QUOD fauſtum, tuoque acerbiſſimo dolori leniendo ſatis ſit, ſub auſpiciis tuis, Carole Bolagno, habitam in præclariſſimi parentis tui funere orationem in publicum emitto. Gratius nemini eſſe poteſt vulgari per omnes gentes, perque omnes ætates tanti viri

(a) *nunc S. R. Rotæ Auditori.*

laudes, quam tibi, qui omnium maxime patris gloriæ favere debes. Id vero ſi ſperari nequaquam poteſt ab hac, quæ loco, & tempori ſervire debuit, oratiuncula, tamen eam domi ſervare tua intereſt, ut aliquam non corporis ſolum imaginem, ſed animi quoque parentis habeas, atque illis, quos ex recentibus cum puella lectiſſima, ac nobiliſſima Margarita de Verme nuptiis ſuſcipies, liberis aliquando oſtendas. Hos Deus tibi cito largiatur, quando omnibus optandum eſt, non unum, ſed plures eſſe terris Joſeph Bolagno, ut qui in te, ſuaviſſimo filio, ſupereſt adhuc, in nepotibus immortalis fiat. Vale, Vir Clariſſime, & patrem æques gloria, diuturniore vita ſuperes. Vale.

CARMINA.

CARMINA.

I.

Zachariæ Vallaresso Senatori Amplissimo.

MŒcenas quis erit novo libello
Clarus laudibus eloquj senator?
Huic tu, Zacharia, patronus esto,
Primus quem puerum ipse ad Hippocrenes
Deduxi latices, volentem & idem
Admovi uberibus volens Suadæ.
Sacro hos, ne pereant, tibi juventæ
Fætus discipulo minor magister.

II.

Virtute beatos homines effici.

O qui beatam divitiis cupis
Proferre vitam, quid Lybiam metis,
Arcæque sudatæ caminis
Trinacriis erythræa dona,
Aurique credis pondera pallidus?
Felix eris tunc, atque potens opum,
Flavescet auro pulcriore
Cum locuples probitate pectus.
Ditesce gemmis perpetuo tuis,
Quas nec vetustas insatiabili
Quidquid potens delere dente,
Ingeniumve manus rapacis
Auferre tentet. Carbasa lenibus
Nunc implet austris, æquora fluctibus
Fortuna mox tollit, parata,
Quæ dederat, spoliare donis.
Æquum sed ipsi nulla licentia
In pectus: atri funeris inscia
Virtus perennem astris receptum
Una animum sequitur superstes.

III.

Virtutem se ipsa contentam esse.

Stet parvis licet ædibus
  Res angusta mihi, nec laqueariis
Aurum fulgeat, aut ebur,
  Nec picti niteant frigora marmoris,
Multus visere quæ cliens
  Matutinus adest; pectora non mihi
Auri sacra fames quatit.
  Heu curis valeat regia pallida,
Heu tristes valeant opes,
  Et pondus nimium divitiæ grave.
Exquirant alii, Paro
  Quæ suffulta caput nubibus atria
Condant; mens mihi pauperi
  Recti lætitiam conscia conferet.
Una est gaudia pectori
  Quæ donat, tenui squallida tegmine,
Mendicæ hospita vel casæ
  Virtus: hæc opibus sola beatior.
Non, quamvis tibi palleat
  Captivis fluvius cornibus Indicus,
Exstinctis minus ignibus
  Ardet sacra fames: nullius indiga
Virtus astra lacessere
  Ignorat precibus, quæ sibi sufficit.

IV.

Ratio conficiendæ chartæ.

Linteola accipies primum, quæ lecta jubebis
  Octonos undis mersa madere dies.
Inde solo impones, ac parva in frustula scindes,
  Frustula doliolis ingere, ut hic putreant.
Pistilla in numerum tollit, sublataque rursus
  Dejicit in gyrum sæpius acta rota.
His subjecta statim pistillis lintea tunde,
  Marcida cum cernes jam putruisse satis.

At

At multo primum mortaria flumine reple,
  Et sic tunde undis lintea mersa diu.
Stante rota, massam tandem subducito lini,
  Quam fons subjectis ignibus excipiet.
Jam propior fini labor est: craticula formam
  Informi massæ protinus una dabit.
Forma eadem, & colum crates, quam vimine nullo
  Efficiunt, quæ se ferrea fila secant.
Ergo fenestrata caldamque, & lintea crate
  Hauri, tunc, crates qua patet, unda fluet.
Expansa folii in morem sed lintea ferrum
  Transversim ductum, dum fluit unda, tenet.
Exitit informi e massa formata papyrus;
  Attamen hanc circa non labor unus erit.
Crate statim inversa folium chartarius alter
  Imponat panno, quem impiger ante paret,
Atque novo panno tegat illico: reddat utrumque
  Tertius evolvens, digerat & folia.
Tam celeri hæc nunquam lingua sed posse referri,
  Omnia festinis quam peragenda, puto.
In tumuli postquam congesta volumina morem
  Aucta satis, validis omnia trade viris.
Prælo hi subjicient, & vasto robore prælum
  Torquebunt, humor totus ut inde fluat.
Suspendent alii demum, quo perfluus aer
  Siccet adhuc: tanti charta laboris opus.

V.

Generis nobilitatem stimulum ad virtutem esse.

E C L O G A.

Juvenis, Senior.

Juv. Ecce senex iterum: nil hac egisse capellas
  Profuit. Ut mærens pavidi gregis immemor errat!
  Quamquam, ne solitis rumpat mihi questibus aures,
  Est timor; ultro affemur. Salve, vir bone, salve.
Sen. Felices salvere jube: non respicit ullas
  Sylvas missa salus, annisque, malisque gravatum
  Me minus. Ah! dolor est primæ meminisse salutis.
Juv. Quod quereris, de more facis: balatibus agni

Mu-

Mugitu tauri, seniores questibus auras
Implent. Quando abiit cum prima ætate voluptas,
Et volucrum cantus, & sylvæ causa doloris.
Sen. Quidni multa querar? Natus melioribus annis
Hactenus infelix vitæ mala tempora traxi,
Sæcula dum videam nigro sordere metallo.
Juv. Nimirum soli veteres, sene teste, beati.
Aurea pendebant quondam gravi ab arbore poma,
Terra dabat segetes bubus cessantibus, arva
Irriguo placidus fons lacte secabat, & ipsis,
Si vos audimus, sudabant mella salictis.
Sen. Hæc amens decantet anus: mihi dona videre
His potiora datum: non aurea ab arbore poma,
Aureus ast animus pastoribus: aurea virtus
His quondam errabat sylvis, hæc arva tenebat.
Juv. At quis virtutem nostris dein expulit arvis?
Tu meminisse potes, quando te grandior alter
Non superat sylvis, memorata & videris unus.
Sen. Accipe, fis, causas & nostri disce doloris.
Has quondam sylvas Divi, puerique Deorum
Immixti nostro generi coluere, tenella
Et quamvis dextra nondum aptus ab arbore pomis
Carpendis, vidi tamen, & bene visa recordor,
Hac egisse pecus Tyrsim, stratumque sub umbra
Corpora lassa illic calamos inflasse Menalcam,
Sanguinem utrumque Deum, quin ipsum fluminæ Phæbum
Sæpe gregem nostro tenerum tinxisse recordor.
Juv. Cælum habeant Superi, regnum pastoribus agri.
Sen. Heu! postquam sylvis urbem petiere relictis
Prisci pastores Divorum sanguine creti,
Una migravit virtus, agrosque subivit
Ultro accita cohors vitiorum. Tum scelus omne,
Et furta, & cædes arvis cæpere timeri.
Exhinc primum oculos, atque invida verba caveri
Agnis, hinc ingratum, infidumque arva sonare,
Atque ignota prius, quæ horremus, nomina mille.
Nam quid pastorem valeat cohibere furentem
Ira, vesanis aut captum pectora flammis,
Aut quos impatiens cæcos agit ardor habendi?
Non prius exemplum terret, non ullus honesti
Cordi innatus amor. Series inhonora parentum

Semine de vili genuit, seu robore duro,
Limo seu natum turpi genus. Æthere lapsam
Virtutem cæci nescimus. Scilicet astris
Cum puris nostro generi commercia nulla.
Juv. Mollia corda Dii nobis, animumque capacem
Virtutum faciles tribuere: redibit in agros,
Si volumus, virtus: obscuro sanguine quamvis
Orti, mox animo clarescere possumus alto.
Sen. O utinam. Facilis nimis at sperare juventa est.
Macte animo, puer, & divino semine furtim
Ornandis credam sublatum cœlitus agris.

V I.

Gratiarum actio.

Cum gratiam vobis velim merentibus
Habere, gratiam referre haud mens erat.
Referam tamen, solidamque referam, cum potis;
Nam gratiam solum hic habet, qui rettulit.

V I I.

Vestis theatralis promptuarium.

Regibus ornandis, ornandis schemata servis
Digesta hic pendent ordine quæque suo.
Constare hæc tanto mirabere inania sumptu,
Attamen est tanti fallere posse homines.

V I I I.

Idem.

Hic socco vestes, aptumque hic syrma cothurno,
Hinc totum capiunt nostra theatra decus.
Nil præter speciem, fictis cuncta aspera gemmis,
Sed falli hac specie tu quoque sæpe soles.

I X.

Amicos ad convivium invitat.

Nunquam remiſſus frangitur impete
Arcus; quid ultra ſocraticis mades
Sermonibus pernox, & uſque
Sollicitas animum ſeveris,
Amice, curis? Quin potius novis
Tandem implicamus tempora floribus,
Teſtæque mandatum fideli
Promimus unanimes falernum?
Quamquam Catonis ſæpe caleſcere
Eſt viſa virtus horrida cæcubo,
Et crine nutantes corollæ;
Herculeo madidum, ſodalis,
Rex provocari non ego te velim
Cratere. Nunquam deſipere eſt locus.
Tantum arbitris una remotis
Sollicitis animum juvabit
Laxare curis, dumque gerant jocos,
Circum deunces ferre bono die.
Heus coge ceſſantes ſodales:
Caſtalidum numerum ſororum
Implere certum eſt. Luſtra abeant feræ,
Quas ſolitudo, atque improba pallido
Cuſtode jejunis adegit
Faucibus eſuries in agnos.
Nos ore gnaros promere pectoris
Arcana ſtrinxit provida mutuis
Natura vinclis, obſequique
Ipſa jubet faciles amicis.
Major voluptas nulla homini datur,
Quam ſi fluentes, heu nimium! dies
Fallamus una, & largiori
Ora ſcypho madeamus una.

X. Ad

X.

Ad Amicum.

Tot, tamque longis literis quid enecas,
Amare quem juras? Amari me ſcio;
Jam parce chartæ, parce, amice, tempori.

X I.

Dolet pernionibus infeſtari.

Imos an æſtas tota corripit pedes,
  Gelu rigeſcunt cætera
Dum membra? Flamma torreor calcaneum,
  Qua mons ſicanus perfurit.
Non ſi, petulcum quod malum abſumit gregem,
  Morboſa quem pecus cutem
Corrupit aſperam, coactum ſiſteret
  In calce, prurirem magis,
Tentare plectro vim canoro barbiton,
  Libriſque, inertem pulverem
Licet excutere, cum pernionum protinus
  Explere rabiem, ſurgere,
Solumque calce pruriente rumpere
  Vis dira cogit. Heu lues
Infeſta Muſis! Armat in me jambicos
  Siquis favente haud pallade
Uſus, chiragra ne ligatus dexteram
  Votis fatiget numina,
Quacumque peſte ſed nocentior pedes
  Invadat imos pernio.

X I I.

In Alexandrum Magnum ob corruptam caſtrorum diſciplinam.

Siccine quem nullo mars anceps milite, nullo
Robore quem Perſis vicit, victoria vincit?

Siccine qui tantis par esse laboribus olim,
Et galea potare nives, tranare sonoras
Torrentum furias potuisti, abrupta jugorum
Invictus superare pedes; ies ferre secundas
Nunc impar lætæ nutas sub pondere sortis?
Quo virtus abiit? quo priscus, & æquus utrique
Sorti animus, spreto te vincere fortior auro,
Quam cum Persarum strictos incurris in enses?
Exemplo sic jussa tuo jam Thessala languent
Robora, & Emathias enervant otia turmas.
Castra natant undante mero, positaque capillos
Casside fragranti Macedo perfundit amomo.
Posthac, credo equidem, fuerit vibrare sarissam
Doctior, idaliis didicit quam cingere sertis
Miles, & infestis obnoxia pectora telis
Objiciet, stabitque loco, cum languida vino
Efferet Emathiis madidus vestigia castris.
Te pudeat vicisse, tuis aut damna triumphis
Illata, & cladem, victor dum proteris hostem,
Susceptam repara: castris, quæ sustulit unum,
Principis exemplum durissima jura reponat.
Frange toros, tere calce scyphos, hanc exue vestem,
Aut patriam mentire, genus mentite. Quid ultra
Differs? Una potest purgare hæc crimina culpa.
Non tu Pellæus civis, non patre Philippo
Tu genitus, quem barbaricam gestare thiaram
Crine juvat, cui Græca phalanx procumbere prono,
Et colere abjecta ad terram cervice jubetur.

XIII.

De Cinnamo aucupio & literis simul operam dante.

Cinnamus insidias avibus dum retia tendit,
  Chartæ idem mandat plurima, plura legit.
Aucupione simul dices, Musisque vacare?
  Nec vacat hic musis, nec vacat aucupio.

XIV.

X I V.

Musis vacandum esse, dum vulgus inania solatia sectatur.

Quid sacra Bromio nunc agimus die,
Tellurem madido cum pede cœteri
Pulsant? Otia nempe
Stultis grande negotium.
His largum tribuens dulcia munera,
Seu queis labra fluunt cretica, vitibus
Seu quæ lecta falernis,
Se indulget Deus; at mihi
Idem, non alias plenior, advenit.
Expellens hominem corripuit furor
Vulgo corda negatus.
Jam mens igne novo calet
Toto plena Deo: jam sacrum Apollini
Lenæoque jugum, nec timor, additis
Nitor scandere pennis
Tantis numinibus comes.
Mixtus castaliis ipse sororibus
Aurato cytharam pectine personans
Sacros hic celebrabo
Baccho, ni vetitum, dies.

X V.

Joanni Baduario Patriarchæ Venetiarum (a) *Gratiarum actio, quod literariis exercitationibus interfuerat.*

Dialogus.

1. Non, cum Phœbus adest, interea silens
Dum cortina jacet, blanda sonantibus
Musis carmina, Præsul,
Te Phœbus facilis magis.
2. Non, rerum dominus fulmine Jupiter
Aures si posito colloquiis virum
Demittit, facili unquam
Certabit Baduario.

1. O

(a) *deinde Ep. Brix. & S.R.E. Cardin.*

1. O pulsare mihi, qua sonat Aufidus,
Si nervis citharam Pieredes darent;
Unus clarior iret
Tuscis regibus edito.
2. Dircæos numeros numina poscerem,
Si ferret fidicen Pindarus æmulum;
Par victoribus astra ut
Unus tangeret isthmiis
1. Impar eloquium munere sed pari
Si donare vetat; solvere, quas licet,
Quis grates negat? Aras
Et dono colis impari.
2. Hoc si fas, igitur reddere gratias
Ultra quæ mora? Sed gratia redditur,
Non delenda die ulla
Si altum mentibus hæreat.

XVI.

De homiliis Clementis PP. XI. in varias linguas soluta, & ligata oratione conversis.

Evolvis, latiis quicumque remotus ab oris,
Quæ Clemens solitus promere verba gregi;
Qualia verba legis, tali illum pectore crede,
Non animum melius sermo referre potest.
Præclaris gravitas dictis, & moribus una:
Magna animus versat, magnaque sermo sonat;
Ipsaque sic factis se candida pectora produnt,
Nulla velut nubes candida verba tegit.
Elucet dictis, alitur quoque pectore sanctæ
Relligionis amor, crediti amorque gregis.
Antiquum ut redolet sermo, sic moribus ille
Antiquis vivit, vivere nosque jubet.
Atque frui aspectu possint ut pectoris omnes
Donatus linguis omnibus ille sonat.
Sequana eum patrio, patrio Tagus ore loquentem
Audit, tuque audis, Attica terra, tuo.
Majestas augusta oris, vox atque decora
Verum seposita vos regione latet.
O ter felices, propriis quibus auribus oris

Sacri

Sacri audire sonum, cernere & ora datur.
Hoc dicente, novo vati mens igne calescit,
Aptat, quæque audit grandia verba, modis.
Illi non aliter cithara certaret eburna,
Grandior a rebus ni sonus inde foret.
Jam Thuscis sociat, fidibus jam sacra Latinis
Verba, parem possit si dare Musa sonum.
Hinc certe ingenium, mens hinc celsissima, dignus
Nomine & hinc vates incipit esse suo.

XVII.

Ad Convictores Collegii Clementini de Urbe laus Cadinalis Sanvitalis ejusdem Collegii alumni.

E C L O G A.

Tytirus, Thyrsis.

T. Pinguia dum tondent securæ prata bidentes,
Quidni sub patula fessi consedimus umbra?
Carmina tu ludes, tenui sequar ipse cicuta,
Tu melior cantu, melior tenui ipse cicuta.
Th. Alternis potius cantemus: te quoque noster,
Tytire, Phœbus amat: firma si mente reservas,
Agno quæ posito meditati hic carmina quondam
Mopsus, & illustris Corydon; rite ipse recordor.
T. Sat memini; sed non, quæ Mopso, vox mihi: utrique
Tu certare potes: melior te Phœbus: utrumque
Pignore deposito vinces. Sed carmina solum
Dicere si te alterna juvat; sequar: incipe, Thyrsis.
Th. Crescite, felices, primævæ crescite plantæ:
Non glacies vobis noceat, non defluus imber
Nunc parvo virgulta solo, & sine nomine plantæ,
Mox arbor, nostris & sylvis umbra, decusque.
T. Crescite, felices, primævæ crescite plantæ,
Mitis sol radiis, miti rore educet æther,
Nunc virgulta, at mox expansis frondibus arbor,
Umbret quæ late, sylvas atque urgeat omnes.
Th. Rara arbor nostro sub cœlo, & fluminis alta
Hac labentis aquis, humoribus usta negatis
Aruit, agricolæ multos frustrata labores
Induit aut nullis sterilis se fructibus unquam.

T. Plu-

T. Plurima, quæ noſtris ſylvis educitur, arbor
Cum mutata ſolum vertit digeſta per agros,
Ingenium noſtro felix ſub ſidere ſervat,
In quaſcumque voces artes, nec tarda ſequetur.

Th. Haud procul aſpicimus multam modo creſcere ſylvam
Atque tenella comis protendere bracchia lætis
Indutam, nemoris magnum decus, agricoliſque
Spem magnam, ſaveat quando illis mitior æther.

T. Multa etiam noſtras ſpes implet, cernimus, arbos:
Multa brevi magnam cervicem ſuſtulit aſtris,
Non ſterili tantum umbra felix, fructibus at quæ,
Maturis onerata ſuos prævertitur annos.

Th. Æternum noſtris ſylvis decus, arbor, ad umbram
Cujus ſecuri canimus, mandata recenti
Nunc ſulco, eductis excelſis ad ſidera ramis
Una potes magno ſylvam prætendere templo.

T. O quæ crudeles imbres defendis, & æſtum
Paſtori, pecorique, exorta his arbor in agris,
Concilias adytis horrorem, atque otia ſervas
Illis, qui veniunt huc dicere carmina vates.

Th. Hæc, equidem memini, pridem ſenſere futura,
Qui primis teneram viderunt ſurgere ab annis
Proceris æquam arboribus, frondeſque recentes
Inter ver nullis ventis florere caducum.

T. Hæc avibus melius, vel lævo fulminis igne
Prædixere mihi, qui jam videre tenellam
Nulla eguiſſe manu, & vigili ceſſante colono
Floribus ignotos ſubito ſuccedere fructus.

Th. Salve, o ter felix, qua haud altera fructibus arbor
Lætior, o ſeris factura nepotibus umbram,
Haud uſquam nobis in toto ſanctior ,ulla
Te nemore aſſurget, noſtroque dicabere Phœbo.

T. Salve, o fœcundi clariſſima gloria ruris,
Si licet, hæc ætas ritus imitata priores,
Te colet æternum, noſtris paſtoribus una
Templum eris, & numen, noſtriſque vocabere votis.

XVIII.

XVII.

Romæ ædificiorum magnificentia.

ECLOGA.

Pastores duo

1. Fundata hæc nostris memoras pastoribus, ipsos
Quorum non pudeat Superos? Hæc mœnia pastor?
Has ædes pastor? Quis lusit, amice, volentem,
Aut quem ludis? Agris quamquam hæc vidisse juvabit
Egressum, nam quisque mihi ut tam multa referret,
Urbibus haud Romam tantum præstare putassem,
Quo teneros ovium mos est depellere fœtus.
2. Vidi ego, cum primum muros, collesque subirem,
Sublata civem dextra, peregrinus ab ore
Dum pendet tacitus, qua primum parte docentem
Venerit in sacrum Latiusque, & Thuscus asylum
Pastor, qua steterint constructa mapalia culmis.
1. Unde ergo hæc vario suffulta palatia saxo,
Hæc fora, multiplici, seu multa columna coronet
Ordine, majores hæc sive cupressibus ædes
Claudant, non parvis æqua urbibus? Unde viarum
Hoc spatium, tot ludentesque per aera fontes?
Unde auro nitida, & maculoso marmore templa,
Singula conspicienda quidem, nisi vinceret unum
Omnia, cui par haud opere est, aut finibus ullum?
2. Hæccine miraris? Quid, quando audita recordor,
Si digito veterum monstro vestigia rerum?
Ducta palatino postremas colle subibat
Exquilias domus una, hortis, atque ædibus una
Par centum, nec tota jacet. Geminone theatro
Moles visa tibi non parva parte superstes,
Aut quæ longa dies valuit subvertere nondum
Balnea tota? Arcus, pario de marmore signa,
Relliquias tantorum operum cum saxa vetusta
Ostendam tibi, tunc sapiens mirabere Romam.
1. Sæpius audieram, tantis spectanda ruinis
Mœnia, ruderibus priscis, & stantibus æque
Ædibus ornari: sic quercum sæpe videmus

Detonsam, exesam viridi decus addere sylvæ;
Ulli at sylvicolis hæc unquam condita, credam?
2. Quis credi hoc poscat? Vel si ditissimus agri,
Et pecorum, pastor fuerit tot sumptibus impar.
Auspiciis pastor quam magnis condidit urbem,
Hanc rerum domini ornarunt pastoribus orti,
Et summus, populis qui ponit jura, Sacerdos
Ornamenta novis gaudet junxisse vetusta.
1. Mitte hæc: Janiculo liceat descendere: totam
Æstimet hinc alius Romam: mihi singula tempus
Jam lustrare, dies quamquam haud suffecerit una.
2. Quos hinc ire vides, studium regione remota
Misit idem: comes illis emptus, qui omnia monstret.
Authoresque operum, tempusque, & nomina pandat.
Observata subire licet vestigia longe,
Nullo Pastores ignota docebimur ære.

XVIII.

Advenarum concursus Romam.

Longæne tandem nulla viæ quies,
Seu dulce credas oceano caput
Nunquam fideli, seu lacessas
Insidias hominum, ferasque
Excelsa vectus per juga? Non ego
Jucunda segnis laudo domi otia,
Quæ nullus unquam format usus
Nobilium haud studiosa morum.
Nimis latenti sub laribus suis
Angustus orbis: visere plurimas
Gentes, nec auditos Ulyssi
Aure sonos stupuisse prodest.
At te quis error longius amovet?
Quo cunctus orbis confluit advena,
Accede flavi ad Thybris undas,
Parce viæ & sapiens periclis.
Gens, quæ remoto diffidet æquore,
Nostris vel arcent finibus alpium
Prærupta, sole & pictus ora
Indus, hyperboreoque cœlo

Dam-

Damnata proles, principis urbium
Invisit arces. Hæc patrium solum
Una omnibus, compendiumque
Orbis, & una hominum magistra.

XIX.

Fortunato Mauroceno, ex Senatore Monacho Casinensi, dedinde Episcopo Tarvisino. (a)

Multa clarus imagine,
Virtute, atque sacra clarior infula,
Quem dignaberis auribus
Pulsantem trepida fila manu liræ,
Confestim posito metu
Audax ille nova mente superbiet,
Magno & parva mari dabit
Plenus vela animi. Me increpitet lira
Phœbus, Melpomene meum
Ausum torva oculos terreat; haud ego
Te mittam pavidus loqui
Afflatu validus pectora sat tuo.
Parvis non alius dabit
Rerum æquare modis maxima pondera,
Quam qui das citharæ inclitam
Factis materiam, magnus honoribus
Spretis, Adriacæ sacris
Cum mutas latebris limina Curiæ,
Sumptis major honoribus
Cum frustra latitans quæreris infulis.
Quam pronum facientis est
Magnis auspiciis grandia dicere.

XX.

Laurentio Teupolo, Equiti, atque ædis Divi Marci Procuratori.

Francigenum Regi, supremæ Cæsaris aulæ
Orator, Latio postea misse Patri,
Teupole, tergemino par vestit purpura honori,
Cum vocat ad patrios Adria grata lares.

(a) *ac postea Brixiensi.*

Induto at quamvis videaris murice magnus,
A merito semper major es ipse tuo.

XXI.

Angelo Mariæ Quirino, Monacho Casinensi, (a) cum Joannes Quirinus ejus frater ædis D. Marci Procurator amplissimam dignitatem iniret.

Non Batavos, caroque una cum fratre Britannos,
Non, quæ Rhenus obit, Sequana & arva rigat,
Non, quæ Belga colit sublimibus oppida muris,
Ullus adire pudor, ullus adire timor.
Auctus cum magno at se præbet frater honore
Spectandum, & Veneti Principis ora subit;
Frater abes, latitans tyrrheno sub lare? Lucis
Hujus lætitiam quin geminare venis?
Te videant cives, atque alter clarus honore
Contempto, sumpto clarus & alter erit.

XXII.

Urbis Venetiarum Fides, & Religio.

Adriacæ torpet qua tethyos, otio silenti,
Stagnoque vitreo quiescit æstus,
Magnus naturæ, atque artis labor, urbs, opus Deorum,
Extollit undis verticem superbum,
De Venetæ gentis cognomine dicta, quam tulissent
Fata esse principem, caputque genti.
Laude sua hæc tantum celebris, cui floribus Deorum,
Quos finxit ætas prisca, sparsit aras?
Sudatosne Deos mortalibus, arbitrumne ponti,
Jovemque, inane nomen, est precata?
Induit huic cunis velamina, queis Fides comarum
Obnubit aurum, parvulamque fovit.
Grandia tum subiit vestigia, cum pede haud labante
It proximo hosti terror, ac remoto.
Cuncta potens nec tempus vertere, nec ferens secundo
Fortuna flatu, in saxa nec ratem urgens,
Firmam proposito movit, nova, cerbero magistro,
Mutaret ut sacris sacra unquam avitis.

O Di-

(a) *dein Archiep. Corcyr. postea Episc. Brix. ac S. R. E. Cardin. & Bibliothecario.*

O Divum ſalve tantum minor æde, ſalve utraque
Urbs clarior Roma, manus Latinis
Auſas Diis nunquam protendere, Chriſtianum & olim
Qui infecit error Boſphorum, haud ſecuta.
Salve, o ferre Fidem, qua ſol caput exſerens eoas
Recludit oras, una lecta fatis.

XXIII.

Comiti Veritati Zenobio, Patricio Veneto, magnæ ſpei adoleſcenti.

Seu magna, ſive parva dicit Veritas
Non major hinc, minorve fuerit Veritas
Tui accipe omen nominis, mi Veritas.
Qui puer, adultus mox is eſto Veritas,
Sophiæque, muſarumque amicus Veritas.

XXIV.

Comitibus Veritati, & Joanni Carolo fratribus Zenobiis, e gravi morbo convaleſcentibus.

Indole par fratrum ſimili, ſpes unica gentis
Zenobiæ, illuſtris ſubſidiumque domus,
Seu vis naturæ eſt, ſeu mutui amoris eodem
Implicitos morbo decubuiſſe ſimul;
Mœſtorum hoc tandem potuerunt vota parentum,
Quod placitum ſuperis convaluiſſe ſimul.
Fratrum utrique Dii dent jam, votiſque parentum,
Longa ſit ut valido corpore utrique ſalus.

XXV.

Carmen Italicum Franciſci Coppettæ de verbi divini incarnatione, quod incipit Locar ſopra gli abbiſſi i fondamenti. *Latine redditum.*

Stat librata ſuo te pondere terra jubente,
Per vacuumque aer multus inane fluit.
Ipſe tuis manibus cœlos, ſtellantia tecta,
Et manibus fingis lumen utrumque tuis.
Humenti ſiccum coit, & concordia diſcors
Cum glacie flammis numine pacta tuo eſt.

Unus

Unus jura mari ponis, ventisque sonoris,
  Totque animas unus corpora, & unus alis.
Tanta hæc cernentes unum omnia posse fatemur,
  Et quam sit præstans vis tua, narrat opus.
Sumere sed Numen, mortalem & ponere vitam,
  Æterna ut nobis vita parata foret,
Cum vis; hoc celsæ miracula cœtera dextræ,
  Et quæ per senos acta fuere dies,
Quam vincat, non ipse loquar, non Angelus, unum
  Sed referat Verbum, quod capit ista, tuum.

XXVI.

Paraphrasis Psalmi 50. Miserere &c.

Qua magna pietate soles, miseresce precantis,
  Quam multa est pietas crimina terge mea.
Mundities abiit, mage largo crimina fonte
  Ablue: peccati vincula solve mei.
Tota patet sceleris gravitas infanda scelesto,
  Criminis inque oculis hæret imago mei.
Te uno teste scelus, te uno spectante patratum:
  An poterunt ideo fallere verba Dei?
Non veniam indignis mortalis judicat esse,
  Judicia ast hominum cæca refelle, Deus.
Immundo rivis sordes a fonte, parentum
  Me noxæ heredem noxia origo fecit.
Relligio, veraxque fides, constantia cara
  Est tibi, Relligio, firma fidesque mihi.
Ille ego, cui patuit, tua quod sapientia noscit,
  Quæque oculis hominum condita, aperta mihi.
Ipse mea asperges si tempora sanguine, sordes
  Protinus exciderint, sanguine mundus ero.
Tergere sique mei maculas dignabere cordis,
  Corde erit extemplo nix minus alba meo.
Auribus excipiam placatum te mihi lætis,
  Lætitia exsilient, quæ quatit ossa dolor.
Verte alio vultum, ne crimina conspice nostra:
  Verte huc, & nostro pectore terge scelus.
Hæc pereant, nova & existant te corda creante,
  Pectoris & repleat spiritus ima novus.

Par-

Parce, tuo ne aſpectu fruſtreris egentem,
Ne neget afflatus ſpiritus ille tuus.
Venturus dederat quæ Chriſtus, gaudia redde,
Spiritus invalidum, qui Deus, ille regat.
Si vis exemplo, ſi verbis ulla, redibit
Errans ad tuum ovis me præeunte gregem.
Sanguine dextra olet, fateor, ſed ſolve nocentem,
Me Deus una ſalus, me Deus una ſalus.
Promiſſi mea lingua fidem canet uſque: reclude
Labra, canent laudes ora recluſa tuas.
Rex ego, juſſiſſes, cumulaſſem altaria donis,
Non Dei at ira cadit, ſi hoſtia multa cadat.
Hoſtia grata dolor, tibi corde dolente litamus,
Inviſa haud oculis triſtia corda tuis.
Ne noceant populo, quæ Rex admiſit iniquus,
Fac, maneant urbis mœnia tuta meæ.
Cum nos reſpicies placatus, cæſa placebit
Victima, tunc vitulum ſanguine & ara fluet.

XXVII.

Parafraſis pſalmi 129. De profundis &c.

Pœnarum, & ſcelerum barathrum dejectus ad imum,
Hinc te clamo: audi, qui Deus alta tenes.
Intentas, facileſque aures mihi dede vocanti:
Audi: quod merui, deprecor ipſe malum.
Si ſcelera aſpicias judex tam fœda nocentis,
Eſt veniæ ſpes te judice nulla mihi.
At ſperare jubes: lex hæc mihi dicta; nocenti
Ergo propitius tu mihi, namque ſoles.
Quam tu pollicitus, fas eſt ſperare ſalutem.
Spero ego, quippe tuo ſpem facis ore Deus.
Speremus naſcente homines, & ſole cadente,
Tempore homo nullo ſpeque, animiſque cadat.
Namque Dei eſt hominum large miſereſcere, noſtra
Pro vita & pretii Numen abunde tulit.
Scilicet effuſo vitam emit ſanguine nobis
Æterni Patris filius ipſe ſuo.

XXVIII.

XXVIII.

Ad Jesum flagellis cæsum

Plurimus immani circum ſtat robore tortor,
  Et te, Chriſte, unum mille flagella petunt.
Vulneribus durat virtus tot dia ferendis,
  Deficiat quamvis qui ferit; illa viget.
Heu quantæ virtutis opus, quo debita ferre
  Flagra mihi, cæſus pectora, terga, caput.
Hoc leve, ni tanti, Jeſu, tibi cauſa doloris,
  Et flagris corpus qui fodit, ipſe forem.
Non tamen ipſe doles, cædam quod terga flagellis.
  Hoc, mihi quod fuerint debita flagra, doles.

XXIX.

Ad Jesum ſpinis coronatum.

Dum ſceleri vecors quærit plebs jura, fateri
  Te Regem, & capiti debita ſerta, pudet.
Hinc textis fingit ſpinis diadema, tuumque
  Circumdat feritas ingenioſa caput.
Quæ nox urget adhuc, tortor, tua lumina? Regem
  Diſce tuum: capiti regia ſerta ſedent.
Aurea num refert, an ſpinea ſerta coronent?
  Quod tulit, eſt unum, quod dare tu poteras.

X X X.

Moribundus Jeſus queritur, ſe a Patre derelictum.

Quem genuit ſimilem ſibi mens fœcunda, parentis?
  Fruſtra quæſita deſtituetur ope?
Vulnere confectus multo, palmaſque, pedeſque
  Diro ſuffixus robore clamat opem.
Clamat opem, pereunt, ſed non audita parenti
  Verba, nec auxilium qui ferat, ullus adeſt.
Auxilium ingeminat, corda at delapſus ad ima
  Cum vita abrumpit languida verba dolor.
Plura ne, qui periit, nati debemus amori,
  An natum paſſus qui periiſſe, Patri?

XXXI.

XXXI.

Jesu Crucifixo.

Verumne pendes corpus ? imagine
An ludor atra? Quo decor excidit,
Lumenque vernantis juventæ
Purpureum? Hæccine forma numen
Confessa, quæ inter ceu violas rosa,
Aut prona in undas sidera phosphorus,
Lætum nitebat? Nullus ori
Nullus honos oculis : comarum
Aurum revulsum: vulnere plurimo
Concisa toto vulnera corpore,
Et nulla cunctis vena, quæ non
Sanguineo fluat imbre membris.
Sed ora quamvis fœdus, amabilis
Haud ulla nobis forma magis: viri ut
Sis nomen, infelix & umbra;
Ipse potens animis amoris
Spirare flammas. Hæret adhuc meis
Defixa imago pectoribus prior,
Quam nec cruor fœdat, nec audent
Carnificum violare tela.

XXXII.

Mortalibus confugiendum esse ad Christi vulnera.

Toto petita parva si navis mari
Impulsa ventis fluctuat,
Jactata pavidus colligit tum carbasa,
Versoque clavo navita
Portum, fremente qui jacet tutus noto,
Remis adactis occupat:
Exhaustus acri marte, multo vulnere
Languentia & miles trahens

Vix membra, medicas triſtis implorat manus:
Curare feſſus corpora
Subit viator, quæ patet primum, caſam.
Heu quid moraris? quid manus,
Pedeſve, dira vel recluſum cuſpide
Adire tam piger latus,
Mortalis? Hujus ſive vitæ fluctibus
Jactaris incertum, hoſtibus
Manus daturus ſive plagis debilis,
Longave langues de via;
Aperta Chriſti portus inter vulnera
Tutus patebit naufrago,
Saluſque certa ſaucio, & feſſo quies.
Nimis o ſibi genus nimis
Mortale fidens? Dura quæ diſcrimina,
Laborque terrent viribus
Fretum ſuis, calleſque vetitos ingredi
Audax? Ineluctabili
Præceps ruina donec ante ſpretam opem
Votis precetur irritis.

XXXII.

B. Virgini, Cæli Reginæ.

Serta tibi, Virgo, capiti data regia circum
Cœlorumque tuis, terrarum & ſubdita regna
Imperiis, canimus: devota in carmina vires,
Quo te digna ſonent, tu vati ſuffice, Mater.
Jamdudum Mariæ geminatis ſaucia telis
Rurſus Amor tota graviori pondere dextra
Corda petit, divinus Amor, demittere ſummo
Gnarus tela polo trifidas imitantia flammas.
Accepit tam gratum ignem, invitare parata,
Si ceſſet, Virgo, penituſque patentia velox
Pectora flamma ſubit, totaſque vagata medullas
Carpit, mox cineres minitata. Heu ſpicula flammis

Side-

Sidereis accenſa, paremque incendia flammis
Nacta animum! totum quamvis ignem hauriat, igni
Par vivit. Veluti radiis quæ lilia Phœbus
Flammivomus petiit, languent ſitientia, pronum
Inclinantque caput, demiſſis frondibus omnis
Candor abit; ſtant attamen, & radicibus hærent.
Sed ſuperet quamvis, ignito ſaucia telo
Viſa eſt poſſe mori. Sevum tum ſuſtulit enſem,
Omnia Mors audax tentare, at decidit enſe
Cum ſævo ter dextra. Novum mirata timorem,
Torpentemque manum: mene hinc abſcedere victam?
Quin moreris? tacitis ſeu ſedibus abderis orci,
Quando mori vetitum Morti? Diſcedimus orbe
Nondum, purgamuſque metu? Quæ cura ſub armis
Ad celſas celeri turres, humileſque tabernas
Nunc pede graſſari? Mortalis fœmina Mortem
Territat, indicitque fugam. Credo, æthere lapſam
Æternis animant cognatam ſidera flammis.
Numinis ipſa parens: eſto. Num terruit ipſum
Mortali quondam latitans ſub imagine Numen?
Haud impune fuit quamquam mihi; Numen adorta
His ſpolia ampla humeris retuli. Sed magna triumphos
Jactanti nunc præda perit. Nec plura: reducto
Crines plena animi flaventes demetit enſe.
At color infecit cum primum decolor ora,
Ora roſas quondam mixtis imitata liguſtris,
Et ſine luce oculi; ſtupuit Mors ipſa, ſceluſque
Horruit ipſa ſuum. Tanti vix certa triumphi,
Vixque oculis fidens, conſtrictum corpus inerti
Frigore, & exanimum trepidanti cuſpide tentat,
Mox ſpolia ampla legit, ſpoliis atque implicat enſem.
Pallentes circum Morbi, triſtiſque ſenectus,
Unguibus atque ſuis laceratus corpora Livor,
Atque Odium, fidi comites, gnavique ſubire,
Quo vocat, & juſſis operam præſtare parati
Plaudunt, quos verbis ita Mors affatur amicis:
Primo hominum ſcelere edita mecum turba malorum,
Quorum ope tot volito cunctis invicta per annos,
Imperii tandem prolato jure, nocentes
Non tantum noſtro regno ſubmittimus, ipſos,

 Quos

Quos morum tegit integritas, hoc cædimus enſe.
Jam ſatis eſt naſci morituris; ſolvere pœna
Nequaquam Deus ipſe volet, ſi crimine ſolvit.
Et mihi Mors tandem videor: cum Numen ad auras
Funere contempto rediit: fuit ipſa pudori,
Nam quid diſſimulem? mihi tanta licentia ferri.
Aſt illata prius per natum damna parente
Penſamus, fatis extincta: jacuere ſoluta
Frigore membra, urget, quem non excuſſeris unquam,
Concluſos oculos ſomnus: quo palleat ictu.
Mors ipſa ignoro; cecidit tamen, ictaque noſtro
Vulnere pallentes inter cenſebitur umbras.
Ambiat ergo novum victricia tempora ſertum,
Audiat orbis io totus, reſonetque triumphe,
Æther, & mortem non ultra rideat ullus.
Vix abſolvit, io languenti voce triumphe
Turba ſequax geminat, moribunda voce triumphe
Collis io reſonat circum, ſylvæque reſultant.
Jamque perire brevi damnato flore cupreſſus
Implicat: hoc capiti ſertum, crineſque coronat.
Ipſa ſedens ſurvum, quo non velocior alter,
Urget æquum, nigro prælatas cuſpide jactat
Exuvias, victrixque effuſis fertur habenis.
Ecce autem medio volitantem tramite ſiſtit,
Quæ vis incertum, dejectamque excutit ipſe
Haud alias hoc auſus equus: jacuere caduca
Serta procul, trepidos & fruſtra exterrita poſcit
Auxilium ſocios, ſpolia atque abrepta videnti.
Extemplo poſitos rurſum Virgo induit artus,
Stantia membra regit revocatus ſpiritus, ignem
Sopitumque animat rurſus, glacieque ſoluta
Itque, reditque ſuis ſanguis per corpora rivis.
Ceu roſa, quæ viridi decerpta eſt ceſpite, languet,
Vivificus totis dum venis aruit humor,
Demittitque caput moriens: at rore benigno
Extremam tum merge, comarum rurſus honorem
Explicat, & ſtabili pede ridens halat odorem.
Reddita Virgo ſibi vix eſt, cum lapſus ab axe
Lucidus apparet currus, qui, ſidera clarus
Pellere cum ſurgit ſol, dignus ſole videtur.

Stant

Stant circum Aligeri juvenes, turba edita cœlo,
Certantque obſequiis, & læta voce Parentem,
Æthereis mutet tellurem ſedibus, orant.
Huc Virgo aſcendit: zephiris tollentibus auras
Fertur per vacuas currus, terræque recedunt,
Clarior apparetque dies, & purior æther.
Haud tamen obtutu dignatur Parthenis uno
Deſertæ telluris opes, dum mente voluptas,
Quo ſolum aſpirat, tacita præſumitur omnis.
Aligeri haud ceſſant: teſtatur gaudia cantu
Sacra cohors intenta operi: pars æthere nubes
Hæc fugat, & radiis mage claris aſtra coronat,
Qua monſtratur iter: pars hæc felicior aſtris
Ipſam infert Matrem, certant ſubſternere curru
Seu celeres humeros, valida ſeu tollere dextra.
Interea capiti Angelicis de cœtibus unus,
Lucis inacceſſæ ſolio qui proxima ſervat,
Obtendens alas, pedibus ſe Numinis ultro
Advolvit, datque has ſubmiſſo pectore voces:
Rex Cœli, terræque potens, cui ſola voluntas
Omnia poſſe facit, tu nos dignatus honore
Primo, das votis animos majoribus unus.
Quandoquidem Matrem tandem cupientibus aſtris
Menti inferre ſedet, noſtris hanc poſcimus addi,
Rector magne choris. Sedes deſerta rebelli
Agmine multa vacat jamdudum: damna Parente
Penſentur numeri: hæc reparet cum fœnore cladem
Noſtram, uni tandem doleat victoria victo.
Haud memorem, noſtro Cœlum debere labori
Quam mox excipiet. Gnavi pernicibus alis
Æthereas tranare vias, per inania fratres
Subſternunt ſcandenti humeros, lateque fugatis
Calle intentato nebulis ad ſidera tollunt.
Non ullum petimus, magnæ ſervire Parenti
Contenti, pretium, nec gloria parta ſuperbos
Spe fovet, e noſtro quod rettulit agmine Princeps
Fœcundandum illi divino pignore ventrem,
Aut quod Cœlicolæ terras habitavimus imas
Servitio intenti. Divinæ noſtra Parentis
Pectora tangit honos: non ſedes dignior ulla

Exci-

Excipiet, propior quam quæ tibi Numine toto
Expletur mentem felix, oculosque tuendo.
An duxit nulli quæ labi obnoxia vitam
Spiritibus pudor Angelicis, cui corpora mentis
Velamen, non pondus iners, haud sedibus illa
Angelicis tandem jungetur? Num decusoris
Parthenium, aut divina sonans vox prodidit unquam
In terris hominem? Nostris de cœtibus unam
Mortales dixere; colat de cœtibus unam
Immortale genus nostris. Quod poscimus, ultro
Da, genitor, nobis, da dulci, nate, parenti,
Nec tua supplicibus pugnet sententia votis
Audiit hæc, cytharam David cum forte canoram
Lætitia tentaret ovans, arcesque petenti
Sidereas lætum Matri pæana pararet.
Obstupuit primum, quod non præviderat ausum,
Mox solio, tantum non inflammatus ab ira,
Numinis accessit, capitique insigne decorum
Detraxit servum confessus, & oscula supplex
Postquam demisit pedibus, sic ore locutus:
Terrigenas, mentesque oculis qui respicis æquis
Aligeras, mundum ditione amplexus utrumque,
Ne sceleri detur, trepidum quod pectus honoris
Tangimur erepti cura, tactosque fatemur
Et mortale genus, qui non sumus æthere nati.
Cœtibus Angelicis si Matrem jungere certum
Consilio manet æterno, nil addimus; ipse
Virginis ipse parens, & primus sanguinis author
Exultans alia venerabor parte locatam.
Si secus at sperare licet, cœlestia corda
Urit adhuc dolor, & nunquam non gloria turbat
Aligeros hominum? Nobis de semine proles
Nostro debetur. Sede haud ornarier illa
Postulat, & nostro, modo quem non jactat, honorem
Virgo choro princeps dabit. At quæ indigna Parentem
Excipere est sedes? Non soli subdita cives
Indigenæ astra premunt; & nos pars magna senatus
Ætherei. Gratus quondam mortalibus error,
Mentibus Angelicis vitam par duxerat? Ergo
Luce nova pateant discrimina. Gloria major,

Mem-

Membrorum quod mole gravi ſine corpore mentes
Parthenis æthereas animoque æquarit, & ore.
Aſpice, ſuſpenſos animi palleſcere cura
Incerta Proceres, quos invida pectora cogunt
De proprio certare bono. Sic fallet inanis
Spes Abram, patreſque tuos? Sic, Virgo, carebis
Anna matre, proculque a conjuge abibis Ioſeph?
His jungi cupit illa; jube, Deus optime, jungi,
Qui ſanguis noſter paſſus, proleſque vocari
Quondam hominis, ſumpta oſtentas quoque corpora cœlo.
Vix ea dicta dedit, trepido ſtellantia tecta
Aſſenſu reſonant, leni ceu flamine ſurgens
Mane novo zephyrus cedros cum perflat odorus,
Inclinatque caput placido nemus omne ſuſurro.
Cum primum at nutu, quem motis ignibus æther
Sentit, quem terra, & ſtygiæ tremuere cavernæ,
Velle loqui viſum Numen; tum protinus omnes
Submiſſis petiere ſolum cervicibus, ales
Hinc cœlo æquævus, Jeſſæo hinc ſanguine Reges.
Expectata ſonant hac tandem oracula voce:
Pergite, felices animæ, mea cura, meæque
Dextræ opus, his ſtudiis ardere Parentis honorem.
At non Angelicis, non priſcorum illa parentum
Eſt addenda choris, cernet ſublimis utroſque
Deſuper, & ſolio mecum conſidet eodem.
His dictis placati animi, victoria neutri
Quod ceſſit, viciſſe putant, & lætus uterque
Certatim properant venienti occurrere Matri.
Jamque patent ſuperi revoluto cardine poſtes:
Aligerum portis effunditur agmen apertis
Surgentis ſtipare latus, callemque parare.
At ſine matre Deus, ſine patre homo, Virginis idem;
Atque Dei ſoboles, ſtellanti ſede relicta,
Clarus luce nova, lætoque auguſtior ore
Proceſſit ſolio, medioque in limine Matrem
Obvius expectat, liquidumque per aera nanti
Ipſe oculis animum, blandis & vocibus addit.
Orbem vix Lunæ tenuit, cum Luna premenda
Virgineis pedibus ſubſternit cornua: Frater
Neſcius hinc vinci accedentem lumine multo

Ma-

Matrem obiit totam, ſplendentique induit auro:
Emenſo ſed jam tam longo tramite tandem,
Omneſque æternis lucentes ignibus orbes
Prætergreſſa, domum tenet omnipotentis olympi,
Et jam mater habet natum, natuſque parentem.
Quis memoret fando, quæ verba, & vultus utrique,
Gaudia quanta animis, cum dulcis bracchia natus
Laxat in amplexus, & laxat bracchia mater.
Fit dux ille viæ: cœli penetralia Virgo
Progreditur media hinc atque hinc comitante caterva
Aligerum: nova lux, qua tranſit, viſa per aulam
Spargi: Tum Superi aſſurgunt, totuſque ſenatus
Aſpectu expleri gaudent, geminantque Parentem,
Et Natum, reſonatque novis concentibus aula.
Æterna ut ventum ſummi ad ſubſellia Patris,
Tum vero tantam non læſo lumine lucem
Ferre ſtupet, capite & prono mentem tribus unam,
Treſque unum Virgo indiſcretum Numen adorat.
Filius auratum ſolium conſcenderat, unde
Sublimis terris imis dominatur, & aſtris;
Cum matrem extemplo ſedem conſcendere eamdem
Invitat, laterique ſuo conſidere dextro
At frontem multo Virgo ſuffuſa pudore:
Numquid tentor? ait. Quo, rerum maxime Rector,
Nunc ancilla vocor? Neque enim cœleſtia nati
Ora mihi propius, majeſtatemque verendam,
Cernere quando datur, pluris mihi mater haberi
Incipiam. Quanto dignatus honore parentem
In terris fueris, dum contemplata tremendum
Numen, Nate, tuum noſco; quam vile parenti
Sit pretium, penitus noſco, nec nominis auget
Gloria tanti hominem. Jam terrarum incola viſus,
Sic placuit, minima forſan minor ipſe parente:
Ablato in cœlis redeant diſcrimine tandem
Ordine quæque ſuo. Servantem juſſa parentis,
Subjectumque homines homini ſtupuere, Deumque,
Quem virtute animus, doctrina os, dextra fateri
Prodigiis potuit, mater ſum viſa negare
Obſequio uſa tuo: ſatis hoc: parebo jubenti
Ipſa Deo tandem, ſolii ſive ima tenere,

Agmi-

Agmina five inter poſtrema recedere longe
Hinc jubear, ſat læta mihi quod detegis ora.
Dixerat. Interea dubia ſtant agmina mente
Cœlituum, precibuſne Deus, votiſque parentis
Annuat: Angelicis num cœtibus addere matrem,
Anne hominum malit. Nati quique æthere, quondam
Quique homines terras mutarunt æthere, rurſus
Depoſcunt ſibi Matrem, & ſpe ducuntur inani.
Olli at ſubridens hominum ſator, atque redemptor:
Quod petis, unum, inquit, matri concedere natus
Haud poſſum: ſolio tibi fas conſidere noſtro:
Huc aſcende. Animus tuus hic contemptor honorum,
Qui primum dederat te Numinis eſſe parentem,
Dat modo reginam celſis dominarier aſtris.
Ætherei cives ut primum ſurgere matrem
Ad nati ſolium, laterique aſſidere dextro
Videre, extemplo geminato gaudia plauſu
Teſtantur: reſonat feſtivis vocibus aula.
Angelicis nollet tranſcriptam cœtibus ipſe
Angelus; ipſe ſuis, qui exuto corpore cœlis
Illatus, nollet: cumulari Matris honorem
Quiſquis, & a voto ſe luſum gaudet inani.
Accedunt ſolio, & pronis cervicibus omnes
Oſcula delibant pedibus, Dominamque ſalutant.
Hinc juſſus toto diſcurrit plurimus axe
Angelus, æratis convulſaque ſedibus aſtra,
Lumine quæ majore nitent, ceu pollice flores
Vere novo pratis meteret, recto ordine nectit,
Atque novam fingit radianti luce coronam.
Hanc capit, & manibus compactum ſidere ſertum
Bis ſeno ipſe ſuis capiti dum filius aptat,
His matrem affatur: ſupremi inſignia regni
Oſtentent late dominam, dominique parentem.
Quidquid ubique patet cœleſti a vertice ad ima
Terrarum, noſtra quidquid ditione coercet
Numinis imperium, Superique, hominesque, rebelliſque
Æternum gens horrendis damnata tenebris,
Pareat imperiis tandem, & tua juſſa faceſſat.
Ipſe ratum ſtatuo, quod mater juſſeris; ignes
Seu trifidos jubeas hominum pœnamve, metumve

Mitti, seu venia jubeas gaudere nocentes;
Obsequium, saxo, discant a Numine cuncti.
Vix hæc dicta dedit, cum protinus orbis uterque
Reginam resonat, nequicquam & dentibus Orcus
Infrendens, cogi sentit, Dominamque salutat.
Clarior ex illo patriæ stellantis alumnis,
Atque homini ire dies visus, geminataque cœlo
Gaudia, & affulsit nova spes mortalibus ægris.

F I N I S.

IN-

INDEX RERUM,

Quæ his Opusculis continentur.

La-

L.

M

N

No-

Ter-

NOI

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approbazione del P. F. *Tommaso Maria Gennari, Inquisitore*, nel Libro intitolato: *Stanislai Santinelli Congreg. a Somasca Clerici Regularis Dissertationes, Orationes, Epistolæ, & Carmina*; non v'esser cos'alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente, per Atteſtato del Segretario Noſtro niente contra Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Criſtoforo Zane, Stampatore*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 20. Giugno 1734.

(
(*Lorenzo Tiepolo Kav. Proc. Ref.*
(*Pietro Grimani Kav. Proc. Ref.*

Agoſtino Gadaldini Segret.